Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Martin Mauritii

Tractatus Philologicus De Sortitione Veterum, Hebraeorum inprimis : ex S. Scriptura, Talmude, Paraphrasibus & Commentatoribus, aliisque tam Hebraeorum quam exterorum monumentis congestus. In quo Plurima S. Scripturae loca illustrantur

Basileae: Basileae: König: Mechel, 1692

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn784953996

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn784953996/phys_0001
DFG

Fc – 4447.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn784953996/phys_0002
DFG


Bibliotheca
Academica
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn784953996/phys_0003
DFG

TRACTATUS PHILOLOGICUS

De

SORTITIONE

Veterum, Hebræorum inprimis, ex S. Scriptura, Talmude, Paraphrasibus & Commentatoribus, aliisque tam Hebræorum quam exterorum monumentis congestus.

In quo

Plurima S. Scripturæ loca illustrantur.

AUTHORE

MARTINO MAURITII,
Wolbaco-Marchico.

BASILEÆ,

Impensis, JOH. LUDOVICI KÖNIG,

Typis, JOH. CONRADI DE MECHEL.
M DC XCII.

obgl.
744.
OG Tychsen 1750
11 Bf

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn784953996/phys_0005
DFG

Serenissimo Principi ac Do-
mino, Domino

FRIDERICO MAG[illegible]O,

Marchioni à Baden & Ho[illegible]berg,
Landgravio à Sausenberg, Comiti
à Spanheim & Eberstein, Dynastæ
à Rötelen, Badenweiler, Lahr,
& Mahlberg, &c.&c.

Domino meo Clementissimo

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Subjectissimam animi devotionem
ardentissimasq; preces dedic
& consecro

MARTINUS MAURITII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn784953996/phys_0006
DFG

DEDICATIO.

NUnquam hactenus, SERENISSIME PRINCEPS, *animi mei, & communi & singulari Benignitate Tua incitatam pietatem, submissam Venerationem, ætatemq; Tibi Munificentißimo Domino meo, debitam gratitudinem, sive publica sive privata compellatione, contestandi contingebat occasio; quanquam & hæc ipsa, qua jam utor, ingrata forsan fuerit, aut certe minus digna, si vel offerentis mei, vel munusculi oblati tenuitatem respicere velis. Nec tamen & devo-*

tæ Tuæ Serenitati mentis incitamentum, & alius eandem quovis modo compellandi occasionis desperatio, præterire istam permittebat mihi, arbitranti, felicitatis diu exoptatæ voto nunc me frui, quod quolibetcunq; isto alloquio & liberiore celebratione animum meum, Benignitatis Tuæ jampridem mihi exhibitæ pondus sentientem, exonerandi facta est mihi potestas; quam eò avidius arripui, quod hîc non tam mei unius, quam totius meæ familiæ nomine, quicquid gratiarum à Tua pariter Serenitate, & Serenissimis, nunc Divis, Majoribus Tuis, in nos congestum est, grata recordatione & solenni ista prædicatione, aliquo saltem modo, & pro virili, si minus

nus digne fieri à me posſit, palam laudandi aperta mihi sit facultas. Sub initium enim hujus decurrentis seculi Serenitatis Tuæ glorioſæ memoriæ Abavus, avum meum, ex patria Saxonia per incerta peregrinantem, fixamq; ſuſtentationis ſedem quærentem, clementiſſime recepit, Scholæq; primum Sulzbergenſi, poſt nonnullis ſubinde Eccleſiis præfecit, ob aliqualis eruditionis, nec adeo levis rerum multarum experientiæ donum, ſingulari benevolentia dignum habitum. In qua Principalis gratiæ dignatione apud Divum Serenitatis Tuæ Avum ſucceſſerunt poſtea, avi illius mei duo filij, pater meus & patruus, quorum uterq; quadraginta annos in terra hac

patria stipendia fecit Ecclesiastica, atq; nunc aucta familia nostra Mauritiana quatuor ex ea supersumus, qui munerum ecclesiasticorum & scholasticorum provincias sumus sortiti, partim à triginta, & ultra, annis. Gratiam hanc pluribus aliis communem prædicarem, quibus similiter Ecclesiarum Scholarumq; cura clementissime in terris Tuis commendata; nisi pauci essent, & vix ulli, qui de gente sua tot & avitos adeo Ecclesiarum Marchicarum ministros, & Clementiarum Vestrarum quasi hæredes numerare valeant: nisi insuper accessisset specialis illa gratia, qua me superioris belli calamitate, funestissimorumq; casuum malignitate pene excussum, cle-

clemeutißime gratiæ Tuæ ſinu receptum foviſti, & foves adhuc dum. Ita me Deus amet, ut clementiam hanc intimi cordis devotioni infixam, pio ſemper affectu, atq; multis ad Deum pro Serenitatis Tuæ exoptata ſalute profuſis precibus agnoſco, ut non ſingularem tantùm, ſed prorſus raram gratiam, tum ſeorſim apud memet ipſum ſuſpicio, & palàm deprædico, ut viribus omnibus ſubmiſſam gratitudinem exhibere, per vitæ dies allaboro. Nec ſane alius me excitavit finis, non mens alia illexit, ut primitias iſtas ſcriptorum meorum Serenitati Tuæ conſecrarem, niſi grati animi obſequium, & conſilium, ut pagellæ iſtæ eſſent tabulæ publicæ μνημο-

ναλυκὶ, *Principali Tuæ Benignitati erga me, consecratæ, pijq; affectus symbolum. Adulentur alij Principibus, captent intempestivi munificentiæ auras, obtrudant invitis nonnunquam libellos suos, offerant dedicationes sæpe ingratas, inveniant quidvis rationum, quod pro inscriptione sua, qua libros suos præmuniunt, allegent, & pietatis elogio condecorent: mihi unum hoc curæ cordiq; sit, ut dedicatione ista mea humillimi obsequij & gratissimi animi fidem pietatemq; erga Serenitatem Tuam aliquo modo significem; quo solo etiam nomine, si dedicatio ista mea ingrata forte fuerit, veniam à Serenitate Tua impetrabit. Accipe ergo*, Sereniſſime Princeps,

pagel-

pagellas istas humillimæ erga Serenitatem Tuam venerationis & animi jam dudum pro singulari in me Clementia, gravissimi pignus æternumq; & publicum monumentum: Accipe votorum meorum pro Tua totiusq; Serenissimæ Domus, inprimis Serenissimi Principis Nostri hæreditarij, qui Sereniss. Parentum oculus, & patriæ spes est, salute principali, vita longæva, omni exoptata & expectata prosperitate: accipe, inquam, precum mearum pro hac quotidianarum certissimum nuncium, & animi mei Serenitati Tuæ fidelissime addicti, sincerum interpretem: Vale, Domine Clementissime, atq; pacati Numinis gratia diu fruere, ut Serenissimæ Domus Tuæ

perpetuum ſplendorem, regionum proh dolor! belli injuriis concuſſarum, populiq; Tui, alienæ poteſtatis tyrannide preſſi, in priſtinæ libertatis communisq; tranquillitatis ſtatum aſſertionem, mœniorum urbium Tuarum collapſorum, & ampliſſimi, eheu jam jacentis, palatij Caroloburgici, ex cineribus reſtaurationem, totiusq; Principatus Tui florem redivivum, ſereno atq; exhilarato vultu iutueri, omnibusq; dulciſſimis almæ pacis fructibus ætatem perfrui poſſis. Faxit Deus! atq; ita devotè apprecatur

Sereniſſimi Principis ac Domini
mei Clementiſſimi

humillimus ſervus

MART. MAURITII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn784953996/phys_0014
DFG

Præfatio Authoris ad Lectorem.

BEnevole Lector, exhibeo tibi libellum istum de *Sortitione Veterum, Hebræorum* maximè, agentem, & parvum de re magna, comuniſſimi, antiquiſſimi & ampliſſimi uſus; occaſionem dedit huic labori meo frequens in opere meo veſtiario memoria ſortium, præſertim Proverbiorum Cap. 18. & in hiſtoria paſſionis ſalutaris obveniens: ibi enim dicitur à ſapiente Rege Salomone, Sortem cade-

dere in sinum; ubi mihi satagendum erat exponere, quisnam sinus intelligatur, vestium an alius, atque inde porrò, an vestes Judæorum Vet. Test. sinus habuerint; quemadmodum in historia vestium, inprimis togarum Romanorum sæpè sinuum fit mentio: inveni verò, non præcisè sinum vestium, sed urnæ sortitoriæ intelligi. Hìc verò, in historia passionali, enarratur, milites de vestibus Christi Domini nostri jeciſſe sortes: ubi similiter, qualis sortitio ista fuerit, & super quibus rebus antiqui sortiri sint soliti, quales sortes fuerint, & similia, me teneri exponere, mihi visum fuit. Sepositа ergò paulùm operâ de vestibus, lubuit succincta indagatione in sortes Veterum

rum inquirendas excurrere: quod dum aggrederer, tam variæ mihi obveniebant ex antiquitate variisque historiis res, ut opinione major emergeret Tractatus iste; indignus quidem luce publica, atque tuis, Amice Lector, oculis. Quum verò ante sesqui circiter annum Vir Pl. Reverendus & Celeberrimus Dn. Johannes à Lent, nunc Doctor & Professor in Academia Herbornensi Famigeratissimus, tunc verò hîc Basileæ, ob Doctoratus insignia acquirenda aliquandiu commoratus, forte incideret in utrumque laborem meum, opus nim. de re vestiaria Hebræorum, & libellum hunc de sortibus Veterum; non approbabat tantùm, sed & dignum evulgatione judicabat.

Post

Post Domino Joh. Ludovico König ita commendavit, ut impensas ultro in se reciperet, atque ad utrumque edendum, in Catalogo Francofortensi fide publica se obstringeret: parvum verò istum de sortibus libellum alteri majori de vestibus Hebr. præmittere ad viam illi parandam, volupe ipsi & consultum fuit, pollicenti interim, si libellus iste, oculis & judicio tuo, Benevole Lector, placuerit, se tum quoque ut opus de re vest. Hebr. prodeat, impensas facturum. Recipe ergo tractatum hunc placide, non absterritus, quod tenui Minervâ, & minus comto, nec venustate aut deliciis blandiente stylo scriptus sit: ita enim sæpissimè, hoc labore mihi occupato, tormentorum

rum bellicorum tonitrua, minæ bellicæ, amicorum, ut debebant esse, & inimicorum militum irruptiones, transitus, exspoliationes, quas crebras & damnosas sæpius passus sum, aliæque injuriæ temporum animum meum & meditationes conturbarunt, atque terruerunt, ut phrasium venustarumque locutionum lepores & delicias parùm admodum curaverim aut curare potuerim; Vale, candide & æquissime Lector, studiisque meis animoque tibi placendi cupido, fave.

Ad

Ad Cl. Authorem.

IMples philologum doctis dum Sortibus *orbem,*
Egregium grato nomen ab orbe refers.
Quid si his auspiciis Vestis *succedet* Hebræa,
Tot luces, noctes tot vigilata, Tibi.
Quanto illas mole & doctrinâ & acumine mentis
Exsuperat, tanto gloria major erit.

JOH. JACOBUS BUXTORFIUS,
Ling. Hebr. in Acad. Basiliensi Professor.

C. B. D.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn784953996/phys_0020
DFG

C. B. D.

CAP. I.

Etymologica sortium Tractatio.

§. I.



Diversæ à Viris Doctis sortitionis sortiumque definitiones, aut, si mavis, descriptiones afferuntur, pro cujuslibet de re ipsa concepta sententia. Ventilantur in primis inter Amesium, Gisbertum Voëtium, & Th. Gatakerum, quorum hic priores illos ob imperfectè traditas definitiones exagitat in Antithesi, illorum thesibus oppositâ. Quidam eorum hanc præferebat: *Sors est petitio divini testimonij, per determinationem eventus, in mera contingentia manifestandi, ad Controversiam aliquam dirimendam*, Prov. XVI. 31. XVIII. 18. In Concione verò aliquâ hanc dederat: *Sors est actio humana meræ contingentiæ, ad quæstionem aliquam ex eventu determinandam adhibita.* Alij ex Augustino ad Ps. 30. describunt ita: *Sors non est aliquid mali, sed res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem.* Ex Thomâ verò h. m. *Sortes dicuntur, cum aliquid fit, ut ex ejus eventu res occulta vel dubia cognoscatur vel discernatur.* Accuratius verò cum Aretio definiendam putat Voëtius, quod sit

modus consulendi Deum rarior quidem, attamen in his eventis, ubi nec ratio aut Consilium hominum commode adhiberi potest. Et Borrhao: *Sors sacra est periclitatio alicujus eventus sub Dei ductu, qui sit & Deo gloriosus, & Ecclesiæ salutaris.* Alij aliter: non agam hic judicem, placet tamen propriam apponere, quam puto extra erroris aut imperfectionis, aut obscuritatis crimen positam esse: *Sortitio est actio humana, qua in dividendis bonis, suscipiendis negotiis, & inquirendis eventibus, aut re quavis occulta, certitudo investigatur, adhibitis mediis quibusdam externis ritè tractatis.*

§. 2. Dicitur Hebraicè גּוֹרָל, ex incertæ significationis antiquo verbo גרל. Persicè olim פור pl. פורים vocabatur, Esth. III. 7. & Cap. IX. 24. 26. ubi vulgatus prorsus ineptè habet, *sortem Hebraicè vocari Phur.* Imò Persicè sic dicitur; Hebraicè, ut Textus hîc habet, גורל, scribit H. Grotius. Ineptius est, quòd quidam Codd. Græci Persicum פור, phur, plural. phurim, scribunt φρουραί: de quo iterum laudatus Commentator: *Corrigendus Josephi Codex, in quo legimus:* Διὰ ταῦτα μὲν Ἰουδαῖοι τὰς προειρημένας ἡμέρας ἑορτάζουσι, προσαγορεύοντες αὐτὰς φρουραίους. *Legendum* φουραίους. *Idem error in additamento Græco ad hanc historiam:* τὴν προκειμένην ἐπιστολὴν τῶν φρουραῖ: *legendum* φουραῖ Infallibilitate sua fefellit Vulgatus etiam Stengelium, ut scriberet: *Hebræis sors Phur dicitur à cadendo, eò quod sors in urnam conjecta cadat, unde casui attribuitur.* Cap. I. §. I. Hactenus autem in nullo Lexicorum invenire licuit, פור cadendi significationem habere, unde etymi ratio hîc data prorsus absona. Videtur autem cum פור cognationem habere nomen sors,

Græce

Græcè dicitur sors, κλῆρος, quod ex Hebræo גורל natum, transpositis solummodo literis: vocatur etiam πάλος. vide infra Cap. 9. §. 4.

§. 3. Sors, sortitio, sortiri, &c. varias apud Veteres Scriptores sustinet significationes, pro variis in sortiendo occurrentibus rebus; propriam, synecdochicam, metaphoricam, metonymicam. His enim perficitur omnis ferè sortitio, ipsaque sortitionis actione. Primaria ergo significatio est, qua vox sors notat instrumentum quoddam seu artificiale seu inartificiale, in usum sortitorium adhibitum: Sic Salvator, (quod vocabulum etsi non sit Ciceronianum, est tamen Ecclesiasticum, antiquissimis Latinis Patribus usitatum) Psalm. XXII. 19. ait: *projecerunt sortem supra tunica mea*: i. e. talos, vel aliud instrumentum, quo usi sunt sortientes. Confer Prov. XVI. 33. Act. 1. 26. aliaque ejusmodi loca plurima. vid. Flac. Clav. S. in *Sors*, Ravanellum, alios in Lexicis & Concordantiis. Huc pertinent phrases, cadere, exire, educere, projicere sortem. Atque hanc significationem Eustathius ad Iliad. ραψωδ. ν. v. 175. voci Græcæ ita propriam adscribit, ut Poëta Homerus καπεσωτέραν λέξιν non habeat, unde & quinquies eodem in loco dicat: κλήρῳ νῦν πεπάλαχθε, *sorte nunc sortimini, sortes nunc conjicite.* Et: κλῆρον ἐσημήναντο ἕκαστοι, *sortem signabant singuli.* Et in Iliad. ραψωδ. γ. ἔστι δὲ κλῆρος σημεῖον, ὅ τις ἐμβάλλῃ τῷ ἀγγείῳ τὸ λαχμὸν, ψῆφος ἴυγξ, ἢ δακτύλιος, ἢ βῶλος ἀρόσεως καθὰ Σοφοκλῆς. *Sors est seu Symbolum, quod quis injicit vasi sortitorio, idq; est vel Calculus, vel annulus, vel gleba terræ, secundum Sophoclem, aut aliud quid ejus*

generis. Sumitur tamen sæpe pro tota actione, quomodo dicitur, sorte aliquid adipisci. &c. Sæpissimè etiam pro bono aut re quavis, bona malave, sorte acquisita, hæreditate, agro, pœna etiam, quam tamen significationem Flacius putat esse catachresin: vide Jes. XVII. 14. Jer. XIII. 25. In bono vero sensu multoties in Mose & Josua usurpatur pro portione alicujus tribus, quam sorte accepit; quomodo & apud profanos Scriptores crebro reperitur. Ejusmodi significatio est, quando verbum sortiri idem est ac distribuere sorte, sortiendo inter se dividere. Κλῆρος δὲ καὶ ὧδε συνήθως, τὸ ἐκ τοῦ κληροῦσθαι λάχος νοητέον· οὐ διαφορὰ πρὸς κλῆρον, ὅτι κληροῦνται μὲν πολλοὶ, ὡς εἰκὸς, λαγχάνει δὲ εἷς ἐπιτυγχάνων: *Sors autem hic ex more consueto intelligenda est ea portio, quam quis sortiendo accepit: atq; hoc modo differt à sorte; nam sortiuntur quidem plures, sed unus tantùm est, qui potitur.* Eustath. Odyss. ῥαψ. ξ. v. 64. Metaphoricè sors dicitur de re, officio, bono, hæreditate quavis, quovis modo, etiam sortitione non interveniente, comparata, ad sortem tamen propriè dictam habito respectu. Sic Eustath. ad Iliad. ῥαψωδ. γ. δῆλον δὲ καὶ, ὡς ἐκ μὲν τοῦ καθ' Ὅμηρον κλήρου καὶ ἡ κατὰ βίον λαχοῦσά τινι περιουσία κλῆρος λέγεται μεταφορικῶς, καὶ ἡ ῥητορικὴ δὲ ἀποκλήρωσις ἐκεῖθεν εἴληπται. Patet autem ex hac apud Homerum vocis κλῆρος usitata notione, vocari etiam ita opes ad vitam sustentandam requisitas per metaphoram, nec non Oratorum quæque ἀποκλήρωσις, abrogatio ab officio, inde sumta est: ut à πάλος, sors, vocare solent ἀντίπαλον, æmulum, hostem, τὸν ἐξ ἐναντίου πάλου ἐρίζοντα, qui cum aliquo ex adversa sorte contendit:

tendit: & eum, qui ejusdem est sortis aut officij, ἰσοπαλῆ, consortem, Collegam. Sic Deus dicitur Sors Psalm. XVI. 5. Contra pij sors Dei Psalm CXXV 3. *quoniam non manebit sceptrum impiorum,* על גורל הצדיקים, *super sorte justorum.* Confer Ephes. I. 11. 1. Pet. V. 3. Quis verò dicet, Deum unquam de sua Ecclesia, vel hanc de Deo suo sorte contendisse? Quemadmodum autem bonum seu hæreditas, aut res omnis sorte accepta, est ejus, qui accepit, propria, qua gaudet, felicitatemq́ue suam in ea ponit: Sic Deus populum suum acquisivit sibi & vindicavit ceu proprium, & pij vicissim in Deo suo, sibiq́ue præ omnibus cœli mundiq́ue bonis electo, omnem summamq́ue collocant felicitatem, eoq́ue solo maximè lætantur, ut is, qui sorte eximiam nactus est partem: mundus è contra Diabolum, & hic mundum mundiq́ue filios, quasi sorte ductos, amplectitur. Confer Deut. XXXII. 9. ubi Moses: כי חלק יהוה עמו יעקב חבל נחלתו; hic, notante R. Abenesra, חבל idem est ac גורל. Usurpatur quandoq́ue pro conditione vitæ, ut in Horatio Serm. l. 1. Sat. 1.

Quî fit, Mecœnas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu sors objecerit, illa
Contentus vivat.

Sic Eustath. ad Iliad. ῥαψωδ. ο. v. 498. κλῆρος δὲ ἦ, οἷς ὁ βίος ἅπερ μερίδων, ἐφ' αἷς κλῆροι πάλλονται, ὅτε καιρὸς δάσασθαι: *sors autem, aut quibus est vita absq; portionibus, super quibus sortes projiciuntur, quando tempus est dividendi.* Felicissimus pariter filiorum Dei status & conditio, qua in bonorum omnium cœlesti-

um & spiritualium, hujus & æternæ vitæ, spem & possessionem sunt adoptati, simili locutione innuitur: vid. Col. I. 12. κλῆρος τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτί, & Act. XXVI. 18. Pharisaicum factum redolet, quando Pontificiorum Sacerdotes & tota religiosa cohors nomen istud ad se rapiunt, quasi ipsi soli, vel saltem præcipui sint, qui Domini sors dici mereantur: *Illi* scilicet, *qui Deo ipso jubente divino Cultui consecrati, procurandæ religionis, & sacrarum rerum providentiam ac solicitudinem susceperunt, qui, teste Hieronymo ep. ad Nepotian. propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est*; ut Stengelius in dedicat. gloriatur, ex Bellarm. forsan. l. 1. de clero, Cap. 1. qui vero ex Hieronymi epistola allegata sequentia debuisset quoque attendere: *Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Domini partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & ipse possideatur à Domino: qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit: pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest: quod si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus: verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignatur.* Tum ergo Pontificiorum Sacerdotes Clerus erunt, si hanc regulam observaverint, quod factu æque difficile illis erit, ac juveni Pharisaico, Matt. XIX. 22. Sed vox Sors seu Clerus in tota S. Scriptura hoc sensu nequaquam reperitur, ut ad solos viros Ecclesiasticos restringatur. Nimium ergo Pontificiis concessit Henricus Dodwellus

Du-

Dublinienſis, adverſus Rigaltium diſputans, in diſſertat. 1. Cypriano affixa; aſſerens, vocem Sors ſeu גורל in V. T. competiiſſe Sacerdotio: cùm enim populus Iſrael dicatur Hæreditas ſeu Sors Domini, Sacerdotes autem fuerint populi hujus ſanctior pars, præcipue ergo vocem Sors de Sacerdotio intelligendam: quemadmodum enim ſanctitas ſuos habet gradus in populo Iſrael, ſic & Clerus: nam tribus Levi peculiariter in ſortem Dei eſt electa, & in tribu iſta Levi iterum fuerunt gradus, inter Levitas & Sacerdotes, in quorum negotiis frequens erat ſortium uſus, in Numinibus conſulendis, & ſi quod gravius munus erat obeundum, (ut apud Gentiles in myſteriis Iſiacis) Luc. I. 9. Act. I. 26. atque eundem Dei conſulendi ritum à S. Johanne Apoſtolo obſervatum eſſe in eligendis miniſtris, ex Alexandrini Clementis loco aliquo colligit; nimirum libro τίς ὁ πλουσ. σωζομ. ubi de Apoſtolo Johanne loquens ait: ὅπου κλήρῳ ἕνα γέτινα κληρώσων τῶν ὑπὸ τοῦ πνεύματος σημαινομένων Chriſtianos olim quoque præcipue id ob oculos habuiſſe, nemo ut in S. ordinem aſcribi niſi Deo ſuffragante videretur. Dei verò per ſortes conſulendi ſuffragijq́ue ejus petendi morem eodem ſeculo atq́ue apud illos quoque Entheos invaluiſſe, atque hanc Cleri augendi Ceremoniam uſitatiſſimam fuiſſe, eſſe veriſimillimum. Hinc non mirum, S. ordinem nomine Cleri veniſſe. Si ergo ab hoc ſortium uſu ductum fuit Cleri nomen, omninò ſequitur, non aliorum, quam Sacratorum Deo hominum fore proprium. Sed ex hac nominis origine non aliis ſeculis ita

commode convenire posse hanc nominis ipsius appropriationem, quam primo illi atque Apostolico: idque ex duabus rationibus. 1. Quia hoc seculum fuit Theocratiæ Judaici populi proximum, ut facillime à Judæis ad Christianos dimanarit. 2. Quia sortium in sacrorum ministrorum electione usus post tempora Apostolorum vel nulla extent omnino, vel quam paucissima vestigia: præsertim in Cypriano, qui aliquoties ex professo de sua vocatione cum agat, aliorumque Episcoporum, probet esse divinam, nihil de sortibus inveniri. *Si ergo huic consuetudini sortiendi sacerdotia tribuamus, quod ipse Cleri titulus sacri tandem ordinis factus sit proprius, Apostolico seculo, quo solo illam constat viguisse consuetudinem, appropriationem illam tribuamus necesse est. Nec enim est omnino verisimile, cum mos ille tandem in desuetudinem abiisset, tum demum titulum inde ortum factum esse proprium.* Prolixum foret ad singula respondere, & falsitatem hujus sententiæ demonstrare: Satis nunc sit scire, nullibi Scripturarum, neque V. neque N. Test. vocem κλῆρος vel גורל sacro ordini ita appropriari, ut solus ille, excluso vulgo Israelis & Christianorum, sors Domini dicatur, nec valet consequentia, Sacerdotes crebro in usu habuisse sortitionem: E. Sors Domini dicitur. nam & hoc valet de communi plebe, æque crebro sorte utenti. Coactum est, quod Dodwellus iste in locum 1. Petr. V. 3. commentatur, exponens illum vel de Ministris Ecclesiæ, vel, quod magis ipsi placet, de reditibus Ecclesiasticis, quibus Presbyteri non debeant αἰσχροκερδῶς aut nimis

mis imperiose καταχυεῖσθαι. De quibus autem Theologi potius audiendi sunt. Frequentissima verò apud Poetas & Scriptores veteres & alios vocis sors seu sortes, significatio est & usus de Oraculis, ut ubivis exempla patent. Eustathius ad Iliad. ραψωδ. γ. *Euripidem* ait *in Phœnissis & aliis libris sumere vocem* κλῆρος *pro divinatoriis quibusdam calculis, quos etiam* δέλτους, *libellos, tabellas, &c. nominare solebant Veteres autem intelligere quoq; hac voce* τὰς τῶν μαντείων μισθὰς, *mercedes seu præmia propter divinationem, aut divinationes ipsas, aut Symbola quædam divinatori seu vati ideò data, ut iis incitatus vaticinetur.* Non dubito, quin veteres vates primitus in oraculis reddendis usi fuerint Symbolis quibusdam, quibus inspectis aut rite administratis responsa Deorum captabant, cujusmodi symbola erant tabellæ, libelli, ut libri Sibyllini, Poetarum, &c. nec non tali, tesseræ, & hujus generis alia: cum ergo his utebantur mediis, in dandis responsis seu edendis oraculis, inde oracula ipsa Sortes nuncupari cæptum est, sive symbola fuerint adhibita, sive minus. Sortes istas divinatorias seu oraculorum Deucalion primus cœlitus petiisse dicitur, ut Juvenalis fabulatur, Satyr. 1.

Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor
Navigio montem ascendit, sorteisq; popposcit.

Usurpatur porrò verbum sortiri pro eligere, ut apud Virgilium, lib. 3. Georg.

Et sobolem armento sortire quotannis,

id est, ut Servius exponit, *elige*. Aliâs pro accipere, adipisci, &c. frequentissimum est apud authores, ut sortiri agrum, nomen, &c. vide Lexica.

Notanda insuper est vocis Sors & sortitio homonymia, quâ sæpe late extenditur ad actiones quasdam, quæ proprie sortitio non sunt: quomodo Stengelius ad sortes, politicas nimirum, refert provocationem ad tribunal Dei, citationem in vallem Josaphat, id est, judicium Dei vel extraordinarium & peculiare, vel extremum & universale: quod fit plerumque ab iis, qui à supremo Magistratu, à quo in hac terra ad alium judicem humanum appellare non possunt, per tyrannidem ad violentum & injustum mortis supplicium rapiuntur, legitimam habentes causam. Pari modo ad sortitionis species refert, quod Bileam asinâ à via avocatus fuerit: cum qua confert alia ejusmodi exempla animalium, viæ ducum, de quibus infra singulari capite.

§. 4. Magnam etiam convenientiam cum sortitione habet lusus aleæ, chartarum, aliarum rerum hujusmodi idonearum. Est tamen omnino discrimen inter utrumque statuendum: primò enim lusores rem jam ante suam incertæ aleæ aut lusui alij committunt: Sortitores vero de re non jam sua, aut saltem non tantum sua, sed communi, & dubiæ possessionis, contendunt. Deinde lusus suscipitur circa rem alienam prorsus, ita ut cum damno colluforis conjunctus sit: sortitio autem circa rem communem, ad quam omnes consortes idem jus habent, fitque citra damnum eorum. Tertio lusores actionem ludendi sæpius repetunt, non contenti semel & uno actu aliquid depositi accepisse aut perdidisse, vel semel distributum esse depositum: sortientes vero rem sorte se-

semel divisam non iterum dividendam reponunt, ut lusus videatur hac quidem ratione dici posse sortitio crebrò iterata: aut sortitio, lusus semel tantùm peractus. Deniqúe differunt fine & usu: lusores agunt de fallendo tempore vel faciendo lucro, deponentes suum, ut lucrentur alienum, atque suum cum fœnore & damno alius recipiant: Sortitores congrediuntur, ut rem in omnes æquo jure competentem, invicem distribuant; lusores alienis inhiant: illi suum quærunt, hi lucrum & animi recreationem: illi justitiam distributivam sequuntur, quam hi violare videntur. Quæ verò de sortitione divisoria sumenda; consultoria enim & divinatoria nihil cum lusu commune habet, nisi forte per accidens. Nimiæ igitur & glorioſæ ordinis sui & pseudosanctorum, Xaverij & Ignatij Lojolæ, æstimationi tribuendum, quod Stengelius ad finem præfationis refert: *Lusitanus miles aleâ ludens sexcentos aureos amiserat. Igitur tristis & inops consilij auxilijq; ad Franciscum* (Xaverium) *confugit. Tum ille ex veneno ipso medicinam morbi petendam ratus, aleam ab eo poscit, suaq; manu permistam reddens repetere ludum jubet, eô, quod reliquum ludus fecerat, amissa recuperaturum; non fefellit: repente mutata cum authore ludi sors, & miles secundo usus ludo cuncta recuperavit, suo recepto: ludere pergentem Franciscus inhibuit, nec miles abnuit, sed beneficij memor salubribus ejus præceptis impense paruit: quin etiam ultro promisit, se inposterum nunquam aleæ lusurum, & extitit promissi fides.* Geminum huic Lutetiæ factum recensetur, quo Ignatius Loiola animam Doctoris cujusdam lucratus est ludendo.

Nam

Nam *cum ejus ludi nec consuetudinem haberet nec artem* (quod de impio ejusmodi milite, qualis Lojola fuit, vix credendum) *instante tamen & urgente & pertinaciter efflagitante Doctore, in lusum tandem, sed serium, consensit Ignatius. Itaq; feliciter globulum ludentis in mensæ, ludentem autem ipsum in pœnitentiæ saccum conjecit, ut qui aderat, identidem diceret: Domine Doctor, digitus Dei est hîc.* Hæc ad fortes minus recte refert Stengelius, in quibus manus, digitus Dei ludentis in orbe terrarum fuerit, impie huc trahens, quod S. Scriptura de sortibus enunciat, à Domino temperari:

Scilicet is superis labor est, hæc cura quietos
Sollicitat.

§. 5. Est insuper differentia observanda inter sortitionem veram, & eam, quæ speciem sortitionis habens, astutia potiùs est, calliditas, dolus, sapientissimè excogitatus. Singularis industria & callidum inventum erat judicium Salomonis, inter duas meretrices de filiolo vivo litigantes: jubens enim gladium afferri, quo superstes filius divideretur, & utriqúe contendentium matrum dimidia pars daretur; eam veram fore matrem, quæ truculentam istam divisionem detrectaret, non eam, quæ urgeret, sapientissimè judicavit, & invenit. Astutia & dolus erat, quo Darius est usus, cum Persæ de rege constituendo consultarent, in hoc tandem convenientes, cujus equus crastino die in foro primus hinniret, eum fore Regem. Sortem hanc Darius elusit, primum equi sui hinnitum arte procurans, equo pridie in forum ad equam adducto, cui postridie jam assuetus

suetus amator adhinniret, ut ex Justino & Herodoto notum vulgo. *Etsi enim vera sors fuisset, si in regem electus esset hoc modo, non fuit tamen vera sors, si ad illum aspiciamus, cujus consilio ingenioq; equus præcedente die in eodem loco ad equam admissus, quodammodo eruditus & assuetus fuit hinnire, cum ad eundem locum redisset*, judice Stengelio, pag. 38. ubi ex Æn. Sylv. l. 2. de gestis Alphonsi similem industriam Friderici III. affert. *Quum enim apud cum rusticus aliquis questus esset, jugalium equorum alterum, in caupona sibi per abigeum subductum esse; abactorem sibi Imperator jussit indicari. Rusticus id à se fieri posse negavit, eò quod hominem non nosset. Subridens Fridericus ait: Clementer tecum est actum: nam cum in hac urbe tot sint equites, equi tam pauci, mirum est, milites non utrunq; equum simul abstulisse. Equa, ô Cæsar, subdit rusticus, est altera, quæ militibus parvo usui. Age igitur, inquit Imperator, equam inscende, perq; omnes vicos, plateas, compita, & angiportus urbis obequita: subtractus equus in aliquo stabulo latitat; is cum jugalis odorem senserit, illi ò hinnitum edet, sociamq; salutabit. Placuit rustico consilium, & profuit. Nam hinnitu prodiius est abigeus, sicut quondam Cacus mugitu.* Ad quæ, *quis sortem hanc potius, quam artem vocaret?* ait Stengelius. Memorabile hujus modi in speciem sortitionis, veræ tamen sapientiæ & calliditatis exemplum est, quod ex Diod. Sicul. l. 20. idem refert Stengelius. *Tres fuerunt Cimmeriorum regis filij regnum paternum omnes affectantes. Ariopharnes Thracum Rex judex eligitur. Hic erutum patris eorum cadaver è sepulchro arbori alligat, arcui sortem committit: regni successor destinatur, qui cor patris sagitta tetigisset. Primogenitus guttur, alter*

medium

medium pectus, corde illæso, transfixit. Supererat minimo spes regni: vicit pietas, & se regno cedere malle, dum in patris cadaver pietate superior esset, professus; jaculari detrectavit. Huic ergo regnum est adjudicatum, quod se pariter & verè filium, & virtute superiorem demonstrasset. Hic Ariopharnes se sorte usurum simulavit, cum arte usus sit, sententia Stengelij; pariter ut judex quidam Hispanus, qui inter homicidij suspectos eum deprehendit nocentem, cujus nudatum pectus cordis palpitationem manui impositæ prodidit. vide Hondorff. p.m. 498. Simili fere processu usus est Imperator Serv. Sulpitius Galba; nam *cum de proprietate jumenti quæreretur, levibus utring; argumentis & testibus, ideoq; difficili conjectura veritatis, ita decrevit, ut ad locum, ubi adaquari solebat, duceretur, capite involuto: atq; ibidem revolato, ejus esset, ad quem sponte se à potu recepisset*, ut Suet. in Galba Cap. 7. refert. Ejuscemodi plura de Alphonso primo Neapolit. Rege, inter ancillam & Dominum, facinus negantem; itemque de Theodorico Rege Gothorum inter matrem & filium; deque ipso Carolo Magno, inter patrem & filium, non tam fortuitò sortiente, quàm prudenti & ingeniosa argutia verum exprimente, narrari ait in Anton. Panormit. & alijs authoribus.

Nos autem non tam vagè excurremus, sed in terminis, quibus sors propriè dicta continetur, & nos continebimur, nisi forte ex accidenti incidamus in ejusmodi sortes latè seu in speciem ita vocatas, quales occurrunt infra in sortitione per numeros, quâ dolosè Josephus & AbenEsra usi dicuntur. Ut verò certa progrediamur methodo,

rem

rem totam complectemur quatuor causarum generibus, Efficiente, materiali, formali, finali, denique epilogo.

CAP. II.

De

Sortium antiquitate & frequenti earum apud Veteres usu.

§. I.

OPtatius quidem & toti negotio decentius foret, si rem à primis suis causis repetere, & præsenti Capiti originem sortium & primam inventionem potius quam antiquitatem prænotare possemus. Quemadmodum vero res pleræque, quæ Mosis jam ætatem viderunt, ab authore suo primo sunt incognitæ, nisi idem ab ipso Mose sit proditus; sic etiam sortes se habent: inde antiquitatem potius quam originem nosse nobis est integrum. Quod enim de Deucalione supra dictum, & quæ de Prænestina sortium inventione habent aliqui, nominatim Polyd. Verg. l. 1. c. 24. scribens: *Divinabant per sortes, quas in Latio Numerius Suffusius, teste M. Tullio in secundo de Divin. primus invenit apud Prænestinos, sculptis in robore literarum priscarum notis, quæ fortunæ monitu, pueri manu innitebantur, atq; ducebantur, de quibus etiam Tranquillus*

in

in Tiberio meminit: id, inquam, si de sortibus in genere intelligeretur, nimis jejunum esset; si verò de solis sortibus divinatorijs & consultorijs, admodum incertum, aut plane falsum. Fuerunt autem Prænestini populi Romani, vel à Romanis demum in jus civitatis asciti, ut Alex. ab Al. refert, l. 4. c. 10. gen. dier. De quo latiùs videndus ipse Romanæ historiæ Scriptor Livius decad. 5. l. 2. Apud hos erat templum Fortunæ antiquissimum; à Romanis enim fortuna pro Dea colebatur; cujus cum sors habita fuerit præcipua operatio, Prænestinæ Deæ, i. e. fortunæ eadem fuit assignata. Id Alex. ab Al. l. 1. c. 13. plenius hoc modo recenset: *Tametsi Fortunæ præcipuum Numen Romæ fuerit, non minus tamen apud alios culta celebrataq; est. Nam Ferentano in oppido, & in Algido, atq; Antij, Equestris fortunæ templum, & alterum Prænestæ, satis vetustum, & multa religione inclytum visebatur; ubi sub imagine duarum sororum colebatur, ex quo consulentibus certa edi oracula putabant: ubi sortes primum à Numerio Suffio sitas fuisse fama fert, sicut Lyciæ fons sortes antiquissimis characteribus, quibus futura prænoscuntur, emittere traditur.* Et Peucerus de Divinatione, *celebrantur*, scribit, *sortes Lyciæ, Deliæ, Prænestinæ, à Numerio quodam Suffio in æde Fortunæ, Prænesti constitutæ, Antiatinæ, & aliæ, quibus occulta ignotaq;, aut futura detegi, producíq; in lucem, opinio erat: tantaq; colebantur religione, ut consulturi eas, nonnisi solennibus lustrati ritibus accederent, & adesse his peculiaria numina, quæ missas sortes dispensarent, crederent.* Et postea: *Ad Buram Achajæ oppidum, oraculum Herculis fuit, ex talis & abaco constitutum: ubi consulturus de re quapiam, post reddita Deo*

vota

vota preces q3, talos quatuor jaciebat, quorum situm & figuram cùm inspiceret oraculi præses, quid eventurum esset, juxta talos in abaco literis expressum inveniebat: erant q3 tali omnes ex hostiarum ossibus arte fabrefacti. Meminerunt sortium antiquissimarum Antiatinarum, Lyciarum, Prænestinarum, Patavinarum, Romanæ Augustæque historiæ authores hinc inde. Quid verò de iis sentiendum sit, doceat Sapientissimus Romanorum Orator Cicero, l. 2. de divinat. scribens: *Quid sors est? idem propemodum, quod micare, quod fallaciis, ad quæstum, aut ad superstitionem, aut ad errorem. At q3 ut in aruspicina fecimus, sic videamus clarissimarum sortium, quæ tradetur inventio. Numerium Suffusium Prænestinorum monumenta declarant, honestum hominem & nobilem somniis crebris ad extremum etiam minacibus, cùm juberetur certo in loco silicem cædere, perterritum visis, irridentibus suis civibus, id agere cœpisse. Ita q3 perfracto saxo sortes erupisse in robore insculptas, priscarum literarum notis. Is est hodie locus, septus religione, propter Jovis pueri, qui lactens cum Junone in gremio sedens, mammam appetens, castissimè colitur à matribus. Eodem tempore, in eo loco, ubi fortunæ nunc sita est ædes, mel ex olea fluxisse dicunt, aruspices q3 dixisse, summa nobilitate illas sortes futuras, eorum q3 jussu ex illa olea arcam esse factam, eaq3 conditas sortes, quæ hodie fortunæ monitu pueri manu miscentur, at q3 ducuntur.* Quid autem ipse Cicero de religione ista ethnica judicet, facile ex ejus verbis statim sequentibus apparet. *Quomodo autem istæ positæ in illo loco, quis robur illud cæcidit, dolavit, inscripsit, nihil est inquiunt, quod Deus efficere non possit. Utinam sapientes Stoicos effecisset, ne*

omnia cum superstitiosa solicitudine & miseria crederent. Sed hoc quidam genus divinationis vita jam communis explosit: fani pulchritudo & vetustas Prænestinarum etiam nunc retinet sortium nomen, atq; id in vulgus. Quis enim Magistratus, aut quis vir illustrior utitur sortibus? Cæteris verò in locis sortes planè refrixerunt; quod Carneadem Clitomachus scribit dicere solitum, nusquam se fortunatiorem quàm Prænestæ vidisse fortunam: ergo hoc Divinationis genus omittamus. Damnat etiam easdem sortes ob earum vel ambiguitatem, vel falsitatem, ut *ipsæ alio egeant interprete, & sors ipsa referenda sit ad sortem*, ut in eodem libro, ubi de Apollinis oraculis loquitur. Fuit Prænestæ urbs non ita longè distans à Roma, ut intra biduum lento itinere eò perveniri potuerit, quod Suetonius indicat in Oct. Aug. c. 82. scribens: *Itinera lectica, & noctibus ferè, eaq; lenta, ac minuta faciebat, ut Prænestæ vel Tibur biduo procederet.* ubi Schildius ex Casaubono notat, Prænestæ Stadiis CC. Roma distare. Erat etiam olim sortibus celebris urbs Cære, ut ex Livio disco, qui Dec. l. 1. inter prodigia Romæ facta recenset, *Cære sortes extenuatas:* dec. 3. l. 1. vocat eam opulentum oppidum, ibidemque deinde Romani Deos iratos expiaturi, lectisternium imperarunt. Sed hæc omnia sortes tantùm divinatorias vel consultorias concernunt, easdemque idololatricas, quarum si origo aliqua esset nominanda, Syris eam adscriberem, quàm ullis aliis populis. Illi enim maximè Fortunam venerantes multa religione ejus cultum celebrarunt, ut Alexander Neapolit. d. l. refert. *In Eubœa quoq; Rhamnis urbs fuit, in qua fortuna*

tunæ templum habebatur maximum, & multis ceremoniis sacrum. Præ cæteris autem Syri fortunam impensius coluisse feruntur: cujus simulachrum ad Orontem summo ingenio & arte, ut Pausanias ait, à Sicyonio Eutychide effictum erat: Sicut Athenis in Prytanio simulachrum ἀγαθῆς τύχης supra omnium seculorum memoriam insigne colebatur. Sed copiosius omnia ista persecutus est solertissimus rerum antiquarum indagator Seldenus, Synt. I. de DIs Syris Cap. I. ubi ex Gen. XXX. II. multa egregie disserit de Gad seu fortuna à Syris culta; in primis vocem Gad exponens, fortunæ nomen, sive fuerit proprium sive commune; in gratulatione Leæ בא גד idem esse ac fortunam, q. d. cum fortuna, per Gad, fortunæ Deam, vel בא גד, venit fortuna turmatim, atque ita sibi gratulabundam respexisse Astrologorum placita, & communem Syrorum religionem, in qua nata & educata: Ab hac autem fortuna esse sortes, quippe quibus fortuna vim numinis sui exerceat & exerat, fataque hominibus dispenset. Hinc sors fortunæ, quæ cæterarum magistra & dux habeatur, & veluti mater, nec non primum ἆθλον, sors militiæ secundum ἆθλον, sors rerum urbanarum tertium, & sic deinceps. Vetustissimi Ægyptiorum Mathematici à Syris edocti, proprias ferè omnium rerum & quæstionum sortes in astrorum positu capiebant. Testatur Scholiastes priscus ad tetrabibli part. 3. ἐώθασι γὰρ, inquit, λαμβάνειν οἱ Αἰγύπτιοι κλήρους πάντων κεφαλαίων, &c. Sed pluribus addendis supersedeo, cùm hæc omnia de sortibus fatidicis dicantur: nos in genere de sortibus

quærimus, quarum pars major ſunt ſortes diviſoriæ, quas divinatoriis longè vetuſtioris uſus fuiſſe, facile crediderim, & ex Moſe clarum eſſe putem. Utut enim apud exteros quoque, Homerum, Triſmegiſtum, Ciceronem, Annæos fratres, Virgilium, Veteresque omnes, ſortium multiplex habeatur mentio, ut de antiquitate earum hinc aliquid concludi poſſit, longè tamen antiquior illarum memoria in monumentis Moſaicis habetur, qui vetuſtiſſimi ſortium uſus teſtis eſſe poteſt. Quanto enim ſeculorum intervallo exteri auctores nos anteceſſerunt, tanto illos Moſes & forſan majori. Nec tamen Moſis demùm ætate homines ſortiri didicerunt, ſed jus hoc, tanquam ante ex uſu antiquo notum, exerceri & rebus dubiis adhiberi præcepit Cœleſtis Dictator, & ſi antiquæ Bereſchith Rabbah (quæ verò multa ubique fabulatur) fides ſua conſtaret, filij Jacobi in Syria plerique educati, ſortes conſuluerunt, quis eorum tunicam Joſephi ſanguine hædi maculatam, patri apportaret? In eodem enim Medraſch, fol. 93. col. 4. vocis פמים hæc traditur notatio: שהפימו עליה אי זה מהם יוליכה לאביו עלת' ליהוד', *quia ſortiti ſunt ſuper illa, quisnam illorum afferret patri ejus, & aſcendit ſors pro Jehudah.* Eſt verò ſacrarum literarum teſtimonium eò majoris ponderis, quod de ſortitionis uſu & ritu non domeſtica tantùm recenſeat exempla, ſed & externa, aliorumque populorum. Tametſi enim authores profanarum hiſtoriarum de Græcis, Lacedæmoniis, Syracuſanis, Romanis, Germanis, Rugianis, Friſiis, &c. ſortilegio

tilegio usis scribant, historia tamen sacra vel plura vel certè vetustiora profert exempla. Persas enim sortitos fuisse, constat ex Esth. III. 7. ubi Hamanus internecionem Israelitarum sortium judicio & lusui subjecisse dicitur. In Alexandriæ vastatione Nebucadnezaris milites sortem jecerunt super honoratis illius Civitatis, Nah. III. 10. Confer Obad. V. 11. ubi Babylonij & Chaldæi dicuntur sortem jecisse super Hierosolymis, & nautæ Joppæani ex Phœnicia sorte dimicant, quis illorum, qui nave vehebantur, procellam maris cunctis ruinam minitantem, peccato enormi excitarit. Jon. I. 7. & Joel. III. 3. gentes quævis dicuntur sortitæ esse super Israel. In N. Test. historia passionis Dominicæ dicuntur milites Romani sortibus dividere tunicam Christi inconsutilem, quin & omnes ejus vestes, Matth. XXVII. 35. Marc. XV. 24. Joh. XIX. 24. Conf. Psalm. XXII. 19. nec contemnenda exempla sortitionum in bello Trojano, ab Homero & Virgilio, aliis, memoriæ prodita: bellum enim hoc ante Simsonem judicem factum incepisse, referunt nobis viri docti, inter quos Glareanus in Chronologia ad Tit. Livij decadas. Sed magis illustria sunt exempla populi Israel, apud quem non ex privati alicujus & superstitiosi hominis phantasia, sed summi & sapientissimi rerum omnium Moderatoris præcepto, ad sortitionis arbitrium in maximis negotiis fuit appellatum. Et ipse quidem Deus singulari dispositione, verissimo rerum ipsarum eventu, atque adeò divina sua authoritate & quasi suffragio idem judicium

dicium confirmavit, atque ita ratum fecit, ut postea viri in Israel gravissimi & divino Spiritu inflati, eodem dijudicandi lites ritu in rebus dubiis, plerunque gravibus, fuerint usi, uti recensio exemplorum secutura faciet manifestum.

§. 2. Clarissimum seu divinationis seu distributionis per sortes habetur vestigium Lev. XVI. 7. seqq. ubi jubentur duo hirci ante tentorium constitui, quorum alter dicabatur per sortem Domino, alter vivus mittebatur in desertum, de quo singulari capite agemus. Simile habetur Num. XXVI. 53. seqq. de terra Canaan sorte dividenda. Confer Num. XXXIII. 54. Cap. XXXIV. 13. Cap. XXXVI. 2. 3. Jos. XIV. 2. 5. & Capp. seqq. Hæc deinde consuetudo perpetuò obtinuit in populo Israel, ut quasi pro Oraculo usurparetur sortium judicium, vid. Jud. I. 3. Cap. XX. 10. 1. Sam. XIV. 41. seq. Levitis & Sacerdotibus civitates sub imperio Davidis, ut & habitacula, officia, custodias, &c. distributa, in libris Chronicorum memoratur. Pariter & sub initium secundi templi, ut ex Nehemia patet. In N. quoque Test. religiosè sortibus usos esse, constat ex Act. I. 26. Extant insuper ubique in V. & N. Test. plurimæ locutiones, quibus ad frequentem sortitionis usum respicitur, & similitudines ab illa mutuantur. vide præter loca jam allegata, Psalm. XVI. 5. CXXV 3. Prov. I. 14. Cap XVI. 33. Cap. XVIII. 18. Jes. XVII. 14. Cap. XXXIV. 17. Cap. LVII. 6. Jer. XIII. 25. Ezech. XXIV. 6. Dan. XII. 13. Mich. II 5. Act. VIII. 21. 1. Petr. V. 3. Ex quibus Edon Neuhusius in sacris

fati-

fatidicis hanc collegit summam: *Sors credentium dicitur vita æterna; Sors fidelium lachrymæ ac persecutiones; Sors piorum Dominus: Psaltes Jehovam dicit sortem petitionis suæ: alibi suas sortes Dei manibus committit: Deus apud Prophetam impiorum fore sortem minatur, ut disseminet eos quasi stipulam. Apostolus gentes ad Deum conversas sortem habituras dicit inter eos, qui sanctificati sunt per fidem. Alibi fideles sorte vocatos & dignos factos in partem sortis sanctorum.* Eodem sensu ibidem *prædestinatio ad salutem* D. Augustino *electorum sors* dicitur; quod illa *extra ipsorum merita, divinæ gratiæ propensione tanquam sortitò illis obtigerit. Quod aliàs per se malum est, his non gaudet.* Huc ex Sacris illa loca referenda sunt, quæ quidem sortitionis vocabulum non exprimunt, res tamen ipsa ibi indicata perspicuum sortitionis exemplum & quædam est species. Num. XVII. præcipiuntur â Deo sumi duodecim baculi seu virgæ, nominibus duodecim tribuum notandæ, ut inde, quam tribum Numen Cœleste ad perpetuum summi Sacerdotij jus elegerit, cognoscatur. Jos. VII. Achan deprehenditur causa esse cladis ingentis in Israel: 1.Sam.X. 20,21. Saul sorte (quamvis vox ipsa heic non habeatur) eligitur, & confirmatur Rex. Luc.I. 9. de Zacharia dicitur, ἔλαχε τῦ θυμιάσαι. Quæ omnia dilucidius suis in locis explicaturi sumus, ut videri possit, quam crebro usu sortes apud Veteres viguerint, quantæque res iis fuerint commissæ.

CAP. III.

Quis sortes usurparit?

§. I.

TAnta apud Veteres ferè omnes sortium veneratio extitit, ut Deos ipsos, superos, inferos, & terrestres iisdem crederent usos esse, atque tantoperè dignatos, ut judicia sua circa res arduas, & vel ipsorummet gloriam, vel humani generis salutem attinentes, ad illas exigerent, & quævis gravissima negotia ad earum arbitrium revocarent. Sic de Deo suo Judæi, sic gentiles de suis Diis existimarunt. Illi enim Deum super septuaginta mundi populis sortes jecisse, atque Israeliticum hoc medio ipsi cecidisse gloriantur. Baal hatturim ad Lev. 16. וגורל ב' במסר' וגורל אחד לעזאזל· וגורל לבזזינו דהיינו המן שנאמ' בו ויבז בעיניו והפיל גורלות על ישראל ואמר הק"בה אינני שוה לך כבר הפלתי גורלות ונפל חבלי בישראל מכל שבעים אומות וזהו שכתוב גורל אחד לי' וגורל אחד לעזאזל שמכפר עונותם של ישר' דכתי'ב ונשא עונותם עונות תם הוא מכפר; *Et sors: bis extat vox hæc in S. Codice secundum Masoram; scil hic* Lev. XVI. וגורל *& sors una pro Asasel. Insuper Jes* XVII. 14. וגורל *& sors diripientium nos: is verò est Haman, diripiens seu contemnens nos, ut dicitur in libro Esther, Et contemsit in oculis suis, & projecit sortes super Israele. Cui Deus regessit, Tibi non est integrum hoc; si quidem jam p idem ego ante te projeci sortes, cecidit q3 portio mea in Israel ex omnibus*

bus septuaginta populis. Id ipsum est, quod scribitur: Sors una Domino, & sors una Asaseli, qui nimirum expiare debet peccata Israelitarum, ut ibidem scribitur: Et portabit iniquitates illorum עונותם, q. d. עונות תם, *iniquitates justi.* Deum sortitum esse super populo & aliis, Medrasch etiam Rabbah & Ialkut memorant. Sic enim in Echa Rabbah seu Medrasch Threnorum, fol. ז. 1. locum Ezech. XXIV. 6. exponunt: לא נפל עליה גור ל"אמר הק"בה בשעה שהפלתי קלסים על אומות העולם להגלותם לא גלו ואתם למה גליתם? כי דמרה בתוכה וגו' *Non cecidit super ea sors: Dicebat Deus O. M. tempore quo projeci sortes super populis mundi, ut captivi abducerentur, illi non abducti sunt, sed vos cur abducti estis? Quia sanguis ejus erat intra eum,* &c. Facile crediderim, non simpliciter hæc & crudè intelligi à Judæis, ac si tesseris, talis, schedulis, glebis, &c. luserit, sed singulari aliquo & Deum decenti modo: respexerunt forte ad Deut. XXXII. 8. בהנחל עליון גוים, id est, interprete Munstero, *Cum veluti sorte divideret Altissimus gentes, & cum separaret filios hominum, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel, vers. 9. quoniam pars Domini est populus ejus, & Jacob funiculus hæreditatis ejus.* Hic vocem Hebræam חבל Jonathan reddit עדב, *sors.* Et Aben-Esra quoque חבל כמו גורל, *chébhel idem est ac sors.* Imò claris verbis Jesajas Propheta Cap. XXXIV. 17. Deo projectionem sortis attribuit, scribens: *Et ipse jecit pro illis sortem,* &c. quæ metaphoricam ad propriæ sortitionis ritum allusionem esse, quilibet opinor ultro cognoscet.

§. 2. Non omnino dissimili sensu Ethnici de suis Diis finxerunt sortitionem. Id apud Poëtas & mythologos crebro occurrit; sortitum Plutonem, cùm fratribus sorti hæreditatem submittere placuisset, nemo ignorat, Rosinus ex Veterum monumentis tradit Antiq. Rom. l. 2. Paral. ad Cap. XIII. & prodidere Diod. Sic. l. 4. Biblioth. & Homerus l. 15. Iliad. Servius ad l. 1. Æn. *Jupiter & Neptunus & DIs pater, Saturni & Opis filij, cum de mundi positione certamen iniissent, placuit, ut Imperium sorte dividerent, ita effectum est, ut Cœlum Jupiter, maria Neptunus, DIs pater inferos sortirentur.* Pro *positione* Rosinus vel Dempsterus potius ducit legendum esse *possessione*: forsan commodè legeretur *dispositione*. Sic idem Servius ad Æn. 10. verba:

Hæc intentata manebat.

Sors Regum:

notat: i. e. *Regum, nam per sortem inter se fratres, Jupiter, Neptunus, & Pluton mundi regna diviserunt.* Manifestum id ex lib. 1. Æn. ubi ipse Neptunus invectus in Æolum, ad Eurum Zephyrumque:

Maturate fugam: Regiq; hæc dicite vestro:
Non illi imperium pelagi, sævumq; tridentem
Sed mihi sorte datum, tenet ille immania saxa.

Pariter Juvenalis, Satyr. 3.

Nondum aliquis sortitus triste profundi
Imperium:

ad quæ vet. Schol. *Cum adhuc nec Jupiter regnum cœleste teneret, nec Neptunus mare, nec Pluton infera cum Proserpina.* Virgilius iterum in Æthna:

In maria ac terras, & sidera sors data, Cœlo

Pri-

Prima, secuta maris, deseditq; (alij subseditq́ue)
infima tellus.

Plurima ejusmodi congessit Rosinus ex Luctatio Euchemero, sive Lactantio potius, Claudiano, Valerio Flacco, Sil. Italico, Alb. Tibullo, Ausonio, Ovidio, Seneca; quæ transcribere omnia non lubet. Id Vincentius Chartarius, in imaginibus Deorum, qui ab antiquis colebantur, in titulo *Pluto*, putat intelligendum esse de Oriente, Occidente, & maris Insulis, ut Jupiter Orientem, Pluto Occidentem, Neptunus Insulas obtinuerit: Quæ verò omnia arcanos habere sensus putantur, & ad antiquitatis exempla respicere; regna aliaq́ue sorte dividentis; Porro Jupiter fata hominibus sortiri dicitur à Virg. l. 3. Æn.

Sic fata Deum Rex
Sortitur, volvitq́; vices, hic vertitur ordo.

Alluditur ad ritum sortitionis, qua cuilibet sua assignatur portio. De Divino ad sortes concursu & regimine postmodum sequetur.

§. 3. Ut verò Dij imperia sorte acceperunt, sic eadem quoq́ue sorte administrarunt. De Jove audivimus; Confer quæ de sortibus Oraculorum alibi dicemus. Inprimis Pluto, Judex infernalis, qui ut quilibet juxta promerita justas pœnas aut digna prœmia consequatur, tres æquissimos judices habere fingitur, qui inferorum judicio præsint, quorum unus dicitur esse Æacus, alter Minos, tertius Rhadamantus, ut Vinc. Chartarius in Plutone scribit, ex Platone postmodum ulterius de judiciis istis disserens. Sorte verò uti Deos inferos, ubiq́ue in Poëtis obvium.

vium. De Æaco Papinius Statius, & ex hoc Rosinus lib. 9. antiq. Rom. in paralip.

Quicquid habet ortum, finem timet, ibimus omnes,
Ibimus, immensis urnam quatit Æacus umbris.

lib. 2. fil. 1. & lib. 3. fil. 3.

Inferno rigidum timet Æacon urna.

Ovidius in Ibin, postquam trium Furiarum infernalium cruciatus fuisset imprecatus, addit:

Noxia mille modis lacerabitur umbra: tuasq;
Æacus in pœnas ingeniosus erit.

Huc alludit Sept. Propertius, l. 4. eleg. 12.

Aut si quis posita judex sedet Æacus urna,
In mea sortita judicet ossa pila.

De altero, Minos dicto, sæpius Poëtæ & alij. Virgilius l. 6. Æn. ubi cum damnatorum diversa loca recensuisset, subjungit:

Nec verò hæ sine sorte datæ, sine judice sedes:
Quæsitor Minos urnam movet.

ubi Servius: *Quæsitor*, ait, *propriè is est, qui exercendis quæstionibus præest.* Donatus ibidem: *Quæsitor Minos & inquirendi, & agitandæ urnæ habet potestatem.* Videatur Dempsterus ad Rosinum, in paral. ad lib. 9. Statius lib. 8. Thebaid.

Crimine non ullo subeo nova fata, nec alma
Sic merui de luce rapi, scit judicis urna
Dictæi, verumq; potest deprendere Minos.

Claudianus l. 2. de raptu, ad finem:

Urna nec incertas versat Minoïa sortes.

Idem Minos aliis etiam vocabulis vocatur, ut in his Statij verbis, lib. 4. Theb.

In speculis mors atra sedet, Dominiq; silentis
Adnumerat populos, major super eminet ordo,
Arbiter

Arbiter hos dura versat Gortynius urna
Vera nimis poscens, adigitq3 expromere vitas
Usq3 retro, & tandem pœnarum lucra fateri.

Arbiter Gortynius idem forte ac quæsitor Minos. Gortyna enim urbs erat Cretæ, unde Minos oriundus. Sic etiam Claudianus, cujus verba mox proferemus, Minois ceu exactoris criminum meminit, unde crudelis habitus est judex, ut Servius ad verba Virgilij allegata modo notat: *Inducit Minoa tanquam crudelem, quod epitheton Plato & Homerus ei dant.* Tertius infernalis judex & Æaci Minoisque frater est Rhadamantus, ut in his Claudiani verbis habetur,

Quæsitor in alto
Conspicuus solio pertentat crimina Minos,
Et justis dirimit sontes, quos nolle fateri
Prospicit, ad mala mox transmittit verbera fratris.
Nam juxta Rhadamantus agit: Congesta suprema
Curriculi, totosq3 diu prospexerit actus
Exæquat damnum meritis.

Ad Rhadamanti hujus judicium respici puto à Seneca & Pap. Statio, quorum ille in Agamemnone ait, act. 1. sc. 1.

Quæsitor urna Gnossius versat reos.

Hic lib. 2. Theb.

I mecum ad manes, illic quoq3 pacta reposcam
Si modo Agenorei stat Gnossia judicis urna.

Quod si verò quis ad Minoëm potiùs referat, quia Minos inter alias Cretæ urbes Gnosum quoque condidit, nihil refert: quod autem ad Rhadamantum refero, ex Virgilio habeo, qui lib. 6. Æn.

Gnos-

Gnoßius hæc Rhadamanthus habet durißima regna,
Caßigatq; auditq; dolos, ſubigitq; fateri.

Videant alij; nos quia mythologica ſunt, quamvis in receſſu momentum habentia, mittimus, hiſtorica potius ſectaturi.

§. 4. Verè autem ſortiti ab ævi initiis Dij terreſtres. Cæſares, Reges, Imperatores militares, Principes, & quilibet Magiſtratus, judicesque, Sacerdotes, & omnis generis homines, ſive Ethnici, ſive Judæi, ſive Chriſtiani, & omnis fere natio, Ægyptij, Babylonij, Græci, Latini, Hebræi, Itali, Hiſpani, Germani, &c. inquit Stengelius, ſortiti ſunt veteres, ſortiuntur novi, in templis, & ſacris ædibus, Curiis, Caſtris, domibus, plateis, & ubi non? quæ omnia ex ſequentibus porro fient illuſtriora.

CAP. IV.

De Cœleſti ſortium gubernatione in genere; & Divina in ſpecie.

§. 1.

MAgna utique ſortibus ex tam longo venerandæ antiquitatis uſu accedit dignitas; major, quod Deum authorem habere cre-

creduntur, unde vulgò *Divinæ* appellari consueverunt: quamvis enim non clara alicubi extet historia, ex qua, quando, quo loco, quo authore, quave alia conditione fuerint inventæ, liquidò cognoscere possimus, divinæ tamen originis esse, vix quisquam negare queat. Gentile quidem figmentum est, quod de fonte Lycio, sortes antiquissimis characteribus notatas fundente, contendunt; eô tamen ipso fabulæ authores significare voluerunt, sortes divinum & antiquissimum habere ortum. Sortium enim characteres antiquissimi, è terræ visceribus cum ipsa fontis scaturigine ebullientes, earum originem & vetustatem arguunt. Nec id negabit Doctor aliquis ex Synagoga Israël, quippe cùm sortitionem sciat à Deo ipso præceptam, cultui sacro illatam, inque gravissimis negotiis consultam, cui alij quam Deo authori ibit ascriptum? eandem enim Numen vel cordi sapientis viri indidit, sive expresso mandato præscripsit, sive alio documento monstravit. Maxima verò authoritas sortibus conciliatur ex ipsius O. Maximi Numinis superna moderatione, qua vel in mixtione, vel eductione, vel applicatione, cœlitus disponuntur, & præter humanas actiones arcani cujusdam concursus & influxus sive dispensationis, præsertim in consultoria & divisoria, interventu evehuntur, quô sortitionis effectus & judicium redditur certissimum, divinæque veritati æquiparandum, ut Henr. Corn. Agr. à Nettysh. l. 2. c. 53. occult. Philos. ex priscorum doctrinis tradit: *Naturalium sortilegiorum vis aliunde esse non potest,*

test, quam à Cœlo, atq; ab animo illa operantis: siquidem quicquid in his inferioribus aliquo motu movetur, agitatur, & producitur, necesse est, Superiorum motus influxusq; imitari, ad quos velut ad radices & causas atq; signa cum reductum fuerit, eorundem nobis tunc ex astrologicis regulis indicat sententiam. Quis enim rei mutæ, surdæ, cæcæ, irrationali, sensu omni destitutæ, arcanorum notitiam tribuit, quam ipsi Sapientissimi, qui sortibus utebantur, judices, non habebant? quomodo fors in historia Achan, Saulis, Jonathanis, Jonæ, &c. sine supernæ intelligentiæ influxu cognoverit, quis horum anathematis reus, quis pridem Divinitus ad regnum electus, quis exortæ procellæ causam dederit, &c. quis tesseris, schedulis, calculis, vel quibuscunq; sortibus, ex ligno, lapide, auro, argento, papyro, &c. confectis divina revelavit consilia, prædixit rerum contingentium fata, detexit in occulto patrata facinora? breviter, qui sortes intellectu & mente carentes sciverunt ea, quæ homines prudentes ignorarunt? Atque hinc *quæcunq; per sortem divinationes ac eventuum humanorum sunt prædictiones, causam certè aliquam sublimem & latentem habere necesse est, quæ quidem non erit causa per accidens, qualem Aristoteles fortunam descripsit; siquidem in serie causarum, cum secundum Platonicos causa per accidens nunquam possit esse prima & sufficiens causa, oportet nos altius speculari, & invenire causam, quæ effectum ipsum cognoscat atq; intendat. Hanc autem non in corporea natura, sed in substantiis immaterialibus & incorporeis, quæ revera sortem administrant, & ad veritatis indicium dispensant, collocare necesse est, ut in humanis*

manis animis, aut separatis spiritibus & dæmonibus, aut in cœlestibus intelligentiis, vel in ipso Deo, ut philosophatur C. Agr. l. c. c. 54. lib. 2. *Nam ne fortuitas* (ita Peucerus de sortibus) *sine eâ ratione & deliberatione constitutas notas illos arguere eventus largiantur, quos causæ pariunt & moderantur ordinatæ: neve temerè prorsus & sine lege, cura, autore, notas quoq; ipsas evenire concedant, cùm fortuitum omne à causa quapiam latente procedat & dirigatur; fingunt sortilionem, seu notarum figurarumq; significantium, aut constitutionem, aut collectionem, rei propositæ accommodatam, ab aliquo gubernari numine.* Id quod in utraque & Judæorum & Gentilium schola ceu dogma verissimum, probabitur, & utraque manu acceptabitur; quod per singulos superiorum rectorum hujus mundi ordines percurrendo, plenius lubet recognoscere.

§. 2. Itaque quæ hactenus universim de superno aliquo gubernatore dicta sunt, primò omnium & in specie ad Deum, supremum rerum omnium motorem & moderatorem, reducenda: ei enim sortium curam esse, & præsentissima temperatione eas regere, ita verum est, ut S. ipsa pagina disertis id affirmet verbis: sic enim Salomo Prov. XVI. 33. גורל *in sinu projicitur sors, sed à Deo omne ejus judicium.* Non de sorte tantùm hîc habetur sermo, & de divino ejus judicio; sed & modi sortiendi vestigium apparet. Dicitur enim sors in sinum projici: quod quidam intelligunt de sinu urnæ, in quam sortes conjiciuntur, judicium verò sortis exponunt de extractione. Sic Chaldæus: בעובא, *in sinum*

consilij (urnæ, quæ consulitur in rebus dubiis) cadit sors & ex Deo exit judicium ejus. Ex hoc loco docet R. Levi Ben Gerson, sortium judicium non esse per accidens aut fortuitum, sed à Deo יש דברים יחשוב שיהיה חדושם קרי והזדמן ובהם באמת הגבלה וסדור מ"השי בחיק וזה כי הגורל יוטל בחיק ויחשוב שיהיה משפטו בדרך מקרי והנה תמצא כי מי"כל משפטו וזה מפורסם מענין הגורל בספורי דברי הנבואה וכו': sunt quædam res, quarum renovatio & mutatio putatur accidentalis & contingens seu fortuita; in quibus tamen revera est aliqua determinatio & dispositio à Deo. In sinu, sic dicitur, quod sors projicitur in sinum seu urnam, & judicium eius habetur accidentale: vides autem, omne ejus judicium à Deo esse, quod ex eo manifestum est, quia res sortium recensetur inter res prophetias; itaq; quum videamus, iis, qui prosperantur fortuna, contingere optimum quodq; per sortem, iis autem, qui infeliciter vivunt, contrarium evenire, huic esfato & sententiæ insistendum est. Innuit opinor historias sortitionum in S. pagina occurrentes, in quibus manifesta Divinæ circa sortes occupatæ curæ habentur indicia: nec id per modum regiminis divini generalem, quo res omnes moventur, vivunt & sustentantur: sed specialem, singularis concursus & dispositionis, qua rem aliter, quam forte fortuna seu naturaliter fluxisset, ordine, dirigit Numen Terbenedictum.

§. 3. Videamus quædam exempla ipsa; ex quibus duorum hircorum satis est perspicuum, maximè si Doctorum Talmudicorum traditio, non omninò flocci pendenda, sibi constet, quâ sors Domini tempore adhuc Simeonis Justi semper

semper dextræ Sacerdotis M. extrahentis infaustum omen obvenisse, aliâs quandoque dextra, quandoque in omen infelix, sinistrâ educta fuisse, & lingua etiam coccinea miraculose, si Numen foret propitium, albuisse: si verò iratus esset Deus, rubra mansisse eadem perhibetur: qua ratione Dei, singulari propinquitate sortitionem atque totum negotium, præter naturæ fluxum gubernantis, concursum liquido asserunt. Quinimo divinam huic sortitioni intimè conjunctam præsentiam ex ipsis *S.* textûs visceribus eruit Doctissimus Rabbinorum Bechai, in perusch suo ad h. l. Probaturus enim, hircum Asaseli destinatum & in desertum abactum, non eidem Asaseli per idololatriam immolatum, sed Dei nihilominùs fuisse sacrificium, ita differit fol. 146. col. 3. 4. היו השעירים האלה שניהם מתנה לשם יתעלה לבאר שאין כוונתנו בשניהם כי אם לשם המיוחד בלבד ולכך הידה הכהן עושה בהן בתחלת מעשיו שני דברים אלו הידה נותן שניהם מתנה לשם יתעלה והידה מטיל עליהם גורלות לפי שחדבר הנחלק על ידי גורל הוא החלק הבא מאת ה׳כענין שכתוב בחיק יוטל הגורל ומי׳ כל משפטו כי אלו הידה הכהן מקדיש אותן בפה ואומר עליהם זה לי׳ וזה לעזאזל הידה משוה ענין לענין והידה הענין כעין עבודה לעזאזל ולא יתכן להעשות כן אבל עתה שהידה על פי הגוף הנה הש׳ נותן השעיר ההוא לעזאזל ומאתו בא אליו והנא יבחד ולא אנו: *Uterq; hircus iste erat, oblatio Domini O. M. ad indicandum, non debere nos aliter cogitare de utroq;, quam soli Deo Bened. esse oblatum, atq; ideò Sacerdos statim ab initio hujus operis duas res istas fecit; nimirum obtulit utrunq; hircorum in oblationem Deo O.*

M. & projiciebat sortes super illis: res enim illa, quæ operâ sortitionis dividitur, est portio quæ à Domino venit, uti scriptum extat: In sinu projicitur sors, & à Deo omnis ejus causa. Quod si enim Sacerdos ipse oretenus sanctificasset eos, dicens: Hic (hircus) est Dei; & hic est Asaselis, tum utramq; rem similem fecisset (Asaseli æquè ac Deo hircum offerens) eoq; ipso cultum Asaseli quasi fecisset, quomodo autem non facere licet. Jam verò cùm mediô sortis hoc factum sit, en Deus ipse Asaseli hircum dedicat, atq; ita ab ipso (Deo) veniebat (hircus) ad eum, sicq; ipse Deus electionem faciebat, non nos.

§. 4. Quis aliter sentiat de sacra ἐμβδομαντείᾳ, qua Deus uti jussit, ut per eam, duodecim virgarum sortem, in sacrario coram facie Dei per noctem repositarum, exploraretur, quænam familia sacerdotio perpetuo digna habenda sit? Quis sine singulari Dei gubernatione factum puteret, ut una Aaronis virga floreret, fructusque ferret, cæteris manentibus aridis, & sterilibus? Cùm tamen, ut Hebræi quidem non absurdè judicant, de una amygdali arbore omnes deceptæ essent; unde Hebræi meritò inter miraculosa Dei opera eandem germinationem referunt, ut iterum Bechai annotat: למדך מכתוב שפריחת המטה היה אות ומופת על הלויה והנה נתבאר בכל האותות האלה כי נבואת משה אמתית וקיימת ונשתברו דברי החולקים המסתפקים בדברי משה האומרים עליו כי הוא היה עושה המעשים מדעתו ואז ידעו בברור כי הכל מאת התם ית: Docet te Scriptura, germinationem virgæ hujus fuisse miraculosam, propter Leviatum: atq; ex his miraculis omnibus manifestum est, officium Mosis propheticum, verissimum & rectissimum fuisse, è contra

verba

Verba adversantium, atq; dubitantium de verbis Mosis dicentiumq;, eum opera sua facere ex proprio sensu & licentia, irrita esse & vana, atq; manifesto cognoscere debere, quod totum sit à Deo O. M.

§. 5. Nec minùs illustre Divinæ sortium temperationis exemplum est sortilegium, quo terra sancta fuit olim divisa: quippe diserto mandato hanc divisionem per sortem fieri jussit Deus, & coram se ipso, in loco solenni, sacro, ubi Deus erat præsentissimus, ceu actionis totius præses justissimus. In primis id patet ex miraculosa & exacta sortium extractarum, cum adhibito oraculi Urim & Thummim responso, convenientia: quomodo enim, nisi arcana accessisset sortium in urna commixtio, vel in extractione gubernatio, fieri potuisset, ut Sacerdote Summo ex inspecto pectorali vaticinante, & dicente: Ascendat tribus, Juda, Ruben, Gad, Issaschar, &c. & cum illa terminus N. N. N. N. &c. semper ita, ut dictum, factum? semper, inquam, nomina tribuum eo ordine, quo jubebantur, ex urna una, quæ simul omnium complectebatur nomina, schedulis inscripta exirent, ex altera schedæ terminorum, eodem quoque ordine per manus Sacerdotis, vel alius præpositi, extraherentur? ומאי דנקטינהו שלא כסדר לפי שאין עולה שום גורל על הסדר אלא ע"י מקרה: *Atq; hoc ideò, quod non sustulerunt eas* (schedas ex urna) *secundum seriem seu ordine, quia nulla sors secundum ordinem ascendere debet, sed per modum fortuitum*, ut sine discrimine manui extrahendi obveniebant, ut ajunt Commentatores Talmudici in Babh. Bathr. fol. 122. 1 in

gloſſa. Id eo dilucidius inde probatur, quod, ut d. l. Talmudici referunt, Sacerdos per Spiritum S. ita nomina tribuum & terminorum, uti dictum, denominavit: quoties enim pectorale inſpexit, Spiritus S. per illud, id eſt, lapides, & urim & th. intra pectorale, internamque inſpirationem & afflatum, reſpondit, quid ex urnis egredi deberet, vel egreſſum eſſet. Quod autem aliqui ajunt, ſortes ipſas fuiſſe locutas, id ſomnium eſt: ſufficiebat abundè, ſi Spiritus S. per Sacerdotem Eleaſar locutus fuit, quomodo & gloſſa Talmudica d. l. ait: אך בגורל ונו' בלא הוצאת דבור מפי׳ *Veruntamen per ſortem, &c. abſq; pronunciatione verbi alicujus ex ore ſuo.*

§. 6. In ſortitione, qua Achani ſcelus detectum, res itidem ex S. Literis eſt clariſſima. Dicitur enim Joſ. VII. 14. 15. tribus, domus, vir, ſorte captus, ab ipſo Domino deprehenſus. Quæcunque tum ſortitionis ſpecies fuerit adhibita, à Deo præcepta, à Deo diſpoſita, in loco ſolenni, à perſonis ſacris, nec ſine urim & th. ſeu oraculo divino adminiſtrata fuit. Quæ ratio quoque in ſortitione Samuelis, Saulem Regem eligentis, & populo præficientis, valet: nam & illic Deus per Urim & th. conſultus, reſponſum dedit, atque ut ſortes ductæ idem confirmarent, effecit. Plura quidem ſigna jam tum anteceſſerant, quibus in Regem Iſraël à Deo deſignabatur Saulus: ut verò populi, in varia ſemper & ſæpè contraria ſtudia proclivis, animis ſatisfieret, omnique oblocutioni præſcinderetur occaſio, ſignis propheticis hoc quoque accedere voluit Samuel, quod ex antiquiſſimo

quissimo & religioso usu erat venerabile. Quis autem sedes sorti, urnæ inclusæ, suggessit, quænam ex tot millibus ea esset persona, quam Deus regno destinaverat jam ante? quis, nisi arcanum in eadem urna exercens regimen, Spiritus S?

§. 7. Quilibet, spero, Hebræis de sortibus allegatis ita sentientibus facilem præbebit assensum; quippe easdem à Deo præceptas novimus, à viris entheis administratas, in locis publicis & cultui Divino sacratis, successibus quoque in rebus ambiguis & gravibus commendatas: at difficiliores & morosiores se forsan multi exhibebunt in sortitionibus impiorum, qualis fuit Saulis præcepto instituta, primùm inter se & populum, deinde verò, populô innoxiô, inter se solum & Jonathanem filium. Non iste modo Saul à Divinarum Legum recto tramite inobedientiâ declinare cœperat, sed & factum ipsum adjurationis, à proprio filio Jonathane improbatum, magno partæ victoriæ detrimento constiterat: Irati insuper Numinis indicium satis manifestum erat negatum per Urim & th. responsum. Jonathan etiam, quippe paternæ dejerationis ignarus omni culpa vacare videtur. An igitur nihilo secius Deus per sortes impij invisique Regis respondisse putandus est, ei præsertim, quem responso per Urim ante habebat indignum? Verum hæc quomodocunque se habeant, confidenter assevero, Deum respondisse per sortes Sauli & populo, atque ita Jonathanem prodidisse reum anathematis. Quanquam enim incautum erat maledictum, ratum tamen esse voluit Deus,

fecitque, culpa imprudenter jurantis, vel oblatione, Lev.4.5. vel pœna & damno aliquo luenda; & cognoscitur inde, quanta vis olim esset semel facti juramenti & anathematis. Confer Jos. VII.12.13. Jos.VI.26. cum 1.Reg.XVI.34. Talem quoque rationem fuisse sortium ajo, quarum sacer & in rebus dubiis infallibilis usus jam in populo Dei multa retro secula obtinuit, & certitudinem Deus nolebat infringere, & ob Saulis imprudentiam facere suspectam, Jonathanis interim vitæ salutique alia ratione consulens, & periculum intentatum declinans: quem enim sors anathematis obnoxium designavit, eum totus populus ob præstitum beneficium & facinus heroicum, toti regno salubre, Divino instigante Spiritu, incolumem esse voluit, & ab imminenti supplicio vindicare, quia ipse Deus quoque imprudenter facta vota rescindendi potestatem dedit Israëlitis, Lev.V. Etsi enim hîc persona sortiens erat minus quoad vitam pia; votumque incogitanter susceptum à Saule; persona tamen Saulis erat publicæ regiæque authoritatis, & à parte pij Jonathanis vitæ periculum instabat, totiusque actionis finis ultimus erat veritas & justitia, gloriaque Dei, cujus major habebatur ratio, quam impij Saulis. Anne novum quid & Deo in suis statutis semper fideli manenti insolitum, vim verbi sui & sacramentorum ratam habere, divinæque veritati suæ immurabiliter insistere, hominibus licet impiè indigneque Deo adversantibus? Non equidem ignoro, esse quosdam, eosque magni nominis Viros, qui ajunt, sortem

in

in Saulem potiùs, quippe offensi Numinis causam, non autem innoxium Jonathanem debuisse cadere, non factum verò fuisse hoc, quia *novit Dominus ingenium vulgi, quod propensissimum sit ad congerenda maledicta & execrationes in Magistratus suos, & ad detrectandam levissimis de causis obedientiam. Ne igitur Christum suum Saulus subditorum maledictis objiciat, neve ejus inobedientia causam præbeat, Jonathan magis, quam Saulem sorte notat, quare fit, ut prudentes quidem satis dilucide intelligant, Saulem, non Jonathanem adversus Deum peccasse, vulgus autem imprudens non habeat ullam occasionem debacchandi maledictis, & obedientiam legitimo Magistratui detrectandi.* Sed simplicius & historiæ S. propius est, si dicamus, omnino sortem rectà Jonathanem cepisse ceu transgressorem, quamvis insciùm, regiæ execrationis & anathematis violatorem; eum enim sorte inquirit Saul, pro more antiquitus tradito, & invenit, non diffitentem reum, culpamque liberè in se recipientem; quod unicè etiam & seriò Saul Deum rogabat, dicens: *Cedò rectitudines*, i. e. sorte indica mihi veritatem. Tria enim sortitione ista in firmitatem suam asserta sunt, Veritas facti, Supremi Magistratûs regia authoritas, cujus edicti violatio negato ulteriori felicis victoriæ progressu, & silentio Urim vindicabatur; sortium denique legitimarum infallibilitas. Sed vel sic Divina sortium gubernatio sibi constat, si dicatur Deus consultò sortes eò direxisse, ut Jonathan, non Saul, caperetur.

§. 8. Sed iterum aliud genus sortitionis occurrit, apud gentiles nimirum, quos æquè ac

Hebræos sortitos esse, est notorium. De horum ergò sortilegio quæstio est, an & illud cœlitus fuerit temperatum, & ad verum usum seu veritatis cognoscendæ, seu divinæ voluntatis in rebus anxiis manifestandæ? Ad quod non simpliciter responderi potest; sed distinguendum inter sortes 1. purè Israëliticas. 2. purè Ethnicas. 3. mixtas. Has intelligo, quæ sive ad personas sortientes, sive rem, de qua fit sortitio, utramque gentem attinet. v. g. sortitio nautarum Joppensium, de qua in Jona, mixta erat persona Israëlitica, Propheta Jona; Nebucadnezaris autem reipsa, ad Israelitas pertinente; consulebat enim sortes, num Hierosolyma, an aliam urbem vellet oppugnare? Quod si jam judicium ferendum, quid de istis sortilegiis sentiendum? Resp. sortes merè Israëliticas, in rebus gravibus, loco sacro, & à personis legitimis consultas omnino Deum habuisse moderatorem, ut superius dictum: sortes autem purè Ethnicas, ceu idololatricas & diabolicas, divina gubernatione minimè potuisse gaudere, nisi quoad generalem tantùm concursum, qui in omnibus actionibus humanis. Mixtæ, sires essent gravioris momenti, similiter Deum singulari influxu & assistentia præsentem habebant; quo referendæ sortes aliorum piorum, etsi non sint Israëliticæ familiæ. Exempla mixtarum præcipua sunt nautarum, uti dictum, Joppensium, habentium secum in navi Propheram Jonam, transfugam è vocationis suæ castris. Horum sortitionem, à Deo, supremo rerum Rectore, gubernatam fuisse, planè nullum

est

est dubium; exitus enim illud arguit, & preces calidæ ad Deum fusæ, in tanto naufragij discrimine. Fuerunt quidem ijdem nautæ Ethnici, veri tamen Dei, Cœli, terræ, marisque Creatoris, cultores non impij, quamvis fortè non omninò ab alieni cultûs fæce puri. Sanè non desunt in sacris exempla hominum & integrorum etiam populorum, qui in verum Deum credentes, eundem habuerunt propitium, & varia ratione propinquum, quandoque etiam miraculis se manifestantem, licet neque Judæi, neque Proselyti essent: atque ejusmodi fuisse nautas illos, ex ipso textu non obscurè colligitur. Sed quicquid sit cum his, intererat ceu reus Propheta, ad magnum totius urbis Ninive convertendæ opus reservandus, ob quem Deus antiquissimum sortium consulendarum usum noluit abolitum, sed ex more salvum. Similiter sortitionem Regis Nebucadnezaris, Ezech. XXI. 21. à Deo directam fuisse, ut versus Jerusalem caderet, ibidem innuitur, de qua infra pluribus. Jam judicium duntaxat celebris alicujus Theologi, ex Germanico Latine redditum, apponemus: *Sæpius Deus Dominus juxta ac apud opera Diaboli divinum suum opus specialiter atq; immediatè peregit: Nebucadnezar utebatur superstitioso sortilegio, sagittisq; emissis sortiebatur, ut cognosceret, quò se exercitu suo converteret, dextrorsum an lævorsum? Gubernabat Deus eandem sortem, ut caderet, quo ipse Dominus voluit. Nemo hîc dicet, eventum atq; victoriam virtute superstitiosi sortilegij factam esse.* Absagbrieff/ part. 2. quæst. 3.

§. 9. Hactenus de divino circa sortes V. Test.

Teſt. regimine, quod eò minus negandum, aut ambiguum eſt, quia Deus, præſertim in populo ſuo, innumera ejuſmodi præſentiæ ſuæ ſpecialis ſigna dedit, quæ autem in N. T. ſi non plane deſierunt, certe, veluti umbra in meridie, magnopere ſunt imminuta, poſtquam tot miraculorum gloria Divini verbi veritas & Eccleſiæ puræ ſanctitas ſatis erat firmata & toti orbi commendata. Quæritur ergo, quid de ſortibus N. Teſt. habendum? an & illis ſupremi Moderatoris manus gubernatrix interveniat, ſingulariſque influxu dirigat? Reſp. puto eandem eſſe rationem hujus rei, ac miraculoſarum ac ſpecialium aliarum actionum. Nimirum Deus O. M. præſentiſſima gratia eccleſiæ ſuæ, quam novo fœdere ſibi devinxit, non minus aſſiſtit ac olim Eccleſiæ Judaicæ, nec manus ejus mirifica hodie decurtata eſt, quin pro arbitrio & quoties libet, ſingularibus eam operibus exerat; tot vero miraculorum, & ſupra naturam patratarum actionum ſeries hodie non reperitur, aut externa gloria coruſcat, quot olim; unde vix invenias unum alterumque exemplum in hiſtoriis N. T. divinarum hujuſmodi ſortitionum. Primarium eſt, quod Act. I. 26. legitur, in electione Matthiæ, novi Apoſtoli; præter id in hiſtoria S. geminum non habetur. Hiſtoria vero Eccleſiaſtica refert, Apoſtolos poſt aſcenſionem Domini ſortitos fuiſſe, quam quisque provinciam adiret prædicatione Evangelij beandam, ut ex Ruffino l. 10. hiſt. Eccl. adducit Roſinus, vel Dempſterus ponius in paral. ad Cap. 13. l. 2. ant. Rom. quod etiam

tiam Abdias confirmat, nec non Simeon Metaphrastes, & alij; vide etiam Pol. Virg. de invent. rer. c. . l. 4. Quod si ita sit, de divina eorundem Apostolorum, sortes miscente moderatione non esset dubitandum. Similiter aperta divinæ moderationis nota erat in sortitione Augustini, quam infra adducam. Posse & alios divinæ voluntatis explorandæ modos inter sortes computari, existimat Stengelius, Cap. 1. §. 12. qualis fuerit ille, quem ex Greg. Turonensi retenset, istum: *Chlodoveus Rex dixit suis: Valdè molestè fero, quod hi Arriani partem teneant Galliarum. Eamus cum Dei adjutorio, & superatis, redigamus terram in ditionem nostram. Cumq; placuisset omnibus hic sermo, commoto exercitu, Pictavos dirigit. Ipse verò Rex direxit nuncios ad Beatam Basilicam* (S. Martini) *dicens: Ite, & forsitan aliquod victoriæ auspicium ab æde sancta suscipietis. Tunc datis muneribus, quæ loco exhiberent, ait: Si tu, Domine, adjutor mihi es, & gentem hanc incredulam, semperq; æmulam tibi, meis manibus tradere decrevisti, in ingressu Basilicæ S. Martini dignare propitius revelare, ut cognoscam, quia propitius dignaberis esse famulo tuo. Maturantibus autem pueris, & ad locum accedentibus, juxta imperium Regis, dum sanctam ingrederentur Basilicam, hanc antiphonam ex improviso primicerius qui erat, incepit:* Præcinxisti me, Domine, virtute ad Bellum, supplantasti insurgentes in me, subtus me, & inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, & odientes me dispersisti. *Quod satellites audientes, & Domino gratias agentes, & vota B. Confessori promittentes, læti renunciarunt Regi. Porrò ille cum ad fluvium Vigennam cum exercitu advenisset,*

per

per quem locum transire deberet, penitus ignorabat, intumuerat enim ab inundatione pluviarum. Cumq; ille nocte Dominum deprecatus fuisset, ut ei vadum, quo transire posset, dignaretur ostendere, mane facto, cerva miræ magnitudinis, ante eos, nutu Dei, *flumen ingrediatur, illaq; vadente, populus, quà transire posset, agnovit.* Hic sortis loco Regi fuisse votem, sub ingressum legatorum, in templo exceptam, victoriæ nunciam, & cervam ductricem, nutu Dei, ait Stengelius: cujusmodi plura §. 13. affert, de S. Ita, cervô ducta, Ignatio Lojola, mulâ, *divina providentia* ab internecione Mauri abstracto, quemadmodum Bileam asinâ, â via mala; & Saul asinos quærens, regnum invenerit, ut Philistæi duas vaccas, arcam sacram trahentes, liberè procedentes, emiserunt, &c. sic prolixam historiam Maurïtij, per sortes amissarum, post miraculosè repertarum clavium, domum redeuntis, refert §. 14. Similem de reditu Bennonis S. Episcopi, sorte piscis & clavium, ibidem allegat: ad divinas sortes refert Conversionem Basilij, ex lectione Evangelij ortam; quomodo & Ignatius Lojola, ex lectione biblica, ex milite impio factus sanctus Jesuita, Jesuitarumq; omnium Pater, 87. demum plura exempla divinarum sortium recenset, §. 8. 9. 10. 11. quibus sanctos menstruos aut patronos Cœlestes ex Apostolis elegerunt, atq; etiamnum eligere solent. Sed hæc & similia sunt vel fabulosa, vel aperte falsa, vel impertinentia, non ad sortes referenda, vel superstitiosa, anilia, idololatrica, impia, vinumq; poculi Babylonici Apoc. XVII. 2. redolentia: unde Deus nihil commercij aut singularis con-

cursus

cursus cum ittiusmodi sortibus habuit, aut habere potest, multominus eundem ducem ad eligendos è cælitibus patronos, vel infestam Jesuitarum Capucinorumve societatem eundi, monitorem vel Ignatio Lojolæ vel ulli alij fuisse, gloriari potest Jesuita Stengelius, vel quilibet alius ex hujus notæ hominibus. Bonum quidem est factum, si impius lectione S. literarum ab impietate retrahitur, fitque pius; at ex milite, aut alius legitimæ vitæ & ordinis homine, fieri Jesuitam, Capucinum, Franciscanum; est ovem mutari in lupum, ex agno fieri vulpem vel ursum. Sortium ipsarum adhibitarum modos infra narrabo. Redeo ad melioris notæ sortes à Christianis usurpatas, de quibus quærimus, an Deum habeant speciali assistentia cooperantem? quod nec temere negandum, nec sine discrimine affirmandum. Distinguendum enim inter res ludicras, leves, parvi aut nullius ponderis, hæreditarias etiam & bona corporalia, sorte dividenda; & ea, quæ sunt gravia, & ad Dei honorem, salutemque hominum directa. In prioribus, non alium quam generalem Dei concursum affirmamus; in his vero posterioribus specialem Dei gubernationem, ex arbitrio tamen suo libere concurrentem & cooperantem, asserimus. Quando ex. gr. Christiani duo aut tres exercitus contra Turcam expediti & jam conflicturi sortiuntur, quis Ducum primus signa conferat, arma impellat, faciat impetum? quis secundus, quis tertius insequatur? uti factum ajunt inter Regem Poloniæ, Electorem Saxoniæ,

&

& Bavariæ, denique Ducem Lotharingium, cum Viennam pridem obsidione Turcica liberare satagebant. Sors tum prima cecidit pro Electore Saxoniæ. Tum, uti Deus singulari gratia & auxilio Christiano exercitui adfuit, sortes quoque ab eo peculiari moderamine temperasse, dubitare nequeo, ut Dux ille animosè dicere potuerit? Deus, qui me forte ad hoc officium destinavit, addet quoq; animum, concedet vires, dabit victoriam. Cum verò de gravibus ejusmodi negotiis totius Ecclesiæ salutem concernentibus, nullum sit dubium, de minoris ponderis sortitionibus quæstio est, magis dubiæ decisionis. Pono exemplum juvenis, uxorem ducturi, ambigentis, utram virginum, Annam an Elisabetham, animi corporisq; virtutibus æquas, eligere velit in matrimonium? rem committit sortibus, duas scribens schedulas, quarum una nomine Anna, altera Elisabetha inscripta: conjicit in urnam, Deum precatur, ut suo consilio sortes gubernet, educit prima manu Annam: quæritur, an id factum sit singulari Dei dispositione, nec ne? ajo ego, factum esse singulari accedente directione, ut vulgo proclamantur novi nupti; *peculiari providentia Dei statum Conjugij ingressi sunt N. N.* Sic olim sortitus est Præfectus familias Abrahamicæ, quamvis alio sortiendi modo Gen. XXIV. 12.13. seqq. In ejusmodi exemplis ponderanda censeo 1. rei gravitatem, ut non sit ludicra, curiosa, frivola, sed necessaria. 2. personas sortientes, ut sint Deo gratæ. 3. ardentes preces debere præmitti, auxiliumq; Dei in re dubia, ardu-

dua

dua tamen, implorari. Quæ si ritè se habeant, non dubitandum, sortem quomodocunque ceciderit, à Deo fuisse temperatam; sed vide infra Cap. ult. ubi judicia & ἐπιχείσεις de sortilegiis exquisitius ponderabuntur.

§. 10. Quid verò gentiles de suis sortibus senserint, quantique æstimarint, brevibus cognoscamus: qui verò non tenuiùs de earum sanctitate & divinitate, divinatoriarum maximæ sortium, judicarunt, responsa seu eventus illarum Diis suis seu cœlestibus Numinibus vendicantes. Quod Casparus Peucerus (*quò*, judicante Matthia Berneggero in Observat. misc. observ. 27, *nemo doctius, certe copiosius pleráq; divinationum genera fuit executus*) Capite de Sortibus profert verbis: Supra Cap. 2. §. 1. jam allatis. Quod maxime intelligi videtur de sortibus divinatoriis, quæ quia præsagiendi aut vaticinandi virtute pollere credebantur, divino adscripsere afflatui & regimini. Id docet Corn. Agr. à Nettysh. de occ. Phil. l. 2. c. 54. scribens: *Sunt & alia plura sortium genera, & sunt sortes humanæ, quæ nihil habent divinationis, apud veteres, & apud nos observatæ, etiam legibus commendatæ, in deligendis Magistratibus, vitandæ invidiæ causa, de quibus etiam Cicero in Verrem mentionem fecit, quantumcunq; præsagij, divinationis aut vaticinij sortes habere comperiuntur, non propter hoc, quod sortes sunt, illud habent, sed per virtutem alicujus sublimioris operationis ipsis adjunctam.* Ipse Cicero in oratione prima in Verrem, quæ divinatio dicitur, rer sortium meminit, eisdem religionem tribuens, & Cæcilium ita alloquens:

Quid cum commiserari, conqueri, & ex illius invidia de onerare aliquid, & in te trajicere cæperit? Commemora- re quæstoris cum prætore necessitudinem constitutam? mo- rem majorum? sortis religionem? poterisne ejus orationis subire invidiam? vide modo, atq; etiam considera. Sic lib. 1. divin. *Cujus generis oracula habenda sunt, non ea, quæ æquatis sortibus diuntur, sed illa, quæ instinctu Divino afflatuq; funduntur, & si ipsa sors contemnenda non est, si & authoritatem habet vetustatis, ut hæ sunt sor- tes, quas ex terra editas accepimus: quæ tamen ductæ, ut in rem apte cadant, fieri posse credo divinitus,* vide eun- dem prolixius differentem de hac re l. 1. divin. Sic Jamblichus de mysteriis (de cujus authoris & libri vetustate quæ altercantur Docti, non mea hic facio) interprete Marsilio Ficino Florentino, p. m. 222. *Vaticinium ipsum* (quale à sortibus quoq; olim fundebatur) *nec ab arte, nec à natura, nec à na- turalibus vel animalibus rationibus motibusve efficitur: neq; fit ullo modo: sed utiq; sempiternum est, missum ad nos usq; divinitus, totaq; potestas præsaga refertur ad Deos, & omnis hujus authoritas consistit in eis atq; inde tradi- tur: divinisq; operibus signisq; perficitur.* Clara olim e- rat ejusmodi divinis sortibus Ægyptus, ut Mer- curius Trismegistus, Philosophus Ægyptius (quem quidam eundem esse ajunt, qui alias Her- mes Ægyptius vocatur, quidam autem alium, vide Seld. de DIs Syr. syntagm. 1. cap. 1.) in A- sclepio partim eo nomine celebrat Ægyptum, partim vero deplorat eandem, tantam religio- num sacrarum & mysteriorum cognitionis the- sauro olim defraudandam. *An ignoras* (ita verba habent ex interpretatione L. Apuleji Maudaren-

sis

sis philosophi) *ô Asclepi, quod Ægyptus imago sit cœli, aut quod est verius, translatio & descensio omnium quæ gubernantur atq; exercentur in cœlo? Et si dicendum est, verius terra nostra totius mundi est templum, &c. Futurum tempus est, cum appareat Ægyptios in cassum pia mente divinitatem sedula religione servasse, & omnis eorum sancta veneratio in irritum casura frustrabitur*, &c. Hujusmodi plura eodem in loco leguntur, quæ huc transferre non attinet. Lis quidem est inter doctos de authoritate antiquissimi hujus authoris, Mercurij Trismegisti, ejusque Dialogi, Asclepius dicti; eam vero vir Doctissimus, Joh. Spencerus in erudita de Urim & th. dissertatione p. 46. his verbis vindicare satagit, postquam eundem authorem *Venerabile, ob summam antiquitatem & sapientiam apud Ægyptios Caput* nominasset: *Librum autem, tanquam genuinam Trismegisti sobolem, Kircherus fide & affectu propensissimo amplectitur & exosculatur, eorumq; insolentem & intolerabilem ostentationem ingenium arrogans, & temerarium, mordaci castigat Satyra, qui authoris illius canitiem negligunt, & libro ei, tanquam ab impostore aliquo edito, fidem omnem abrogant, &c.* ut ad sortes redeamus, eandem iis cœlestem influentiam assignarunt, quam statuis vatidicis. Jamblichus iterum: *Tanta est exuperantia providentiæ, ad ostendenda nobis signa, ut etiam in calculis, virgis, lignis, lapidibus, frumento, farina, indicia præbeat futurorum, ubi mirabiliter inanimatis animam, immobilibus motum, ratione carentibus intelligentiam quandam præstare videtur, quasi hæc cognoscere videantur, ubi nobis futura portendunt*, &c. Conspicitur ethnicorum tam venerabilis sortium suarum æstimatio ex sacra & religiosa

earundem tractatione & administratione, æquè ac olim apud Hebræos observata; quorum sine dubio illi erant æmuli: ut enim hi sortiti sunt in locis sacris & solennibus, præviis precibus, per personas consecratas, adhibitis Urim & th. consultationibus; sic & pagani: quin ex Deorum suorum Collegio aliquem, Mercurium, sortibus præficiebant, uti Peucerus tradit: Sorturi calculos in urnam certo numero conjiciebant, præmisso folio oleæ, cui Ἐφῦ nomen erat, inde quod Mercurium præsidere sortibus credebant, &c. Ideoq; forsan oleæ folium præmissum, quod *eodem tempore, illo loco, ubi postea Fortunæ ædes sita fuit, mel ex olea fluxisse proditum est, aruspicesq; dixisse, summa nobilitate illas sortes futuras*, ut iterum Peucerus. Sic sortientes, Deos esse precatos, ex Plauti Casina colligitur:

OL. *Quid si fors aliter, quam voles, evenerit?*
St. *Benedice: DIs sum fretus, Deos speravimus.*
Ol. *Non ego istud verbum emsitem titivillitio*
Nam omnes mortales Deis sunt freti; sed tamen
Vidi ego DIs fretos sæpe multos decipi.
St. *Tace parumper.* Ol. *quid vis?* St. *eccum exit foras*
Chalinus intus cum sitella & sortibus.
Nunc nos collatis signis depugnabimus.

Scen. seq.

Ol. *Taceo, Deos quæso, ut quidem hodie eamum (canem) & furcam feras.*
Ch. *Mihi ut sortitio eveniat, ut quidem hercle, pedibus pendeas.*
Ol. *at tu ut oculos emungare, ex capite per nasum tuos.*

Ejus-

Ejusmodi prævias deprecationes Deorum in sortitionibus peragendis plura exempla suppeditant Homerus, Virgilius, &c. Taceo sortes sacras, Virgilianas, Homerianas, Apostolorum, &c. quæ oraculi vice fuerunt Judæis, Christianis, Ethnicis, ut suo loco dicetur.

§. 11. Non tamen semper idem honor sortibus habitus est; nec omnibus: nam consultoriam sortem non alio loco habebant, quam fortunam ipsam; unde tam frequens apud quoslibet authores sortis appellatio pro fortuna sumta, cujus sexcenta exempla ex Græcis pariter & Romanis afferri possent. Quicquid enim vel officij & honoris, vel bonorum, sorte alicui obtingebat, cæcæ id fortunæ ibant assignatum. Lis inde apud Tacitum inter duos, Helvidium & Eprium; *Eo enim senatus die, quo de Imperio Vespasiani censebant, placuerat mitti ad Principem legatos. Hinc inter Helvidium & Eprium acre jurgium. Priscus eligi nominatim à Magistratibus juratis. Marcellus urnam postulabat, quæ consulis designati sententia fuerat. Sed Marcelli studium proprius rubor excitabat, ne aliis electis posthabitus crederetur: paulatimq; per altercationem ad continuas & infestas orationes provecti sunt: quærente Helvidio, quid ita Marcellus judicium Magistratuum paveseceret? esse illi pecuniam & eloquentiam, queis multos anteiret, ni memoria flagitiorum urgeret. Sorte & urna mores non discerni, suffragia & existimationem senatus reperta, ut uniuscujusq; vitam famamq; penetrarent*, &c. Sic Seneca, de Benef. l. 6. c. 14. *Quid ergo*, inquit, *si in sortem nomina vestra conjici jussissem, & tenum nomen inter redimendos exisset, nihil deberes mihi? imo deberem, sed exiguum: quid*

sit hoc dicam: Aliquid mea causa facis, quod me ad fortunam redemtionis admittis, quod nomen meum exit, sorti debeo; quod exire potui, tibi. Aditum mihi ad beneficium tuum dedisti, cujus majorem partem fortunæ debeo: sed hoc ipsum tibi, quod fortunæ debere potui. Sortem ergo & fortunam conjungunt, se habentes quasi matrem & filiam, seu sorores, seu proxime cognatas, ambas cæcos; uti eos veteres depinxerunt, imaginemque exhibet Vincentius Chartarius in imag. vet. Deorum, ex Pacuvio, vel Cornificio, in Rhetorica ad Herennium:

Fortunam insanam esse, & cæcam, & brutam, perhibent Philosophi
Saxoq; instare globoso prædicant volubili.
Ideo quò saxum impulerit sors, eò cadere fortunam autumant, &c.

Vide etiam lepide de hac re differentem August. l. 4. c. 18. Civ Dei. & ibi notam Thomæ Valois & Nicolai Triveth. Et quanquam Deam venerabantur fortunam seu sortem, conviciabantur tamen eam ob cæcitatem & malitiam: *Toto quippe mundo & locis omnibus, omnibusq; horis, omnium vocibus, fortuna sola invocatur, & una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur: sola laudatur, sola arguitur, & cum conviciis colitur: volubilisq;, à plerisq; verò & cæca etiam existimata; vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium sola utramq; paginam facit. Adeoq; obnoxiæ sumus sortis, ut sors ipsa pro Dea sit, quâ Deus probatur incertus,* ut Plinius scribit l. 2. cap. 7. nat. hist. vide porro Gerard. Joh. Voss. de theol. gent. l. 9. c. 31. & alios passim. Divina-

vinatoriæ vero, seu, ut vocari amarunt, divinæ sortes aliquando eodem loco & religione habitæ sunt ac oracula ipsa, imo etiam oraculis certiores, inprimis Delphæ, *quæ ob perspicuitatem & certitudinem in admirationem venerunt, quod sine ambiguo sensu, sineq; obscuritate quæsita declarare persuasum erat, cum oracula pleraq; ἀσαφῆ καὶ ἀμφίβολα esse experientia coargueret*, ut Peucerus habet: deinde tandem obmutescentibus sensim oraculis, & vel falsitate vel ambiguitate verborum homines decipientibus responsis deorum gentilium, atque inde authoritate & religione eorum evanescente apud vulgus, sortium quoque divinitas collapsa est, quod Cicero jam sua ætate factum indicat, causamque evolvit, cur hoc factum sit? nesciens, ad adventum filij Dei, ceu arcæ fœderis, idolorum seu diabolorum simulachra obmutuisse, ut ei, qui solus est Patris λόγος, hic concederetur honor & locus. Vide Wolffij Lect. Mem ab initio.

CAP. V.

De

Angelorum circa sortes ministerio.

§. I.

ID, quod Henricus Corn. Agr. l. 2. c. 54. ex veterum philosophorum placitis de spirituali sor-

tium disposition ratiocinatur, scribens: *Quia non semper humano animo, sed etiam aliorum spirituum ministerio sortes nonnunquam diriguntur, nec semper dispositus est vatis animus ad eum, quem diximus, passionis excessum: hinc apud veteres mos erat, ante sortis projectionem sacra quædam præmittere, quibus divinas intelligentias & spiritus ad sortem recte dirigendam advocabant. Quantulumcunq; ergo præsagij sortes hujusmodi portendunt, non ex casu & fortuna sit oportet, sed ex causa spirituali, cujus vi movetur phantasia, aut manus sortem mittentis trahentis ve, sive illa vis prodeat ab anima operantis, per magnum affectus sui excessum, sive ab influxu & opportunitate cœlesti, sive à numine quodam aut Spiritu altrinsecus adstante, atq; movente; sive hæ sortes sitæ sint in talorum jactu, sive in tesserarum impulsu, sive in occursu versiculorum, quales erant olim sortes Homericæ & Virgilianæ.* Id, inquam, non alienum quoque est à religione Judaica: quæ enim Angeli in sortitione Hamani pro salute Hebræorum præstiterint, ex sententia Judaica, locus ex Medrasch Zabbah libri Esther infra allegandus, docebit. Per Angelos ministros omnia, quæ fiunt in hoc mundo, Deum efficere, prolixe differit R. Mose Majem. in Moreh. Nebhoch part. 2. c. 6. & 7. *Non invenies*, ait ibi, *Deum ullum opus fecisse, nisi per manus alicujus Angeli.* Iterum: *Nos hoc loco agimus tantum de Angelis, quæ sunt intelligentiæ separatæ, & dicimus, Scripturam non negare, quod Deus O. M. gubernet mundum per medium Angelorum.* Quæ stante Hebræorum doctrina, nihil certè per sortes actum dixerimus, quin Angelorum accesserit ministerium. Id exemplo quodam, sortium negotio admodum affini, declarare lubet. Referunt Hebræi,

bræi, Mosen puerum, & Regis Pharaonis adoptivum, regiam illius capitis coronam, per lusum detraxisse, sibique imposuisse, vel, ut alij tradunt, humi projectam conculcasse, atque quia malum hoc erat omen, instinctu Magorum, propè interfectum: Dei vero provida cura factum, ut apposita scutella, in qua aurum vel margaritæ, simul & prunæ erant, pueri vel simplicitas vel malitia exploraretur, suadente ita Jethrone, uti Hebræi addunt: והיה יתרו יושב ביניהן ואומר להם הנער הזה אין בו דעת אלא בחנו אותו והביאו לפניו בקערה זהוב וגחלים אם יושיט ידו בזהוב וישבו דעת והרגו אותו. ואם יושיט ידו לגחלת אין בו דעת ואין עליו משפט מות. מיד הביאו לפניו ושלח ידו ליקח הזהב ובא גבריאל ודחה את ידו ותפס את הגחלת והכניס ידו עם הגחלת לתוך פיו ונכוה לשונו וממנו נעשה כבד פה וכבד לשון; i. e. *Tum autem & Jethro intererat* (Magis Ægyptiis) *dicebatq́*: *Puer hic est, qui nullam adhuc habet cognitionem; sed probate eum, afferte ante eum in scutella aurum & prunas: si extensa manu aurum prehenderit, erit utiq́ in eo rationis usus, atq́ vobis eum occidendi jus. Sin manum extenderit ad prunam, non est in illo judicium, nec occidendi ejus justa causa. Confestim ergo attulerunt ante ipsum* (Mosen) *scutellam. Tum is emissa manu volebat arripere aurum; sed Gabriel ilico accedens repressit manum ejus, ut apprehenderet prunam, quam cum manu ori admovisset, adussit linguam, ut inde factus fuerit difficilis ore & lingua.* Ita legitur historia an fabula, an ex utroque mixta narratio, in Medrasch rabb. ad Ex. II. 10. & in Schalscheleth Nak kab. p. 11. 2. Paulo tamen aliter recensetur à Josepho l. 2. c. 5. antiq. Jud. Quicquid vero sit, fabula, an historia, an

ex utroque conflatum, quod habet de Angeli Gabrielis, manum Mosis gubernantis, assistentia, ex hypothesi dictum est, qua Angelos manus sortientium regere existimarunt Hebræi, convenientes in eo cum philosophis gentilibus, uti non diffiretur R. Mos. Majem. l. c. claris verbis tradens: *Præterea quod ait Aristoteles, istas intelligentias (quas nos dicimus Angelos) esse medios vel mediatores inter Deum & reliqua existentia, illisq; mediantibus moveri orbes cœlestes, quorum motus causa est generationis: idipsum quoq; scribitur in omnibus libris nostris.* Quod ipsum cum Philosophia Platonica conciliat.

§. 2. Quod vero in universum de Angelorum circa res mundanas cura dictum, ultrò id in specie ad sortium administrationem angelicam referri potest. Gentiles eandem statuisse, Casp. Peucerus his aperit verbis: *Quod vero fabulantur assidere stellis singulis angelicas naturas, quæ prævideant, ne in motu uspiam aut titubent, aut exorbitent, effectusq; eorundem in terrena suo judicio & arbitrio dirigant, ac dispensent: id levius est, quam ut refutandum censeam. Ortum videtur ex Commentis ethnicorum quorundam, qui primam causam à reliquarum in natura partium administratione remotam, soli primo Cœlo nexu insolubili alligant, ex cæteris orbibus peculiares intelligentias gubernatrices adjungunt: Nihil ergo nitantur divinatoriæ sortes, quove excusari possint, aut adseri, restat. Idcirco ex qua sint origine natæ, aut qua vi, quæ jactitant, conficiant, quidve tribuendum illis sit, manifestum est: & si author horum ac dispensator diabolus, significatis completis ac præstitis eventibus, authoritatem illis admirationemq; comparavit, apud profanos, & adstruxit fidem omni tempore.* Scilicet, qui nobis

nobis Angeli, & Judaeis malachim sunt, illi philosophis ethnicis intelligentiæ vocantur & dæmones: an autem verè ejusmodi intelligentiæ & dæmones gentiles boni sint Angeli, aut esse possint, longioris, quam nostrum fert institutum, est disquisitionis. vid. Henr. Corn. Agr. l. 3. c. 16. & ferè per totum librum occult. Phil. Confer Jul. Cæs. Scal. exercit: 355. & 359. Gerard. Joh. Voss. theol. gent. l. 2. c. 40. Dæmones autem, quos pagani distinguunt in bonos & malos, fortunæ, fortibus, aliisque rebus humanis præsidentes, quin mali sint Spiritus, nullus dubito, sicut Jupiter, Apollo, Mercurius, Bacchus, Venus, &c. ipsi sunt diaboli. 1. Cor. X. 20. Interim Judæorum malachim, nostri Angeli, ethnicorum dæmones & heroes, ut rerum humanarum aliâs, ita & in sortitione arbitrium tenere, & suo consilio gubernare creduntur. De differentia inter Deos, dæmones, heroes, & animas humanas, videndus Jamblichus de mysteriis; de Angelorum circa res nostras ministerio & præfectura, magnum decus Marchicum Reuchlinus, l. 3 Cab.

§. 3. Si jam, quæ vera de angelica sortium gubernatione sententia sit, requiratur, idem respondendum censeo, quod supra de divina earum directione; ubicunque enim Dei vel singularis vel generalis concursus sive asseritur, sive negatur: ibi quoque Angelorum tale ministerium putandum est. Nimirum sortes sunt similiter considerandæ, quatenus vel circa res graves consuluntur, & tunc omnino angelorum concursus non est simpliciter denegandus; si modò

modò Dei quoque providentia singularis circa easdem res regendas non sit ambigua: sunt enim Angeli ministri Dei, quorum servitio utitur in regimine suo: ubicunque ergò digitus seu manus Dei est, ibi Angelorum occupatio non excludenda. Perspicuum ergò est, nec Deum, nec Angelum, adesse sortitionibus impijs, sed Diabolum potiùs, Acherontа, Minoëm, Plutonem, Æacum, aut talem aliquem Deum Stygium eas regere, ut fit in sortibus divinatoriis, de futuris rerum eventibus, aut detegendis arcanis, & similibus. Non rejicienda sunt regulæ, quas Stengelius Cap. 2. §. 12. ex Theologis, ut ait, collegit, in sortiendo observandas: 1. *eventum non à casu aut fortuna, aut astris, sed à Deo expectandum.* 2. *Sortem debere esse simplicem, sine ulla superstitione & abusu rerum sacrarum.* 3. *Illos, qui sortiuntur, æquali jure niti oportere, alioquin enim injusta esset sortitio: posset enim sors, v. g. in officio publico assignando, cum damno Reip. & injuria digni, indigno facere, aut illi, cui de mille florenis tantùm decem deberentur, centum addicere.* 4. *Mentem præcipuam sortientium non debere esse, ut inquiatur voluntas Dei, modo extraordinario.* (*Cùm talis modus sit porsus incertus*) *sed ut tollantur lites, dissidia, querelæ, invidiæ. Atq; hinc utilitas, & propemodum etiam necessitas ejuscemodi sortium ostenditur à Salomone, dicente:* Prov. XVIII. 8. Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque dijudicat. Utinam, quas dedit cautelas, non neglexisset ipse Stengelius! non enim tam superstitiosis & idololatricis sortitionibus, Divini Numinis

minis assistentiam affinxisset fabulosisque nugis indulsisset. Sed hæc Pontificiorum pabula sunt: quærunt sibi similes labra lactucas.

CAP. VI.

De

Influxu Astrorum in sortes humanas.

§. I.

QUæ Hebræorum & Exoticorum circa hanc quæstionem doctrina sit, doctrinæque vel conspiratio vel discrepantia, ex pluribus utriusque partis documentis erui potest, patereteque hîc, si per institutum liceret, amplissimus campus de hac re differendi; sed pauca tantùm, quæ sufficere poterunt, circa sortitionum gubernationem astralem delibabimus. Duas easque diversas Hebræorum sententias de siderum influxu adducere solent, quarum prior: אין מזל לישראל *Non est sidus Israëli.* i. e. Israëlitarum fortuna seu salus non dependet ab astris. Schabb. fol. 156. 1. altera: הכל תלוי במזל *omnia dependent ab astris.* Est super hac re disputatio inter Doctores Talmudicos in loco allegato: ubi sic legitur: רבי חנינא אומר מזל מחכים מזל מעשיר ויש מזל לישראל רבי יוחנן אמר אין מזל לישראל ואזדא רבי יוחנן לטעמיה דאמר רבי יוחנן מניין שאין מזל לישר' שנאמר מה אמר ה' אל דרך הגוים אל תלמדו ומאותות השמים אל תחתו

כי יחתו הגוים מהמה גוים יחתו ולא ישראל אמר
אין מזל לישראל דאמר רב יהנדה אמר רב מויין שאין מזל
לישראל שנאמר ויוצא אותו החוצה אמר אברהם לפני
הקב"ה רבונו של עולם נסתכלתי באיצטגנינות שלי ואיני
ראוי להוליד בן אמר לו צא מאיצטגנינות שלך שאין מזל
לישראל: *Rabbi Chanina dicebat, astra facere sapientes, & divites, estq; omninò sidus Israëli. Rabbi Jochanan autem dicebat, non esse astrum Israëli. Sed R. Jochananis sententia prævaluit, quam hoc modo probavit: Quid dicit Dominus* (Jer. X. 2.) *secundum morem Gentium non discatis, & à signis cœlestibus non timeatis, quia ab his Gentiles metuunt sibi. Gentes ergò metuunt, non Israëlitæ. Rabh aliquis dicebat, non esse astrum fortunæ Israeli, quia R. Jehudah dixit, dixisse Rabh, unde probatur, non esse astrum Israëli? quia dicitur: Et eduxit illum foràs. Abraham enim dixerat coram Domino: Domine universi, filius domestici mei hæreditabit me. Respondit ei Deus: non, sed qui egredietur ex visceribus tuis. Regessit coram ipso, dicens: Omnipotens Domine, intellexi ex astronomica mea scientia, me non fore idoneum ad procreandum sobolem. Respondit ei, exi ex astrologia tua, quia Israëlitis non est astrum.* איצטגנינות in Nedarim f 32. 1. exponit Rabbenu Niffim per משפט חכמת מזלות, *judicium* seu rationem *sapientiæ astrologiæ*, quam Abrahamo Hebræi tantam attribuunt, ut Reges Orientales & Occidentales ipsum convenerint, ad discendam illam: vide Babh. B. fol. 16. 2. Jom. 28. 2. Lex. Talm. col. 156. Cœterum sententiarum diversitas facilè conciliatur apud eosdem: sic enim in Tosephos ad locum ex Schabb. adductum habetur: ע"י זכות גדול משתנה אבל פעמים וכ' *propter pietatis insignis meritum*

tum mutatur sæpè (astri comminatio) *sæpè autem non mutatur.* Sic in Moed K. fol. 28 1. docetur אמר רבא חיי בני ומזוני לא בזכותא תליא מלתא אלא במזלא תליא מלתא דהא רבא ורב חסדא תרוייהו רבנן צדיקי הוו מרמצלי ואתי מיטרא ומרמצלי ואתי מיטרא: *Rabba dicebat; per salutem filij mei, & substantiarum mearum, non à meritis dependet res, sed ab astris: ecce enim Rabbah & Rabh Chasda, ambo erant insignes pietate viri, quorum alter precabatur, & veniebat pluvia; pariter alterô quoq; deprecante Deum, veniebat pluvia;* quia scil. astra pluviam operabantur. Sic in Schabb f. 156. in glossa: יש מזל לישראל שאין תפילה וצדקה משנה את המזל אין מזל לישראל דעל ידי תפילה משתנה מזלו לטובה: *Est aliquando astrum Israëli, quod neq; preces neq; probitas vitæ immutare potest: non est astrum Israëlitis, quia per preces & pietatem astrum ejus mutatur in melius.* Videetiam in Succah, f 29. Iebham. f. 50.

§. 2. Sed pariter, ut Christianis & Ethnicis, Judæis quoque varia in hanc rem sunt capita, variique sensus; alijs eorum hanc, alijs aliam sectantibus sectam. Superiora in hæc inferiora influxum aliquem habere, inprimis Cabalistæ sentiunt; pluribus etiam hoc probare satagit Mos. Majem. in Moreh. part. 2. c. 5. & seqq. ubi plura videri possunt, ut & Archang. de Burgo Novo, in expositione Conclus. Cab Mirandulani Comitis; ex quibus summatim articulus fidei Judaicæ iste colligitur, quod *conserventur res creatæ omnipotente nutu Dei O. M. & providentia, qua ipse est Gubernator omnium Creaturarum, non tamen nisi mediantibus constellationibus & siderum posituris,* ut habet

ber magnus meus ſtudiorumque meorum Promotor, Dn. Joh. Fechtius in Eccleſ. Jud. articulo de Creatione & Providentia. Similia docere Philoſophos Gentiles, ex adductis aliquot Authoribus veteribus probat Corn. Agr. à Nett. l. 2. c. 55. Ex quibus Triſmegiſtum modo (quem Reuchl l. 2. Cab. Ægyptiorum Illuſtrem Legiſlatorem & Contemplantiſſimum Scriptorem vocat) audiamus, qui in Aſclepio ita loquitur: *Cœlum ergò, ſenſibilis Deus, adminiſtrator eſt omnium corporum, quorum augmenta detrimentaq; ſol & luna ſortiti ſunt. Cœli verò & ipſius animæ, & omnium, quæ in mundo inſunt, ipſe Gubernator eſt, qui eſt omnium Effector, Deus. A ſupra dictis enim omnibus, quorum idem Gubernator Deus, omnium frequentatio fertur influens per mundum, & per animam omnium generum, & ſpecierum omnium, perq; rerum naturam.* Videndus omninò hac ſuper re Cicero l. 2. de natura Deorum, ubi mundum non tantùm ſentientem & ſapientem, ſed Deum ipſum eſſe probat.

§. 3. Hæc ad regimen ſortium ſiderale non difficulter applicaremus, niſi & ipſi Hebræi diſertis verbis id aſſererent, uti ex Hamani ſortilegio, ab Hebræis enarrato, clarè conſtare poteſt. Quantum enim momenti ſigna cœleſtia habuerint ad ſalutem publicam Judæorum, & damnum eorundem hoſtium, ex Medraſch Rabb. libri Eſther, ſeu Megillah Rabbati promptum eſt conjicere. Omnium enim menſium ſigna pro Iſraëlitis vigilarunt & cœlitùs pugnârunt, ſortes in eorum interitum jactas, ne contra ipſos caderent, dirigentes. Nam arietis ſignum favebat ju-

Judæis propter Agnum Paschalem: Bovis, propter Josephum, qui bovi comparatur, ut & propter sacrificium bovis. Geminorum, propter geminos Pharez & Sarach. Leonis, propter Danielem & tribum Juda, leoni assimilatam. Virginis, propter virgineam pietatem Chananiæ, Misael, & Asariæ. Libræ, propter Jobi calamitates, quas librâ ponderari exoptavit. Scorpionis, propter Ezechiam, inter scorpiones habitantem. Arcûs seu Sagittarij, propter Josephum, cujus arcus in fortitudine mansit. Capræ, propter Jacobum, pellibus caprarum obtectum. Aquarij seu haustarij, propter Mosen, aquas haurientem. Solum sidus piscium (ajunt, at & Cancri nulla hic mentio) nihil pro Judæis prosperi portendere visum est. Cadunt ergò sortes pro interimendis Judæis; sed pro salute eorum nihilominus mensis ille Adar, cui præsunt pisces, & qui sortitò cecidit, dignitatem aliquam, Hamano & vulgo occultam, aliundè habebat, ex qua sideris hujus influxus Judæis auspicatus erat, hostium verò machinationes crudeles egregiè eludebat. De quibus nugis postea singulari capite; quæ verò non absimiles sunt figmentis Ethnicorum de virtute astrorum in sortes humanas: *Quicquid* enim *in his inferioribus aliquo motu movetur, agitatur & producitur, necesse est superiorum motus influxusq; imitari, ad quos velut ad radices & causas atq; signa, cùm reductum fuerit, eorundem nobis tum ex astrologicis regulis indicat sententiam. Hinc tesseræ, tetracedron, Hexacedron, octocedron, dodecacedron, icocedron, certis numeris, signis atq; stellis, opportu-*

nis temporibus, sub cœlestium influxibus, fabricatæ & inscriptæ, mirandum divinandi prædicendiq; suis jactibus obtinent virtutem, ceu qualem Prænestinæ illæ tesseræ, in quibus Romanorum fata contenta fuisse leguntur. Magnam in hunc usum vim attrahere cœlitus, credebatur excessus animi, extra se rapti, ut superioribus divinis capiendis fieret aptior. Hæc enim ratio est radix omnium astrologicarum quæstionum: quoniam anima elavata in alicujus desiderij excessum, arripit ex se horam & opportunitatem magis convenientem & efficacem: super quæ fabricata cœli figura, potest tunc Astrologus in ea judicare, & planè cognoscere de eo, quod quærens ipse scire cupit atq; desiderat, ut ad mentem veterum philosophatur Corn. Agrippa. Si quis plura scire aveat, de sortibus fortunæ, de sortis fortunæ collocatione in Horoscopo, & cui potissimum sideri hæc sors assignata, & similia, is adeat *Disputationes Joh. Pici Mirandulæ, literarum Principis, adversus astrologiam divinatricem, quibus penitus subnervata corruit*, qui liber à viris doctis non semel commendatur, commendariq́ue meretur; nec non librum de DIs Syris, Seldeni, syntagm. 1. de Gad seu fortuna; quorum uterque argumentum hoc ex vetustissimis Philosophorum & Astrologorum in Chaldæa, Syria, Arabia, Ægypto, Græcorum & Latinorum, prolixe pertractat: ex quibus pauca hic addo, quæ Seldenus ex Vettio, Astrologo vetustissimo, sed nondum edito, nec non Manilio de sorte fortunæ, κλήρῳ τῆς τύχης, affert, per sortem istam intelligi, quicquid unquam homini, sive boni sive mali, accidere possit; *Hæc enim est illa*

fati

fati ratio, quam in unam summam Natura, ut ait Manilius traxit, lib. 3. astronom.

Nam quodcunq; genus rerum, quodcunq; laborum.

Quæq; opera, atq; artes, quicunq; per omnia casus,
Humana in vita poterant, contingere, Sorte
Complexa est.

Vide ibi plura de primo, secundo, tertio, &c. athlo; de vanitate autem horum omnium, vide ultra authores citatos Marc. Frid. Wendelinum in Contemplat. Phys. sect. 3 circa finem.

CAP. VII.

De Personis humanis, sortes administrantibus.

§. 1.

A Cœlestibus sortium Gubernatoribus descendimus ad terrestres sive moderatores, sive qualibet ratione administratores, quorum pro sortium, quæ tractantur, aut rei, de qua agitur, dignitate, requiritur quoque dignitas & probitas, præprimis in illa sortitione, quæ ad commune totius regni populique commodum suscipitur, uti est Regis electio, summorum Magistratuum & officiorum publicorum constitutio, cultus Divini ordinatio, vitæ necisque causa &

judicium, bellorum susceptio, atque eorundem eventûs exploratio; quæ omnia cum Dei, cœlestis Numinis gloriam, hominumque & æternam & temporalem salutem, concernant, atque inferant, magna certè veneratione & religione constare & perfici oportet sortium circa illa tractationem; quippe quibus Dei voluntas propitia, circa tam gravia rerum Divinarum humanarumque momenta exploratur non quicquam Dijs iratis & inauspicatò, vel in propriam perniciem geratur: proinde ad loci solennitatem, precum devotionem, reliquam denique religionem sortium administrandarum, personarum quoque, quibus sortitio peragenda committitur, accedere debet divinitas quædam, quæ sortes gubernans, scribens, projiciens, miscens, trahens, in Deorum quasi consortium ascendit, Deumque habet sibi præsentissimum, & in actionibus suis, tot hominum saluti, ipsique divino cultui dedicatis, gratiosè assistentem. Duo igitur potissimum sortientem dignum seu idoneum faciunt, authoritas & pietas: authoritate pollent Magistratus & Sacerdotes: probitate omnes, qui feliciter sortiri cupiunt. De divina Magistratuum, τῶν אלהים, Deorum terrestrium, Regum, Principum, Judicum, Ducum, & dignitate ejusmodi pollentium, requisita in sortitionibus momentosis authoritate, nihil jam opus est plura adferre, vide Corn. Agr. l. 3. c. 35. Exempla verò Mejestatum, per sortes Dei voluntatem inquirentium, subinde occurrunt in sacra & profana historia, ea verò differimus in sequentia Capita.

§. 2. Pro-

§. 2. Proxima ſeculari huic Majeſtati, quandoque ſimilis, quin & ſuperior aliquando erat dignitas virorum ſacrorum, Sacerdotum, Prophetarum ſeu Divinorum vatum, divinæ voluntatis Interpretum, mediatorum inter Deum & populum ejus; quibus peculiare cum Deo commercium, & quoddam conſortium, creditum vulgò intercedere, ob miniſterium & ſacra munia, quibus perpetuò cum Deo loquuntur, agunt, junguntur. Hos Deo plenos, Deo inſpiratos, divinos, habuerunt ferè omnes gentes, ut quicquid per eoſdem pro ratione officij & functionis ſacerdotalis geſtum erat, Divino adſcriberent Numini, atque adeò in ſortitionibus quoque quam præſtiterunt operam, Divinæ authoritatis putarent eſſe, & infallibilia oracula eorum oribus effundi. Apud Iſraëlitas Moſes, ceu Magiſtratus, erat אלהים, Deus, Aaron autem Sacerdos os illius, per quod Deus eſt locutus ad Regem & populum: ex quo ſupremi etiam in terra Monarchæ, Cæſares & Reges, Deo ipſi obtemperare ſibi perſuadebant, & felicitatis loco reputabant, ſi in quibuſvis ſuis negotijs Divinæ voluntatis hos haberent nuncios & interpretes. *Omnia namq; poſt religionem ponenda ſemper noſtra civitas* (Romana) *duxit; etiam in quibus ſummæ majeſtatis conſpici decus voluit. Quapropter non dubitaverunt ſacris imperia ſervire, ita ſe humanarum rerum futura regimen exiſtimantia, ſi Divinæ potentiæ bene atq; conſtanter fuiſſent famulata,* ait Val. Max. l. 1. c. 1.

§. 3. Quemadmodum verò in his, Majeſtate & ſanctitate gravibus viris, cœleſtis Numi-

nis Majestas & sanctitas quodammodo resplendet; ita in omnibus alijs, hominibus, quibus aliqua circa sortes occupatio, Numinis ejusdem puritas & pietas, in exoptatum & bene auspicatum finem eventumque refulgere debet, ideóque omnis, qui illas tractare intendit, esto integer vitæ scelerisque purus: aut si quando vitio aliquo fuerit pollutus, veræ & sinceræ resipiscentiæ lavacro, sacerdotum veterum more, repurgetur, & maculam eluat, ut mens ejus Deo dicata unicè, Deo sanctificata, eidem adhæreat jugiter; qua de re non ineleganter scripsit Henr. Corn. Agr. l. 2. c. 54. ubi de sortituro requirit animæ cum Deo conjunctionem, per puritatem & sanctitatem,; & quod in hujusmodi anima *possit esse sufficiens potestas & virtus ad sortes ejusmodi dirigendas, ex eo patere asserit, quia inest animæ nostræ Divinæ virtus, ac similitudo, omniumq; rerum apprehensio & potestas, omnesq; res habere naturalem obedientiam ad ipsam, motum & efficaciam, ad id, quod desiderat anima forti desiderio, omnes virtutes & operationes rerum naturalium & artificialium obedire illi, quando fertur in magnum excessum sui desiderij, & omnes sortes cujuscunq; generis tunc adjuvare talis animæ appetitum & acquirere sibi mirabiles præsagiorum virtutes*, &c. Quæ si de vere pia, Deo devota mente, ardentibus precibus Deum implorante, omnibus carnis mundique illecebris abstracta, promissionibus divinis firmâ fide subnixa, exponantur, non absurdè dicta æstimari debent, maximè si de sortibus Vet. Test. fuerit sermo; nec non sortibus N. Test. si de rebus gravis momenti consulantur. Hujusmodi enim digni-

dignitas sortientis, sive ab authoritate officij, sive pietate personæ, ex gratuita Dei promissione & fide pura, benignissimam Dei assistentiam allicit: quemadmodum contra falsa fides, idololatricæ precationes, ficta pietas, fictorum seu falsorum Deorum, Dæmonum inferorum, malorum spirituum præsentiam & consortium provocat.

§. 4. Nunc quomodo hæc utrobique apud Judæos pariter & exteros fuerint observata, per exempla utrinque collecta, decurrendo dispiciamus. Sacræ ῥαβδομαντείας, quâ Aaron cum familia sua in perpetui sacerdotij jus fuit assertus, omnia peragebat Moses, Magistratus Israelitarum post Deum Supremus, Regisque officio fungens; is à Deo, ut rem totam perficeret, jubebatur: Num. XVIII. 2. *Dic Israëlitis & sume* &c. qui dicto audiens loquebatur ad populum seu ejusdem principes, à quibus singulis tribuum capitibus repetijt singulas virgas, queis ipse manu sua nomina singularum tribuum inscripsit, inscriptas sanctuario intulit, & ante faciem Domini reposuit: posteri diei manè ingressus sanctuarium, reperit virgam Aaronis florentem, fructusque ferentem: ipse regij adeoque summi in populo Imperij Administrator proprijs manibus effert omnes tribuum baculos, in conspectum populi, cujus quodlibet caput seu princeps tribus recipiebat virgam suam, Aaronis autem Moses à Deo jussus inter κειμήλια sacra recondit, quô facto sortitio hæc per virgas finiebatur. Illæ verò sortes, quibus duo hirci, alter Domino, alter Azazeli, destinabatur, divinitus Aaroni, & in posterum cuilibet

bet Pontifici administrandæ, commissæ sunt, & vi hujus præcepti quotannis festo propitiationis, in templo etiam secundo, ad extremum usque ea est observata ceremonia, sed templi secundi temporibus duo alij ex Sacerdotio primates sacræ huic sortitioni adstabant, ut suo loco ex Talmude, ejusque Mischna, adducemus. Horum primatum unus erat vicarius, Segen dictus, stans Sacerdoti M. sortienti à dextra: alter princeps familiæ sacerdotis, cujus tum ordo erat sacra facere, stant Pontificij à sinistra. Ipse autem ni fallor Pontifex M. scribebat sortes, injiciebat urnæ, miscebat seu concutiebat, extrahebat, elevabat, hircis imponebat, & applicabat, adstantes autem Sacerdotes totius rei & actus solennis erant testes: quanquam enim ipse Sacerdos indubiæ erat fidei, & totum negotium rectum: ut tamen omnis fraudis suspicio abesset, duo illi testes sacro actui interesse & inspicere debuerunt, quò eorundem ceu firmissimo testimonio constaret veritas faustissimi ominis, ex sorte Domini, quod manui Sacerdotis M. dextræ divinitus fuerit ingestum, atq; ita totus ille actus portentosus eò majore solemnitate perficiebatur. In cæteris sortitionibus, in S. Historia memoramatis ex utroque ferè statu, forensi & Ecclesiastico miscebantur, ad unum effectum operosæ. Sortes, quibus captus est Achan, primo Deus, deinde Dux Josua imperavit, sacerdotes autem ut creditur peregerunt, & administrarunt. Erat enim actus ille Majestaticus, & solennissimus, processusque judicialis, ad quem totus populus, multa

multa millia hominum complectens, secundum omnes tribus; familias, domus & personas, seu viros, confluxerat, coram arca in loco publico, stans & expectans, quemnam Oraculum divinum & sortes proderent, cujus culpâ tanta in Israël strages facta? Ejusdem prorsus processûs erat sortitio à Saulo suscepta, in eum, qui contra edictum Regium peccasset, & offensi Numinis iram excitasset? Quis autem tunc projecerit sortes, & eduxerit, S. Litera tacet. Similiter sortium, quibus in Regem electus Saul confirmabatur, author fuit Samuel, Judex, Propheta, Sacerdos: quis verò eas scripserit, jecerit, traxerit, non habetur in historia S. quum verò tunc, uno tempore & loco, oraculum Urim & th. consultum atque per idem responsum datum fuerit, idque procul omni dubio per Sacerdotem, quin sortes quoque expertæ sint sacras manus, nulla dubitandi ratio existit. Clarius exemplum habemus in divisione terræ sanctæ per sortes facta, in qua ex utroque ordine manibus junctis occupati erant Josua, Eleasar, & Principes patrum seu familiarum, ut habetur Jos. XVIII. & XIX. nec piguit ejusdem laboris & negotij Regem gloriosissimum Davidem, qui adhibita simul operâ Sacerdotum & Levitarum, Zadoki nimirum & Schemajæ, stationes seu classes sacerdotum sortibus distinxit, & Levitæ quoque ipsi sortes projecerunt coram Davide Rege, 1. Paral. XXIV. 31. quod plenius infrà exponetur, quid Regis, quid Principum, quid Zadoki & Achimelechi, Schemajæ & Israëlitarum in hoc solenni actu fuerit muneris.

§. 5. Atque hæc quidem tempore tabernaculi Mosaici & templi primi sortium erat celebratio per augustas manus. Eandem autem consuetudinem in populo Dei, præsertim in sanctuario, mansisse, vel restitutam potiùs esse ab Esra & Nehemia, ex historijs templi secundi, à primo seculo ad ultimum usque tempus, patet. Quamvis enim idem ordo vel Regum impietate, vel persecutionum, aut alia temporum injuria fuerit interruptus, postliminio tamen piorum Antistitum cura & industria restaurabatur. Conf. 2. Paral. XXIII. 8. Esr. VI. 18. Neh. XI. 1. C. XII. 24. Luc. I. 5. 8. 9. ex quibus elucet, ordines sacerdotum & Levitarum Mosis & Davidis ordinatione in certas classes distributos, subsequentibus temporibus observatos, & si quando ex serie sua excussi fuerint, restitutos, atque ita sortium usum templi secundi tempore à viris entheis adhibitum. Perspicuum illud est ex sortitionis ritu super duobus hircis, quem ut in templo secundo æque ac primo religiosè observarent, reverentia & debitum mandato divino obsequium, à populo Israël postulabat: patet ex historia Præfecti sortium, qui & sortes sacras, de quibus in sequentibus, curavit, & sortientibus sacerdotibus præfuit, atque providit, ne qua fraude alter alterum anteverteret. Discimus hoc ex Talmude, tractatu Schekalim, cap. 5. אלו הן הממונין שהיו במקדש יוחנן בן פנחס על החותמות אחים על הנסכים מתתיה בן שמואל על הפיסות פתחיה על הקינין: *Hi sunt Præfecti, qui sanctuario præerant; Jochanan filius Pinchasi præerat tesseris nummariis: Achiab libaminibus, Matthæ-*

Mattathia filius Schemuel sortibus, Petachia pullis turturum: nimirum ut hæc omnia rite in sanctuario, & sine dolo peragerentur, procurabant. glossa: פיסורת גורלורת היו שמפיקין הכהנים על העבודורת: *Pejasoth, sortes erant, quibus utebantur sacerdotes in functionibus sacris:* & sic Bartenora ad h.l. הפיסות על לחוריית סדר הגורל מי יזכה בעבודה זו ומי בזו, *sortibus præerat, ad monstrandum ordinem sortitionis, quis nempe huic, & quis illi functioni sacræ destinandus.* Mentio quoque fit hujus præfecti sortilegi, in Joma, cap. 2. & Tamidh, cap. 1. quæ loca infra producimus. Inprimis magna sortibus dignitas conciliabatur ab Apostolorum manibus, in locum perditi Collegæ alium sufficientium; tum enim sortium operâ usi sunt, religiosæ voluntatis divinæ circa modum Apostolum eligendum, indicium inquirentes.

§. 6. Non minori autem religione & devotione Gentiles suas tractarunt sortes, non inferioris gradus & ordinis viros ijs adhibentes, ut sæpè Cæsarum, Regum, Principum, Heroum, Ducum jussu fuerint susceptæ, moderamine & curâ confectæ, manibus proprijs signatæ, mixtæ, tractæ, & harum obsequio, ad quod sæpè totius Imperij, Regni, principatus, militiæ, vitæ necisque aliasque gravis momenti res attemperarunt, legantur electæ rejectæve. Quantum enim valuit apud populum Dei vera religio & sincera fides; tantùm Ethnicis potuit superstitio & idolomania; quod exempla in Sacris pariter & profanis literis extantia abundè monstrant. Illustre est Nebucadnezaris, qui sagittis pro sortibus,

bus, alijsque divinationum generibus, utens, viam militari expeditioni inquisivit. *Stabat enim Nebucadnezar dubius in bivio, quam ex duabus viis eligeret, & ob id sortem mittit, & ex micantibus telis oraculum quærit, imagines theraphim consulit, atq; exta inspicit, & deprehendit, omnes divinationes declinare ad dextram versus partem, scil. urbs Hierosolymitana*, ut Münsterus ad Ezech. XXI. 21. annotat. Nos historiam istam postea plenius explicaturi sumus. Alterum externum exemplum, in S. monumentis traditum, est Hamani, qui ab Ahasvero erat secundus in tota Monarchia Persica, eum superstitio & sortium religio tantoperè occupavit, ut truculentissimum, & in Judæos extinguendos ferventissimum animum sola sortium inhibitio & denegatum earum consilium ad integrum annum repressérit & sufflaminarit. Plura verò hujusmodi exempla scriptores profani de suis Magnatibus referunt: inter septem præsagia, quibus Tyberius ad Imperium poscebatur, recenset Suetonius cap 14. quod *cum Illyricum petens, juxta Patavium adisset Geryonis oraculum, sorte tracta, qua movebatur, ut de consultationibus in Aponi fontem talos aureos jaceret, evenerit, ut summum numerum jacti ab eo ostenderent, hodiéq; sub aqua visuntur hi tali.* De sanctitate oraculi hujus Geryonici, & fontis Aponi, vide Schildium in notis ad h. l. Sed antiquiora referunt Poëtarum Principes, Homerus & Virgilius; ille enim Iliad. 4. describens certamen Paridis seu Alexandri, Priami filij, cum Menelao Græco susceptum, prius sortes jecisse ait Hectorem & Ulyssem, hunc

pro

pro Menelao, illum pro fratre Paride, quis nimirum primus haſtam levaret? & exijt ſors Paridis. Similiter cùm Hector provocaret Græcos ad ſimile certamen, & novem eſſent Heroës fortiſſimi, quorum nulli deerat promtitudo congrediendi cum Hectore, Neſtor hortatus eſt eos, ut ſortirentur. Parent omnes, & ſinguli ſuas ſignant ſortes, galeæ injiciendas. Neſtor miſcet, & exit ſors Ajacis. In ludis funebribus, quos Achilles in Patrocli, ab Hectore cæſi, honorem inſtituit, ſagittis certaturi, peojiciunt ſortes, quis primus peteret ſagitta columbam? Iliad. 23. Cujuſmodi ſortitionem Virgilius quoque deſcribit, Æn. l. 5. inſtitutam ab Ænea; quorum Poëtarum ipſa verba alij commodiori loco reſervamus, & plura talia, huc quoque pertinentia, niſi eadem & hîc & alibi repoſita tædium excitarent. Et quid mirum, ſi terreſtres Magiſtratus ſortium judicio ſe ſubmiſerunt, cùm Dij quoque cœleſtes & infernales, cœli & orci Gubernatores ſeu Reges, idem feciſſe Gentilium ſcriptores narrent? Sic enim Dido Regina

Jura dabat legesq; viris, operumq; laborem,
Partibus æquabat juſtis, aut ſorte trahebat.

Id eſt, *quæ æſtimatione juſtitiæ æquari poterant, diſtribuebat; quæ autem naturâ ſuâ ad plenum æquari non poterant, ſortis judicio dabat, ut quæ gravius onus ſubiret, fortunam ſuam, non Reginam accuſaret*, annotante Donato, ad Æn. l. 1. quomodo judices infernales judicia ſua ad ſortes detulerint, ſupra jam dictum eſt. Atque hac ratione maximè juſtitiam obſervari putabant, ſi ſortibus judicia committerent:

terent: Minos enim, de quo supra, erat Jovis filius, Rex Cretæ, & dum in vivis erat, justissimus unus, ut Farnabius habet Æn. l. 6. Apud Romanos communissimum erat, ut Quæsitores urnas sortium custodirent, moverent, in tribunali paratas, sive ad sortes ducendas, sive ad sententias judicum, quæ in tabellis scriptæ erant, recipiendas, vide Ciceronem in Vatinium. Quo alludens Virgilius l. 6. Æn. canit: *Quæsitor Minos urnam movet*, &c. vide suprà Cap. 3.

§. 7. Non minus clara exempla sortium, augustis manibus tractatarum, suppeditant historiæ sortium sacrarum & poëticarum; quarum segetem Berneggerus in observ. miscell. congessit. *Chrannus Chlotharij, Francorum Regis filius, cum in numeris malis Dei Ecclesiam ejusq; ministros afficeret; & parentem fratresq; intestino bello persequeretur, die Dominico in Divionense Galliæ castrum religionis ergo venit. Episcopus autem & alij sacerdotes, sacra ibi peragentes, precibus à Deo futuram Chranni fortunam sibi revelari petierunt. Præmissis ergo jejuniis & orationibus, tribus deinde libris, aræ impositis, Prophetarum nimirum, Apostolorum, & Evangeliorum, quod cuiq; libro aperto, prima statim vice obviam veniret, id vaticinij & præsagij loco recitare jusserunt. Aperto itaq; primo omnium Prophetarum libro, repererunt eam prophetæ sententiam:* Auferam maceriam sive sepem ejus, & erit in desolationem. *Apostolorum libri aperti responderunt:* Domini diem ceu furem noctu irruentem, adventurum, cum dixerint, pax & securitas. Evangeliorum vero oracula docuerunt: Virum istum, qui Christi verba non audit, similem esse stulto viro, qui ædificat

cat domum ſuper arenam, quæ mox pluviis & tempeſtatibus exortis, ruina graviſſima collabatur. *Poſthac cum patrem inſequentem fugeret, cum uxore & filiabus venit in Britanniam. Chlotarius autem mox filium armata manu eò perſequitur. Copiis igitur in agro Britannico utrinq; congreſſis, prælium committitur. Chlotarius fuſis ad Deum precibus, ſuamq; teſtatus hac in cauſa innocentiam, juſtum Dei contra ſeditioſum ſuum filium implorat auxilium. Prælio commiſſo, Chranni & Britannorum copiæ fugam capeſſunt. Chrannus verò cum uxorem & filias liberare tentaret, à patris exercitu comprehenſus, ruſtico tuguriolo cum iis includitur, & incenſa caſula igne exuritur, atq; ita ſacro illi ſortilegio fidem facit.* Plura ejuſmodi ibidem leguntur, quæ ut huc transferantur, prolixiora videntur, vide inferius cap. 15. duobus huc duntaxat appoſitis acquieſcam: Opilius Macrinus num ad Imperium perventurus eſſet, ſcire deſiderans, in hos incidit Homeri verſus:

Ὦ γέρων ἦ μάλα δή σε νέοι τήρουθ μαρηταί
Σή δε βίη λέλυται, χαλεπόν δέ σε γήρας ὀπάτει.

O ſenex, certe valde jam te juvenes premunt bellatores.
Tua autem vis ſoluta eſt, gravis autem te ſenectus inſequitur.

Et ſane ſenex ad Imperium venit, nec diutius quatuordecim menſibus id retinuit, occiſus ab Heliogabolo. Sic Imperator Alexander Severus, cum parentis hortatu animum à ſtudiis ad alias artes traduceret, hos Virgilij verſus ſortium loco habuit obvios:

Orabunt alij cauſas cæliq; meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent:

Tu

Tu regere Imperio populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes.

Nec eventus non respondit: Nam post aliquot annos imperij Romani gubernacula suscepit.

§. 8. Ad sacerdotum jam ethnicorum seu vatum sortes deflectamus, quas eò majoris æstimabant, quod reverendas hujusmodi personas Dei habebant mystas; Deorum suorum commercio utentes, ex eorum ore & revelatione loquentes, & mysteria pandentes: hinc sortes, quas hæ Deo sacratæ personæ administrabant, hanc vim & dignitatem habere credebant, ut responsa per illas edita, à Diis ipsis profecta arbitrarentur, à Diis decreta & fataliter cuique, ut indicabant, eventura, atque inde quod fatali necessitate & divino decreto factum est, forte id factum esse sibi persuadebant, ut Virg. l. 2. Æn.

Hæc finis Priami fatorum: hic exitus illum
Sorte tulit.

Solebant ergo frequenter & ordinariè sortes templis seu sacrariis suis adjungere, uti supra jam, ubi de Prænestæ aliisque ejusmodi à sortibus celebribus locis actum est, diximus. Non alium existimo fuisse oraculi Herculei ad Buram Achajæ oppidum, præsidem, quam sacerdotem, qualem in sortibus Patavinis vel Geryonem fuisse, unde oraculum Geryonis apud Suetonium in Tiberio, vel alium, Euganeonem, puto, de quo Lucanus:

Euganeo (si vera fides memorantibus) augur
Colle sedens, Aponus terris ubi fumifer exit.

Qui augur Geryonis oraculo præfuisse judicatur, vide

vide Schildium ad Suetonium in Tiberio. Ita olim *Sacerdotes inscribebant arborum foliis tabellisve eventuum diversorum indices & prænonitrices sententias, & folia illa tabellásve ad Deorum disponebant pulvinaria. Cum flagitarentur ergo responsa, post præfatas à sacerdotibus preces decidebant aut à sacerdotibus ipsis impulsa, aut diaboli collusione mota folia, quæ sententias continebant alludentes ad quæsita,* ut Peuc. tradit. Germani quoq; olim, si publice consuluerunt, Sacerdotem civitatis in id opus adhibebant, ut sortes tractaret, teste Tacito. Quis aliter de sortibus Prænestinis cogitet, tanta religione & superstitione olim celebratis, ut frequenter eò fierent peregrinationes ab illis, qui eventuum futurorum præcognitionem habere volebant: quamvis enim in Jovis pueri, qui ibi adorabatur, honorem sortes manu pueri miscerentur & ducerentur, sacerdotum tamen præsidio & moderamine omninò factum illud est, quia, ut Cicero ait, *Fortunæ monitu, scilicet quod Sacerdotes Fortunæ Deæ Prænestinæ erant Interpretes, fiebat.* Vide etiam de sortilegis & divinatoribus seu vatibus hujusmodi Juvenalem, Satyr. 6. ubi introducit fœminam lasciva & adulteram sortilegis in magno circo congregatis se miscentem eosque consulentem de marito suo. Illa

Si medio oris erit, spatium lustrabit utrunq;
Metarum, & sortes ducet, frontemq; manumq;
Præbebit vati, crebrum poppysma roganti, &c.
Consulit ante Phalas, delphinorumq; columnas.

ubi Farnabius annotat, per *Phalas* intelligi sortilegos & divinatores, qui in circo ante Phalas, id est, turres ligneas, & Delphinorum columnas ver-

sabantur. Quinam enim huic rei aptiores exoptentur, quam ij, qui sacris præsunt, qui divinæ voluntatis interpretes, qui Deorum, quibus solis futurorum est præcognitio, internuncij? quos tamen sæpe malitiosè seu callide saltem sortes tractasse, Temeni exemplum ostendit, quod infra recensebitur.

§. 9. Ejusdem fere societatis sunt mulieres divinatrices seu fatidicæ, quarum apud varios populos, Judæos, Ethnicos, Christianos, semper magnus fuit numerus, magna existimatio, contagiosa lues. De Judaicis hujusmodi sagis ex historia Saulis abunde constat, 1. Sam. XXVIII. 7. seqq. Sæpius Deus O. M. Spiritu veræ divinæq; prophetiæ exornaverat pias quasdam fœminas Israelitarum, ut futura sciverint prædicere, indeque multoties ab ipsis Regibus aliisve Magistratibus fuerint consultæ. Id cacodæmon æmulatus suo quoque impuro afflatu inspiravit spiritus fatidicos, per quos præscientiam rerum quarundam futurarum, quanta quidem ipsi divinitus esse, vel ex naturali causarum fluxu haberi potest, mulieribus Judaicis, pythonissis, & divinatricibus, inflavit, ut non à suis tantum, sed & exteris, in rebus dubiis consulerentur, quod Juvenalis indicat sat. 6.

Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem
Interpres legum Solymarum, & magna sacerdos
Arboris, ac summi fida internuncia cœli.

Tales etiam ubique hodie in Christianis terris tolerantur vates sequioris sexus, quæ deastris suis sacra facientes, tanquam Sibyllæ, Briseides, Cassandræ,

landræ, Medeæ, Endoreæ anus, in ambiguis solicitantur, vulgoque ob miras & arcanas artes & præstigia in honore habentur, majorisque æstimantur earum effata, quam Dei ipsius sacra oracula; dignæ, quæ abigantur in Arabiæ solitudines, ubi *non solum exaudiri dæmonas, sed etiam videri ajunt; idq; esse translatitium & quotidianum, Mauritani, qui agitant in regno Fez, divinationibus utuntur, ajuntq; dæmonas alios candidos, alios atros, alios rubros. Divinatricibus quoq; mulierculis, quæ cum dæmonibus habere sese commercia profitentur, fidem habent, nec dubitant, quicquid illæ effatæ, futurum. At eas irrident indigenæ cordati viri, contumelioseq; nomine vocant Sabacat, id est, tribades*, vid. Scal. exerc. 355. Similes ferme his sunt, quas Zigeunas vocare solemus: *Creduntur autem ex Ægypto primum & vicinis Africæ partibus prodiisse, ubi incantationum atq; universim omnis generis præstigiarum & divinationum tantus est usus, ut nihil nisi consultis vatibus suscipiatur, & magnus vatum numerus singulis diebus in foro publico, in compitis & pergulis, præstoletur consulturos: quod qui Alexandriæ, Alcairi, quæ Memphis est, & in locis vicinis fuerunt, pro certo comperto; affirmant*, ut Peucerus scribit: utinam verò sagæ istæ in suis terris manssissent; nam jam ab antiquissimis temporibus ipsa Germania sat superque hujusmodi vetularum habuit Sibyllorum, ut ex Clemente Alexandrino allegat Delrio, tom. 2. disquis. Mag. p. 443. *mulieres* nimirum *germanas solitas sonum, vortices, ac circumvolutiones amnium notare, & inde futura prædicere.* Cujus forsan generis fuerunt, quas in bello consuluerunt Germani ante prælia, de quibus Julius Cæsar l. 1. de bello

Gallico scribit, *consuetudinem fuisse Germanorum, ut matrem familias sortibus vaticinationibus, declararent, utrum prælium committi ex usu esset nec ne? Eas ita dicere, non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam prælio contendissent.* De fœminis per virgas divinantibus, vide infra in ῥαβδομαντεία. Quidam denique operâ puerorum hac in re usi sunt, ut suo loco de Rugianis videbimus: vide Delrio tom. 2. disquis. Mag. p. 447. Atque hæc quidem de sortitione in rebus majoris momenti potissimum intelligenda.

§. 10. Aliter vero, nec cum tanta personarum, sortitione defungentium optione & delectu, agebatur, quando non de re gravi aut seria sortes mittebantur: sæpissime enim usuvenit, ut privatus quilibet, vir, fœmina, pueri, puellæ, pij, impij, cujusvis conditionis, ætatis & affectionis homines, in re qualibet obvia, ludicra, fortuita, sortiantur, non requirentes virum aliquem sanctitate, pietate, authoritate insignem ad sortes scribendas, miscendas, trahendas, moderandas: neq; enim filij Jacobi de tunica Josephi cruentata, quis eam patri afferret, sortientes, aut principem aliquem, aut sacerdotem, aut aliâs gravem virum accersiverunt; nec nautæ Joppenses virum talem conspicuum secum habuerunt, cujus operâ & ministerio uterentur: nec milites Romani, de tunica Christi inconsutili ludentes sorte, Caiphæ aut Pilati, aut Sacerdotis M. officium imploraverunt. De Germanis refert Tacitus, si privatim consuluissent, patrem familias sortitionem peregisse. Quod idem fecit apud Plautum Stalino senex

nex paterfamilias, cum de casina sortiri vellent Olympio & Chalinus, tum senex ille mala fraude usurus, ait: *At ego sic agam: conjiciam sortes in sitellam, & sortiar tibi & Chalino.* post ubi Chalinus jussu heri senis, attulisset uxorem senis seu heram, sortes atque situlam, atque deposuisset, Stalino utrinque sortes mittit: deinde ad Cleostratam uxorem dicit: *Age uxor mea, nunc jam sortire:* id faciens extrahit sortem Olympionis villici, & Chalinus victus est sorte. Hîc pater & mater familias sortitionem peregerunt, sed fraude Stalinonis patrisfamilias malitiosè, quod dissimulaturus ad uxorem ait: *Nunc tu Cleostrata, ne à me memores malitiosè de hac re factum, aut suspices, tibi permitto, tute sorti.* In celeberrimis Prænestinæ fortunæ sortibus adhibiti sunt pueri, ut Cicero innuit; id hodie vulgatissimum est iis, qui vel hæreditatem, vel alia bona sorte dividere volunt, ut pueros, omnis fraudis nescios, adsciscant, qui sortes vel sortium schedulas extrahant. Sæpe fortunam suam exploraturus solus aliquis rem omnem conficit per sortes, sibi & rei, quæ ipsi curæ est, aptas; cujusmodi sunt sortes sacræ & poëticæ. Petrus Bembus, Patricius Venetus, post prima studia animum ad rempublicam suasu amicorum adjecerat: sed cùm invita Minerva id conaretur, Deum rogavit, ut sibi vitæ genus conveniens ostenderet. Itaque cum eo die sacris interesset, & in Evangelio, quod extra ordinem tunc legebatur, hæc verba audivisset: *Petre, sequere me:* Joh. XXI. 19. tanquam oraculo accepto, Christum imitari volens, curiam Romanam, relicta republ.

sequi cœpit, donec ad Cardinalatum ascendit. Hieronymus Cardanus, Mediolanensis, de se ipso memorat lib. 14. de variet. rer. c. 68. se Jeremiæ quodam textu evoluto abstractum fuisse à secreto, quod habebat, medicamento contra urinam retentam, palam faciendo & ægrotanti communicando; quod sane erat consilium impium, & sors non à Domino, ut equidem Cardanus sibi persuasit. Alia ejusmodi prætereo, commodius in alia locum differenda.

CAP. VIII.

De

Sortitione Hamani.

§. I.

QUæ hucusque de divina, angelica, siderali, & humana sortium tractatione, moderatione, & influxu dicta sunt, ea exemplo sortitionis Hamanææ commode illustrari poterunt. Illarum enim sortium supremus præses & director erat Deus, quia de corio populi sui electi Israel, & salute totius Ecclesiæ ludebatur; sic ergo direxit totum negotium hujus sortilegij pestiferi, ut, non pro Hamani, sed suo ipsius caderet arbitrio. Neque tum Angeli erant otiosi, ut Hebræi sentiunt, & impium est credere. Et cœlum ipsum, sidera ejus & intelligentiæ, ex Judaica superstiti-

perstitione, influebant in eundem actum portentosum, uti deinde audiemus. In tetra vero earum sortium Rector & Imperator erat Hamanus, coram quo, i. e. sub cujus inspectione sortes jactæ erant, ut textus facer habet. Administratores earum habuit nescio quos divinatores & sortilegos; tacite tantum innuit eos historiæ litera, succincte dicens: הפיל פור הוא הגורל לפני וגו׳ *projecit, cadere fecit, procuravit sortem coram* &c. ubi R. Salomo: הפיל מי שהפיל ולא פירש מי *projecit*, nimirum *is qui projecit, quis autem fuerit, Scriptura non exprimit: elliptice ergo ita loquitur.* Ut historiam ipsam capiamus, præmittimus hîc ipsosmet textus sacros, Esth. III. 7. *Mense primo* (apponimus versionem Munsteri) *hic est mensis Nisan, anno duodecimo Regis Ahasveri projecit* (populus) *Phur, hoc est sortem coram Haman, de die in diem, à mense usq; in mensem duodecimum,* (*hic est mensis Adar temporis quærens opportunitatem.*) His addenda, quæ habentur cap. IX. 24. *Et quidem Haman, filius Hamonedatha Agagæg, hostis omnium Jehudæorum, cogitavit contra Judæos, quomodo illos perderet.* vers. 25. *Sed cum ipsa Esther venisset in conspectum Regis, jussit* (Rex) *per literas, ut reverteretur cogitatio ejus mala, quam excogitaverat contra Jehudæos in caput ejus, & suspenderunt eum atq; filios ejus in ligno.* vers. 26. *Et ob hanc causam vocaverunt dies illos Purim, propter nomen sortis, & propter omnes sermones hujus epistolæ.*

§. 2. Notatur in istis primo tempus, quo sortes fuerunt jactæ, dicituŕque Mense primo, qui est Mensis Nisan. Confer. Neh. II. 1. Schindlerus scribit, esse nomen Chaldaicum, vocatuŕque aliás hic mensis Adar, de quo vide Lexica & Hebræo-

rum calendaria. Respondet autem mensis hic ex parte nostro Martio: estque admodum celebris in S. Scriptura, ob plura in eo concurrentia festa & præclara Dei in eo facta. Non autem indicatur, quotô hujus mensis die sortitio peracta fuerit, ex versu tamen 12. cap. III. colligitur factam esse ante diem 13. mensis: dicitur enim eô die, per edictum regium convocatos fuisse Scribas Regis, ut ad omnes dynastas terrarum seu provinciarum exscriberetur mandatû Hamani, de interficiendis Judæis: vix enim crediderim, & sortes jactas esse & edicta ista evulgata eodem die: ergo circa principium seu non admodum procul illo, sortes consultæ fuerunt. Porro sortitionem istam peractam esse uno die, Hebræorum quidam statuunt, ut ex gloss. Talm. ad Megillah fol. 13. 2. apparet. והגורל של כולן הטיל ביום אחד *sors omnium* illarum dierum & mensium *projecta est uno die*. Quod enim dicitur vers. 7. sortes jactas esse de die in diem, & de mense in mensem; non intelligendum est quasi singulis diebus, singulisque mensibus sortes projici curaverit Haman: id enim ex adducto versu 12. satis manifestum est, jam mensis primi die decimo tertio sorte cecidisse diem decimum tertium mensis duodecimi, qui est Adar, ut eô excidium Israelitarum effectui daretur.

§. 3. Quæritur, quanam sortilegij specie usus fuerit Haman? Id author Divinus non indicat aperte, unde cum tot sint sortium divinatoriarum vel consultoriarum genera, quis certum aliquod ex iis tutò nobis indicet? Vulgatus interpres de projectione sortium in urnam exponit reddens:

In

In mense primo missa est sors in urnam, quæ Hebraice, &c. Et Shindlerus etiam ita intelligit, scribens: *Coram Hamano quispiam misit sortem, ut exquireret, quô mense & die Judæorum gens penitus deleri posset. Esth IX. 26. propterea vocarunt dies illos* פוּרִים, *purim juxta nomen* הפור, *Targ.* פִּיסָא, *sortis, à sortibus, quæ tempore Esther & Mardochai in urnas fuerunt missæ.* In Targum scheni Esther videtur aliter de re ista sentiri; habetur enim ibi verbum צבע; verba translationis sunt ista: בירחא קדמאה הוא ירחא דניסן בשתא תריסר למלכו׳ אחשורוש צבע פיסא לשיצאה עמא קדישא: *Mense primo, qui est mensis Nisan, anno duodecimo Regni Ahaschverus, Zebha sortem ad extinguendum populum sanctum.* Et mox: שרי שמש׳ ספרא לצבעא פיסא *Exorsus est Schammaschai Notarius sortes,* &c. Duo in primis significata habet vox ista, quorum alterum est tingere, immergere, tingendo colorare, seu ad tingendum imbuere, mergere: alterum vero (quasi ab אצבע digitus) micare digitis, sortiri digitorum extensorum micatione, sortem dubiam hoc modo indicare; quomodo Varro dixit: *Micandum erit cum Græco, utrum ego ejus numerum, an ille meum sequatur*; vide Lex Talm. Micationis hujus modum & exempla vide infra suo loco. Atque hoc modo teste Buxt. intellexit vocem istam Elias Levita in adducto Targum. Cum vero obscurum sit, quomodo Hamanus micatione ista diem mensemque investigare vel invenire potuerit, lubentius vocem צבע exponerem de missione sortium in urnam: cum enim significet immergere, facile huc accommodari potest illa significatio, ut notet immersionem sortium in urnam sortitori-

am, quomodo & Medraſch cujus verba mox adducemus, intellexiſſe videtur, ſæpius de ſortibus projectis utens verbo עלה, aſcendit, ſc. ex urna, cui immerſa erat ſors: quod & ipſe textus ſacer innuit voce וַיַּפֵּל projecit, quomodo & aliâs in Sacris ſignificare, ſequentia docebunt. Quid ſi urna ſeu olla ſortitoria aqua repleta fuiſſet, uti antiquitus ſolebant; nonne tum Targum commode verbo נבע fuiſſet uſum?

§. 4. Res, ob quam Hamanus ſortes ſolicitarit, in textu clare ſignificatur: nimirum perditio & extinctio populi Iſrael, Hamano & omnibus gentibus inviſi, in toto Regno Perſico diffuſi. Magni erat negotij, & res cùm ingenti periculo conjuncta: itaque ſine Divino conſilio, quod ſortes indicare credebantur, eam ſuſcipere nolebat; idque ex more Perſarum, & vicinarum gentium, quibus *mos erat ſortibus certo modo jactis explorare dies rei propoſitæ proſperos aut adverſos, id in hac re ſæpe fecit Haman tandemq; invenit diem, quem ſortes proſperum promittant: at Deus exemplum dedit ingens, quam iſta ſint inania*, ut H. Grotius annotat. Sed non tam de re ipſa, quam machinabatur, conſuluit, quam de tempore, quo feliciter eſſet res gerenda. De die enim in diem, de menſe in menſem, quò auſpicate res ſuccederet, ſortes conſuluit, & in quem menſem, menſisque diem eventus proſper foret, tandem ſortes, ut Hebræi docent, indicarunt. Nos igitur tria iſta præcipuè ex Hebræorum monumentis ponderabimus, dierum nimirum & menſium inquiſitionem & inventionem.

§. 5. De die, quam inquiſiverit Haman, ſepti-

septimanæ aut mensis, non convenit inter Hebræos, quidam enim de diebus septem hebdomados interpretantur, è quorum numero sunt Targum Scheni & Medrasch Rabbah libri Esther; in quibus simul additur, quomodo singulorum dierum dignitas pro salute Israelitarum dimicarit; quæ quamvis maximam partem sint fabulosa & superstitiosa, adducemus, eâ libertate freti, qua ethnicorum seu historias seu fabulas enarrant.

§. 6. Sic ergo in Targum secundo de sortitione primi diei legitur: שרי מן חד בשבא ולא אסתויע מן בגלל די לית אתבריאו שמיא: *Incepit à die primo hebdomatis, sed sine fructu, propterea, quod eo die creati sunt cœli.* Id in Medrasch latius exponitur: ביום אחד בשבת עמד שרו לפני הקב"ה ואמר רבונו של עולם בי נבראו שמים וארץ ואמרת אם לא בריתי יומם ולילה חקות שמים וארץ לא שמתי יש בריתי בשרם: דכתיב ואתה את בריתי תשמור· וכתיב והיתה בריתי בבשרכם· ויש בריתי בפיהם זו תורה דכתיב לא ימוש ספר התורה הזה מפיך· ואמרת אם ימדו שמים מלמעלה ויחקרו מוסדי ארץ למטה וגו': וכתיב גם זרע ישראל ישבתו מהיות גוי לפני כל הימים· ורשע זו מבקש לאבדן· עקור שמים וארץ תחלה ואחר כך אתה מכלה אותם: *Primo die hebdomatis* (qui forte tentabatur, num faustus esset consilio suo) *surrexit Præses illius coram Deo O. M. dicens: Domine παντοκράτορ, in me creati sunt cœli & terra, jam autem dixit:* Jer. XXXIII. 20. Quod si fœdus meum non fuerit, statuta cœli & terræ non essem positurus. *Est porrò fœdus quoq; in carne ipsorum, uti scriptum est:* Gen. XVII.

9. Et

9. Et tu fœdus meum ſervabis. *Scriptum etiam extat*, v.13. Eritque fœdus meum in carne veſtra. *Eſt etiam fœdus aliquod in ore ipſorum, quod eſt Lex: ut ſcriptum eſt*, Joſ.I.8. Non recedet Liber Legis hujus ex ore tuo. *Dixiſti porrò*: Jer. XXXI. 37. Si menſi fuerint cœlos ſupernè, & perſcrutati fuerint terræ fundamenta infernè, &c. *Scriptum etiam extat*: Cap.XXXI.36. Tum etiam ceſſabit ſemen Iſraël, ne ſit populus coram me omnibus diebus. *Et impius iſte* (Haman) *quærat eos perdere? Excinde prius cœlum & terram, & tum etiam eos conſumes.*

§. 7. Repulſam ergò ferens Hamanus à die primo, perrexit ad ſecundum, qui nobis à luna nominatur. Sed nec is cecidit, ut impio Hamani conſilio contra Iſraëlitas inſerviret. על מן בגלל די ביה אתבריאו רקיעא: *quia eodem creata ſunt firmamenta* cœli, ſeu aëris inter aquas ut plenius Medraſch adducit. הפיל פור ביום שני ועמד שרו לפני הק"בה ואמר רב"שע ביום שני הבדלת בין מים העליונים למים התחתונים · וכן ישראל מובדלין הם מן האומות ה"הד ואבדיל אתכם מן העמים להיות לי ורשע זה רוצה לאבדן הפוך עליונים והתחתונים ואחר כך כלה אותם: *Jacta eſt ſors die ſecens: tum autem ſurrexit Antiſtes ejus coram Deo O.M. dicundo, Domine Univerſi, hoc die ſeparaſti inter aquas ſuperiores & aquas inferiores: ſic quoq; Iſraëlitæ ſunt ſeparati ab aliis populis, uti dicitur*: Lev.XX.26. Et ſeparavi vos de populis, ut eſſetis mei. *Hic verò impius animum inducit eos extinguere? Inverte prius ſumma & ima, & poſtea etiam illos conſume.* Sic ergò Præfectus

ctus hujus diei ſupernus prohibuit, ne ſors caderet pro die iſto, cui præerat.

§. 8. A ſecundo ergò itum eſt ad tertium, ſortes conſulendo, num hoc die proſper eventus promitteretur: ſed ſimiliter denegarunt illæ, gubernante Præſide cœleſti diei hujus. על מן בגלל די ברית אתברי גנתא דעדן, *propterea quod eodem creatus eſt hortus Eden.* Aliam hujus dignitatem Præfectus diei hujus, ut Medraſch meminit, obtendit, ad amoliendam iſtam injuriam: יום שלישי דהפיל פור ושמד שרו לפני הקב"ה ואמר רבונו של עולם יום שלישי בו נבראו זרעים וישראל מפרישין מהם תרומות ומעשרות ובו נבראו אילנות וישראל מקלסין לפניך בהם. ה'הוד ולקחתם לכם ביום הראשון פרי עץ הדר וגו'. ובו נקוו המים לים: ולישראל נגזר שנים עשר גזרים בים. ועכשו אם ישראל בטלים אנו היאך קיימין, *Die tertio projecit ſortem, ſed ſtetit Princeps ejus coram Deo, dicens: Domine Mundi, die tertio creata ſunt ſemina, de quibus Iſraëlitæ ſumunt thrumos, ſeu oblationes & decimas: eodem quoque die creatæ ſunt arbores, quibus Iſraëlitæ laudes ſuas celebrant coram te: quod eſt, quod ſcribitur:* Et ſumatis vobis die primo fructum arboris honoratæ, &c. *Eodem etiam congregatæ ſunt aquæ in mare. Iſraëlitæ verò duodecim rerum mandata habuerunt in mari, tam verò ſi Iſraëlitæ ceſſabunt, nos quomodo ſubſiſtemus?*

§. 9. Cùm & hîc viciſſet, ventum eſt ad diem quartum, an ille eſſet auſpicatus? ſed & hic recuſavit: על מן בגלל דיברית אתבריאו שמשא וסיהרא ושבעא כוכבים תריסר מזליא, *Quia eodem creatus eſt ſol & luna, & ſeptem ſtellæ, & duodecim ſidera*

dera cœlestia. Id Præses hujus diei est caulatus, eumque diem à dira ista laniena liberavit, ut Medrasch habet. יום רביעי הפיל פור ועמד שרו לפני הקב"ה ואמר לפניו רבונו של עולם יום רביעי נבראו המאורות להשתמש לאורן של ישראל. הה"ד והלכו גוים לאורך ומלכים לנוגה זרחך. ובו נבראו הכוכבים ובניך נמשלו לכוכבים. אם תאבדם היאך אנו קיימים ו Cum die quarto jacta esset sors, stetit Præses ejus diei coram Deo, dicens: Domine παντοκράτωρ, die quarto creata sunt lumina, ut inservirent ad lucendum Israëlitis. Id est, quod scriptum habetur: Jes. LX. 3. Et ibunt gentes ad lucem tuam, & Reges ad splendorem ortus tui. Eodem etiam creatæ sunt stellæ, & filij tui comparantur stellis. Si ergo eos velis perimere, quomodo nos consistimus?

§. 10. Negata & hujus diei sorte, progreditur Haman ad quintum diem, cujus verò non minor dignitas truculentum consilium repulit, & in Targum legitur: בחמשה בשבא לא על מן בגלל די ברה אתבריאו לויתן ותרנגול ברא דאתעתד לכנישותא דישראל לסעודת יומא רבא Die quinto non profuit sors, quia eo creatus est Leviathan & gallus magnus (puto enim legendum esse רבא pro ברא vid. Syn. Jud. Buxt. c. 36.) qui parati sunt pro cœtu Israël in epulum diei magni (tempore Messiæ) Præses verò diei hujus oblationes præmunivit, הפיל פור יום חמישי עמד שרו לפני הקב"ה ואמר לפניו רבונו של עולם יום חמישי בו נבראו עופות ובהמות ומהם צויתה להקריב קרבנות ובהם אתה מכפר ומתרצה לבריות: ואם הם בטלים מי מקריב קרבן? projectis sortibus diei quintæ, stetit princeps ejus coram Deo, dicens: Παντοκράτωρ, dies quin-

quinius est, quo creatæ sunt aves & pecora, ex quibus præcepisti afferri oblationes, quibus etiam tu reconciliaris & placaris creaturis; si verò illi (Israëlitæ) *extinguuntur, quis offeret oblationem?*

§. 11. Elusa igitur & hac sorte, tentavit Haman diei sexti fortunam, num optatum eventum vellet promittere: sed negavit. על מן בגלל איתבריא אדם וחוה: *quia hoc die creatus est Adam & Eva*, ut Targum habet: & Medrasch ferè similiter: הפיל פור ביום הששי עמד שרו לפני הקב"ה ואמר לפניו רבונו של עולם יום ששי בו נברא אדם הראשון וקראת לבניך בשמו ה"ד ואתה צאני צאן מרעיתי אדם אתם ואם אתה מבקש לעקרן עקור כל האדם ואחר כך ישלוט בהם: *Cùm sors jaceretur pro die sexto, surrexit præses illius coram Deo dicens: Domine Omnipotens, die sexto creatus est primus homo, de cujus nomine filios tuos vocasti: sic enim dicitur:* Ezech. XXXIV. ult. Et vos oves meæ, oves pascuorum meorum, vos homines: *Tu autem si quæres eos excindere, excinde omnes simul homines, atq; tum* (inprimis ille Haman) *dominetur illis.*

§. 12. Tandem & Sabbathi dies sortitioni submissus renuit. על מן בגלל דביום דאיהוא קיים בין מימרא ד"י ובין עמא דישר', *Quia hoc ipsum est fœdus inter Verbum Dei* (τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, Messiam) *& populum Israël*, ut est in Targum. In Medrasch paulò latius: ביום שבת הפיל פור עמד שרו לפני הקב"ה ואמר לפניו רבונו של עולם יום שבת בו נגמרו כל מעשיך ונשתכללו ה"ד ויכל אלהים ביום השביעי וכתיב ביני ובין בני ישראל אות היא לעולם ואם אתה מבקש לעקור אותם עקור את השבת ובטל אותה ואחר כך את מכלה אותם: *Die Sabbathi pro-*

projecit sortem, surrexit autem Antistes ejus coram Deo, dicens: Domine universi, die Sabbathi perfecta sunt omnia opera tua, & consummata, ut scriptum est Gen. II. 2. Et absolvit Deus die septimo, &c. *Scriptum porrò legitur* Exod. XXXI 17. Inter me & inter filios Israël signum est in æternum. *Quod si ergò velis extirpare illos, extirpa Sabbathum quoq; & abole illud, & tum demum etiam illos dele.*

§. 13. Recusantibus ergò diebus septimanæ, solicitavit menses, quemnam ex duodecim atroci consilio sortes destinarent: inceptum à mense primo Nisan, seu Martio, qui verò noluit adjuvare impios ausus: על מן בגלל זכותא דפסחא: *ob dignitatem, quam habet à paschate,* ut Targum habet: & sic Medrasch: התחיל בחדש ניסן ועלה בו זכות פסח: *Cùm inciperet à mense Nisan, ascendit in eo dignitas paschatis:* perrexit ergò ad mensem secundum Ajar, Aprilem, sed repugnantem: עלמן בגלל די ביה נחת מנא: *qu'a descendit in illo Manna:* secundum Targum; & Medrasch quoque: באייר זכות פסח קטן וזכות המן שנתן להם לישר' בחמשה עשר בו: *In Aprili ascendit dignitas paschalis minoris, & dignitas Mannæ, quæ data est Israëlitis die hujus mensis decimo quinto.* Repellente & hoc mense sortes, progressus est ad tertium, Sivan, Majum, sed simili repulsâ elusus. על מן בגלל די ביה איתיהב אוריתא בסיני: *propterea, quod in eo data est lex in monte Sinai.* בסיון זכות התורה, *In Majo ascendit dignitas legis.* Consultus mensis quartus, Tamuz, Junius, pariter abnuit. על מן בגלל די ביה אתבקע שור ירושלם ולא חזי למיקם עקתא תרין זפנין: *quia eodem disruptus est murus Jerusalem,*

ruſalem, nec conveniebat, ut tribulatio gemina in uno menſe exoriretur. Medraſch haud diſſimiliter: בתמוז זכות הארץ ועוד למה לא עלה הגורל בתמוז ואב שאמרו לפני הקב"ה רבונו של עולם דיינו פורענות שאירעו בנו לבניך בתמוז חמשה ובאב חמשה: *In menſe Tamus adſcendit dignitas terræ ſanctæ. Porro, cur non aſcendit ſors menſis Tamus & Abh? Quia ipſi* (menſes, vel Præſides eorum) *dixerunt coram Deo: Domine mundi, ſatis ſuperq; nobis ſunt ultiones, quæ contigerunt in nobis filiis tuis; in Tamus nempe quinq;, & in Abh quinq;.* De Abh Targum idem cauſatur: באב לא על מן בגלל די ביה פסקו מתי מדברא וביה הדרת שכינת מרי עלמא ומלילת עם משה: *In Abh, Julio, non* (cecidit ſors ad arbitrium Hamani) *ideo, quod in illo deſierunt, qui in deſerto mortui ſunt: Eodem etiam gloria divinæ præſentiæ, & locutio* (Dei) *cum Moſe* (deſijt.) Abundè ergò miſeriarum jam hoc menſe Iſraëlitis accidit. Cùm inde ad Elul, Auguſtum procederet, nec is voto reſpondit. על מן בגלל דיביה סליק משה בטורא דסיני למיסב תרין לוחין או חרנית: *Propterea quod in eo adſcendit Moſes montem Sinai, ut duas tabulas poſteriores afferret Deo,* ut Targ. ait: Medraſch autem; עלה אלול זכות השלמת החומה של ירושלם שבו נשלמה ה"הד ותשלם החומה בעשרים וחמשה לאלול וגם זכות מעשר בהמה כהיא דתנינן תמן באחד באלול ראש השנה למעשר בהמה: *Aſcendit dignitas menſis Elul, quam habet à conſummatione muri Jeruſalem, qui eo ipſo eſt abſolutus, quomodo ſcriptum extat* Neh VI. 15. Et abſolutus eſt murus die menſis Elul vigeſimo quinto. *Inſuper dignitas ei quoq; eſt à decimatione pecudum; quomodo alibi tradi-*

tur: *In primo die menſis Elul eſt novus annus, quò pecudes decimantur.* Hoc ergò operam ſuam recuſante, procedebat ad menſem ſeptimum, Tiſri ſeu Septembrem. Sed & hunc deprehendit refragantem: על מן בגלל די בירח משתבקן חוביהון דישראל, *quia eodem remittuntur delicta Iſraëli.* Medraſch plures adjungit cauſas. עלה בתשרי זכות שופר וכפור ורגלים, *Aſcendit menſe Tiſri dignitas tubæ, & expiationis ſolennis, & feſtorum.* Liberato ab impio conatu tyranni etiam hoc menſe, octavus ſorte imploratus eſt, quid is polliceretur in rem præſentem? במרחשון לא על מן בגלל די בירח נחת מבולא ואישתזיב נוח ובניו וכל דהוו עמיה, *In Octobri non favebat ſors Hamano, quia eodem menſe deſcendit diluvium, & liberatus eſt Noah cum filiis ſuis, & omnibus qui erant cum ipſo in arca,* ut eſt in Targum: at in Medraſch ita: עלה במרחשון זכות שרה אמנו שבו מתה, *Menſe Marcheſhvan adſcendit dignitas Saræ matris noſtræ, quæ eodem eſt mortua.* Poſtquam & iſte eſſet vindicatus, conſuluit ſortes de menſe Caslev. ſeu Novembri, qui verò in tam iniquum facinus nolebat conſentire. על מן בגלל די בירח אתיסד בירח מקדשא, *quia eôdem fundatum eſt Sanctuarium,* Targ. & Medraſch quoque ferè ſimiliter; זכות חנוכה, *dignitatem Encæniorum* prætendens. Cùm & hic menſis reluctaretur, ambiebat aſſenſum decimi, Decembris. Tebheth dicti: ſed fruſtra. על מן בגלל די בירח סליק נבוכדנצר רשיעא על ירושלם ומסת וכו', *quia eodem aſcendit Nebucadnezar, impius adverſus Jeruſalem, atq; ſatis hoc erat calamitatis.* In Medraſch dignitas Eſræ objecta, ob quam nihil profecit Haman. עלה טבת

זכות עזרא · ה"חד ויעשו כן בני הגולה ויבדילם ונו׳
Pro menſe Tebbeth aſcendit dignitas Eſræ, de qua ſcriptum eſt Eſr. X. 16. 17. Et fecerunt ita filij captivitatis, & ſeparavit eos Eſra ſacerdos, &c. & abſolverunt cum omnibus viris, qui alienas uxores duxerunt, &c. Tum ergò menſis undecimus, quid boni ſpondeat, quid ferre recuſet, ſortium adhibito conſilio ſciſcitatur; á quo autem identidem repulſam tulit. על מן בגלל די ביה
דהוא ריש ירחי שתא לאילני די מנהון מקרבין ביכוריא׃
propterea quod hoc menſe incidit principium menſium anni arborum, de quibus offerunt Iſraëlitæ primitias. Aliam ducit Medraſch: עלה שבט זכות אנשי
כנסת גדולה בעשרים ושלשה בו נתקבצו בו כל
ישראל על פילגש בגבעה ועל צלם מיכה׃, *Menſe Schebhat aſcendit dignitas Virorum Synagogæ magnæ: die quoq; vigeſimo tertio hujus menſis congregabantur omnes Iſraëlitæ propter concubinam in Gibheah, & contra idolum Michæ.*

§. 14. Sic ergò laniena populi Dei ad extremum anni menſem à primo per ſortem eſt dilata, quia duodecimus tandem aliquid proſperi polliceri viſus eſt; atque hîc, ſc. אדר, Februarius Hamano ſortito auſpicatus videbatur, ut in libro Eſth. III. 13. legitur, ubi dies decimus tertius menſis hujus ſævitiei tyrannicæ Hamani effeiendæ electus dicitur. Hamanus ergò divinitus admonitus, &, ut Hebræi quidem fingunt, deprehendens, menſem hunc populo Iſraël fuiſſe fatalem ob mortem Moſis; ut in Talmude, Megill. f. 13. 2. tradunt: הפיל פור
הוא הגורל תנא כיון שנפל פור בחדש אדר שמח שמחה
גדולה׃

גדולה אמר נפל לי פור בירח שמת בו משה ולא חיה
יודע שבשבעה באדר מת ובשבעה באדר נולד: *Cum*
Haman sortem mitteret, caderetq; illa in mensem Adar,
ajunt ex veteri traditione, eum magnopere gavisum
fuisse, atq; dixisse: Cecidit mihi sors eo mense, quo mor-
tuus est Moses. Nesciebat autem homo, quod septimo
ejus mensis mortuus quidem fuerit (Moses,) *sed septi-*
mo quoq; ejusdem mensis natus. Bonum ergò captans auspicium in morte Mosis, in consilio confirmatus est Hamanus, maximè cùm nullam in historia Judaica aliam dignitatem invenire posset; imò & sidera cœlestia, quæ singula singulis præsunt mensibus, cùm per omnes undecim siderum domos percurrendo fausta Israëlitis cognosceret, hujus mensis solius deprehendit illis minus faventia, & malevola. Sidus autem hujus mensis ultimi sunt pisces, qui quod Israëlitis propitij sint, aut ullam pro ijs dignitatem habeant, nullatenùs invenire potuit Hamanus, atque inde valdè lætari cæpit, quamvis seipsum vehementer fallens. Rem ex ipsis Hebræorum monumentis producam.

§. 15. Sic Medrasch Rabbah Hamanum refert, postquam sors cecidisset, pto mense Adar, ut rei esset certior, astra consuluisse: עלה ראש
חדש אדר ולא מצא בו שום זכות התחיל הרשע
לשמח חזר ובדק במזלות טלה זכות פסח ה"הד איש
זה לבית אבות שה לבית שור נמצא זכות יוסף
שנקרא שור ה"הד בכור שורו הדר לו וזכות קרבן
שנאמר שור או שה כי יולד תאומים נמצא בו זכות פרץ
וזרח שנקראו תאומים ה"הד וחנה תאומים בבטנה
אריה זכות דניאל שהיה משבט יהודה הנקרא
אריה:

אריה׳ שנא׳ גור אריה יהודה · בתולה זכות
חגניה משאל ועזריה שהן דומין כבתולה שלא
ידעה איש זולתי בעלה כך הם לא שינו אלהיהם
ודתותיהם והחזקו ביחודן · מאנים זה איוב שנ׳ לו
שקול ישקל כעסי · עקרב זה יחזקאל שנ׳ ועל עקרבים
אתה יושב · קשת זה יוסף שנ׳ בו ותשב באיתן קשתו
נדי זה יעקב שנא׳ ואת עורות גדיי העזים · דלי זה
משה שנא׳ בו וגם דלה דלה לנו: *Cùm ascenderet principium mensis Adar, nec inveniret ibi ullam dignitatem, exortum illi impio erat magnum gaudium: cùm verò sidera quoq; consuleret, tum aries habebat dignitatem à paschate, ut scriptum est* Exod. XII. 3. Quilibet pecudem pro domo patrum pecudem unam pro domo. *Tauro inveniebatur dignitas à Josepho, qui taurus vocatur: ita enim scriptum extat,* Deut. XXXIII. 13. Primogeniti bovis gloria ejus. *Habet etiam meritum aliquod ab oblatione, ut dicitur* Lev. XXII. 27. Taurus aut agnus anniculi aut capra, si nata fuerit. *Gemelli habere reperti sunt dignitatem à Perez & Serach, qui vocantur gemini, uti scriptum est* Gen. XXXVIII. 27. Et ecce, gemelli in utero ejus. *Leonis signum meritum habebat à Daniele, qui erat de tribu Juda, qui leo dicitur, ut scriptum est* Gen. XLIX. 8. Catulus Leonis Juda. *Virgini dignitas erat à Chanania, Misaël & Asaria, qui sunt similes virgini, quæ non novit virum, nisi maritum suum: Sic etiam ipsi non mutarunt Deum suum, nec mores suos, sed perseverarunt in unitate sua. Libra est Jobus, ut dicitur* Job. VI. 2. Utinam indignatio mea ponderando ponderetur. *Scorpio notat Ezechielem, ut dicitur* Ezech. II. 6. Et in scorpionibus tu habitas. *Arcus seu sagittarius est Joseph, ut de illo*

dicitur Gen. XLIX. 24. Et manſit in fortitudine arcus ejus. *Capra, Capricornus, eſt Jacob, ut dicitur* Gen. XXVII. 16. Et pelles caprarum. *Aquarius eſt Moſes, ut dicitur de eodem:* atque etiam hauriendo hauſit nobis. Omnibus ergò undecim ſideribus menſium diſſuadentibus cæptum, hæſit Haman in duodecimo, & à ſidere ejus, & ſortibus, & à filijs Judæorum exploravit, num annueret? Sic enim denuo Medraſch Rabbah ſeu Megillah Rabbethi: בא לו מזל דגים שהוא משמש בחדש אדר ולא נמצא לו זכות ושמח מידי ואמר אדר אין לו זכות ומזלו אין לו זכות ולא עוד אלא שבאדר מת רבן · והוא לא ידע שבאחד באדר מת משה ובאחד באדר נולד משה · ואמר כשם שהדגים בולעין כך אני בולע אותן · אמר לו הקב"ה רשע פעמים נבלעים ופעמים בולעים ועכשו אותו האיש נבלע מן הבולעין יאמר רבי חנן הדא הוא דכתיב ונהפוך הוא אשר ישלטו היהודים המה בשונאיהם · אמר ר' תנחומא ולא דבר י' למחות את ישראל אלא כך היה אומר דבר כי מחה אמחה את זכר עמלק: *Offerebat ſe ei aſtrum piſcium, quod inſervit menſi Adar: cumq; nullam ibi inveniret dignitatem, confeſtim gaviſus eſt, dicens: Adar nullam habet dignitatem, nec ſidus ejus habet dignitatem aliquam* (pro Iſraël) *nec quicquam in illo menſe eſt, niſi quod Magiſter eorum* (Moſes) *eodem menſe mortuus eſt. Neſciebat nimirum, quod in primo quidem menſis illius die mortuus eſſet, at in primo quoq; ejusdem idem Moſes natus: Dicebat ergò* (~~Moſes~~) *quemadmodum ~~latrones~~ devorant, ſic ego eos devorabo. Cui verò Deus in cœlis regeßit: Impiè, quandoq; ~~homines~~ devorant, quandoq; devorantur ipſi: nunc impius iſte homo devorabitur ab iis qui illum devorant: Rabbi Chanan*

nan ait, hoc idem esse, quod scribitur Esth. IX. 1. Et inversum est hoc, ut Judæi dominarentur ijs, qui eos oderant. *R. Tanchuma dicebat; Non Deus effatus est se Israëlem deleturum, sed potius,* delendo delebo, *dixit,* Exod. XVII. 14. memoriam Amalek. Sic Targum idem signum piscium, quod pro se interpretabatur Hamanus, contra eundem fuisse docet: כד מטא לסוף תריסר ירחי שתא דאי הוא ירחא דאדר חדא ואמר בליעין אנון בידי היכנוני דימא ולא הוה ידע דבני דיוסף מתילן לנוני דימא דהכדין כתיב ובנוני ימא יסגון בגו בני אנשא על ארעא: *Postquam venerat ad ultimum mensium duodecim anni, qui est mensis Adar, lætatus est, dicens: Absorbebimus nos eos operâ meâ sicut pisces maris: nesciebat ille, filios Josephi assimilatos esse piscibus maris, uti scriptum extat:* Et piscibus maris dominabitur inter homines super terra.

§. 16. Audivisti, Amice Lector, Judæorum de sortitione Hamani somnia, deliria, mendacia, quorum commemoratio est refutatio. Ipse Aben-Esra, vulgò sapiens, החכם, à Judæis appellatus, non assentitur fabulis istis. ויש אומרים כי בחר להשמיד את ישראל בחדש אדר כי בו נאשף אל עמיו משה אדונינו ולא ידע כי בו נולד ואחרים אמרו בעבור חבור העליונים במזל גדי שהוא שנים עשר למזל דלי שהוא מזל ישראל והנכון שכן יצא בגורלו כי מהשם משפטו והשם האריך הזמן עד שיעשו ישראל תשובה וימלטו: *Quidam dicunt, Hamanum elegisse mense Adar extingere Israëlitas, quia eodem Moses Dominus noster collectus est ad populos suos, ignorando, eodem quoq; mense Mosen fuisse natum. Alij verò ajunt, id factum esse ex conjunctione cœlesti fidæris capreoli, quod est signum*

mensis duodecimi, cum sidere aquarij, quod est sidus Israëlis. Sed vera sententia est, mensem Adar sorte hoc modo exivisse, quia à Domino est judicium illius sortis, & Deus protraxit tempus ideo, ut Israëlitæ facerent pœnitentiam, & liberarentur, Prov.XVI. 33. Atque omnino veram esse hanc sententiam ipse ajo, statuens, Deum sortes impij tyranni in urnam conjectas, ita gubernasse, ut caderet dies 13. mensis 12. agebatur enim salus totius Ecclesiæ Israëliticæ, unde Numen supremum provide rem omnem pro suo arbitrio & conservatione populi sui ad felicem eventum direxit. Cœterum Hamanum non de diebus septimanæ, sed mensis, sortes consuluisse, inde patet, quia decimus tertius dies mensis Adar, quo crudelis laniena instituta, aliquis omninò septimanæ dies fuerit necesse est: Cur igitur in Medrasch & Targum secundo ajunt, omnes septem dies hebdomatis repugnasse, ut eô perficeretur atrox consilium? Ergo diem aliquem esse triginta diebus mensis alicujus sorte inquisivit Hamanus, cecidit que dies 13. mensis Adar. Puto autem sortitionem ita fuisse peractam: Sumebantur duodecim schedulæ vel tabellulæ, ex qualibet materia, quarum singulis inscribebatur nomen singulorum mensium, conjiciebantur que in urnam, & miscebantur: post aliquis pro ritu Persico dignus habitus extrahebat schedulam, præter propter oblatam, quæ nomen mensis Adar habebat. Deinde sumtis alijs schedulis triginta, vel 29. (sic enim variabat mensis iste, ut habent Calendaria Hebraica) notabantur numeris 1. 2. 3. &c. injiciebantur urnæ,

urnæ, miscebantur, extracta exhibebat numerum 13. Quô factô, cælitus sibi & mensem & mensis diem, quô cæptis insisteret, patefactum existimabat Haman; atque divinitus quidem sortitionem istam temperatam fuisse, in salutem non Hamani, sed Israël, penitus assevero. Si quis verò ex collatione versuum 12. & 13. Cap. III. Esth. colligat, prius diem, post mensem inquisitum fuisse, non erit nobis alienus, quum & vers. 7. dicatur, sortes jactas fuisse à die in diem, & à mense in mensem.

CAP. IX.

De
Materia sortium in genere.

§. I.

MAteria instrumentorum sortitoriorum maximè variat, ut ferè sit innumera. Cùm enim sortitio non tantùm fiat in sanctuario, curia, castris; ubi certus aliquis ritus plerunque observari solet: sed ubique aliâs, pro cujusvis ferè arbitrio, de re qualibet, & tempore fortuito; liberum itaque cuique est, rem quamlibet usurpare in sortem, quamcunque vel locus, vel tempus, vel occasio subministraverit. Sic hodie facilè sortiri solent omnis generis & notæ

tæ homines, pueri, puellæ, utriuſque ſexus, cujuſcunque fortunæ & conditionis, quibus quicquid caſus offert, id in ſortitionem adhibent, ſæpè tollentes ſtramina, ligneola, præ pedibus ſtrata, lapillos, nummulos ex marſupio, cultros, animalia bruta, & quicquid ludentibus aptum, ſortituris uſui eſſe poteſt: de varijs verò ludorum generibus vide Al. ab Alex. l. 3. c. 21. Poteſt autem materia ſortium variè diſtingui, dum alijs ſortibus utuntur dividentes bona, alijs conſulentes, alijs divinantes: alias uſurpant in Sanctuario, alias in curia, alias domi, alias in caſtris. Inprimis commoda eſt diviſio ſortium in artificiales, & in inartificiales: quarum illæ ſunt, quæ ad uſum ſortiendi quavis arte, qualibet forma aptantur paranturque, ut characteres, notæ, voces, literæ, &c. ijs inſcribi poſſint: hæ verò, quæ adhibentur ut natura ipſa ſuppeditat, ſine ulla manus humanæ fabrica, ut ſunt lapilli, fabæ, ligna, &c. Sed commodiſſima videtur diſtinctio, quæ ſumitur ex ipſa ſortium natura, & materia ut Philoſophi vocant, ex qua; ſic enim ſortes fiunt vel ex rebus animatis vel inanimatis. Animatæ ſunt varia animalia, quæ præcipuè in ſortibus conſultorijs & divinatorijs adhibentur. Quales erant olim vaccæ duæ, lactantes vitulos, quas ex conſilio ſacerdotum ſuorum plauſtro novo, in id facto, adjunxerunt Philiſtæi, ut impoſitam arcam Domini traherent, quo ſponte vellent, 1. Sam. VI. 1. Eodem loco habet Stengelius, quod Bileam aſinâ admonitus, Chlodovæus (de quo ſupra) in cerva, S. Ita à cervo,

Igna-

Ignatius Lojola à mula, ducti leguntur; historias seu fabulas ipsas nolumus fastidio Lectoris exponere; quamvis magni æstimet Jesuita Stengelius hujusmodi sortilegia per asinos, mulos, vaccas, &c. *Non enim* (ait ille) *est difficile divinæ sapientiæ etiam per Arcadicum pecus, aut asini, aut mulæ, aut bovis, aut vaccæ stupiditatem ad prudentiam erudire. Cum rebellem filium Absolonem vellet Deus infelici arbori suspendere, mula carnificem egit: potest eadem etiam, si Deus vult, agere præceptorem: unde multò stultissime agunt, qui inde se excusant à Divini verbi auditione, quod parochos habeant & simplices & non satis doctos. Per bestiam te potest summus Magister instruere, quid quæris Platonem? Ipsi Apostoli nonne simplices fuerunt, atq; illiterati? quid tunc fecisses, an Petrum piscatorem, aut Nathanaelem, verum Israëlitam, in quo dolus non erat, concionantem audire noluisses?* Perbellæ comparationes! quas ut approbamus in Pontificiorum pastoribus, asinis assimilatis, & Lojola, Bileami, Sauli, Absolomi, mulâ asinove ductarum, exemplô; ita repudiamus quoad S. Apostolos, divinitus maximis & miraculosis divinis cælestis sapientiæ & scientiæ instructos, levissimè hîc asinis comparatos, & quosvis alios dignos Ecclesiæ Christianæ ministros. Sibi habeant Pontificij rudes asinos, viæ ductores cæcos, hos sequantur ipsi papicolæ, exemplô Bileami, Saulis, Absolomi, &c. aliter Spiritus S. Psalm. XXXII. 8. *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via, qua gradieris, consulam tibi oculo meo*, v. 9. *nolite esse sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* De asinis missificis in Antichristianismo vid. Vale Triumph D. Dannh. sect. 22.

§. 2. Ad

§. 2. Ad sortilegia tamen consulenda bestias fuisse adhibitas, imò & ipsos homines, inscios tamen aliquo modo, exempla verarum historiarum monent: Gen. XXIV. 14. Sic Rebecca, Eleasaro servo Abrahami hydriam porrigens, camelosque ejus potans, pro sorte fuit. Nec non vir hydriam gestans, Marc. XIV. 13. Equos in eligendis Regibus h. m. inserviisse, exemplum Darij Regis, & consilium Cæsaris Friderici III. supra nos docuit, addamus hic tertium, sed dolosum: *Præmislao Rege Poloniæ vita functo, exoritur nova de principatu contentio; cumq; nullus appareret ambiendi modus atq; finis, placuit rem fortunæ committere. Indictus est itaq; ad certam diem maculosorum equorum cursus, qui primus ad metam perveniisset, ejus Dominus Princeps ut esset. Erigitur meta ad Prandinicam amnem: effunditur ad spectaculum ingens hominum multitudo. Ibi Lescus quispiam, competitorum unus, cum stadium vafro consilio (straverat enim clam in sabulo ferreos acutos stylos, quibus currentium equorum pedes irretiret) impedivisset, primus ad metam obliquo & minimè impedito tramite pervenit. Munierat autem & equi sui calces ferreis soleis, ut si forte cum impetu currens in eos incidisset, non offenderet in stylis. Cum omnium aliorum equi de more illius temporis soleas nullas haberent. Illius itaq; vi, prorsus ignaris omnibus & miraculo attonitis, jamq; victorem & principem, quasi divinitus sibi oblatum Lescum acclamantibus, techna deprehenditur; protrahitur Lescus in medium, convincitur, damnatur, concerpitur*, ut ex Chron. Pol. Joh. Herburt. l. 1. c. 8. adducunt. Longe plura hujusmodi sortilegia observari solent in divinationibus, ut ex animatis futuros eventus inquirant, avibus, inprimis

mis aquilis, corvis, cornicibus, vespertilionibus, gallis, & fere omnibus, earumque ex cantu & volatu vaticinia petantur, circa quæ plerunque habentur aniles superstitiones, ut non veræ sortes, sed vanorum hominum deliria potius vocari mereantur; nisi quod forte aliquando naturali causa tempestatem vel voce, vel volatu prænuncient, de qua avium fatidica natura pulcherrime canentem vide Virgil. l. 1. Georg ubi inter alia:

Haud equidem credo, quia sit divinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia major.

Quod poeta non de avibus tantum, sed quibusvis aliis quoque bestiis exponit. De auguriis vide inprimis Edon. Neuh. sacra fatid. l. 3. c. 10. seqq.

§. 3. Sed plures & potiores sortes habentur ex rebus inanimatis, vel arte factis, vel nullam artificem manum expertis: quarum hæ tamen certiores sunt & aptiores sortitioni; quia illæ sæpissime fallunt, fallacibus manibus in dolum & ad decipiendum paratæ, pro callida alterutrius sortientium perfidia; sortes vero simplices, prout ipsa natura, sine fraudulentæ manus accessione, præbet, fallere nesciunt, neutrius partis studiosæ sunt, nec earum culpa ullus dolus, ulla fallacia intervenire, & probitatem judicij sortitorij intervertere potest. Quid enim manus humana, animum callidum, astutum, fraudulentum ducem habens, sortes scindendo, notando, formando, non in suam partem & commoditatem machinari potest, ad decipiendum & perdendum consortem? quam malitiosè Stalino senex apud Plautum sortes signaverit, suo dicemus loco. Sic

A. Gel-

A. Gellius l. 5. noct. Att c 9. refert, quendam Samium athletam, cui Aegles nomen, cum antea non loquens fuisset, tanto stupore ad visam fraudulentiam sortientis, commotum, ut statim loqui cœperit. *Nam cum in sacro certamine sortitio inter ipsos & adversarios non bona fide fieret, & sortem nominis falsam subjici animadvertisset, repentè in eum, qui id faciebat, sese videre quid faceret, magnum inclamavit. Atq; hic oris vinculo solutus, per omne inde vitæ tempus non turbide, neq; adhæsè locutus est.* Quot quantæque fraudes accidere soleant per numeros, eo capite recensebimus, quod de sortitione per numeros tractabit. Hinc D. Dannhavverus in Disp. de sortit. definitionem sortitionis ponit istam; quod sit *actio, divina providentia speciali temperata, medio aliquo usitato, sed inartificioso adhibito, terminata ad vel lucrum boni temporalis, vel decisionem dubij, vel revelationem arcani.* Artificiosum medium explodens, non intelligit sortes artificiales, ex. gr. schedas, charactere aliquo signatas, sed opponit sortitionem arti, in primis callidis inventis, quibus qui ingenio plus valet alterô, facile alterum vincit: sunt qui ingeniosè, insuper & feliciter chartis vel talis ludunt, socium subinde superantes: id in sortitione longe abesse debet, & res tota fortunæ, à Deo ipso dirigendæ, commendari: cuicunque actioni ars intervenit, non sors est, sed fraus aut lusus. Artificiales vero sortes ut & inartificiales ex omnibus fere rebus fieri possunt; recensebimus duntaxat celebriores.

§. 4. Primo sortes jam ab antiquissimis temporibus fiebant ex metallis, quorum præcipuum

puum est aurum: ex illo, tempore templi primi confectas fuisse sortes, hircis impositas, suo loco plenius dicetur. Aureæ quoque erant sortes, quas Tiberius in fontem abjecit: is enim *cum Illyricum petens juxta Patavium adisset Geryonis oraculum, sorte tracta, qua monebatur, ut de consultationibus in Aponi fontem talos aureos jaceret, evenit, ut summum numerum jacti ab eo ostenderent, hodieq; sub aqua visuntur hi tali,* tradit Suet. cap 14. aureô nummo sortitionem fieri in inclyta Rep. Argentoratensi, cum paribus votis ad consulatum duo vocantur, perhibetur; Venetos usurpare globulos auratos & argenteos (similiterque S. P. Q. Basileensem) in eligendis Magistratibus, infra allegabimus; aliâs in deligendis urbibus oppugnandis, chartulis, quibus nomina urbium inscribebant, uti postmodum sequetur. Ferrum alicubi adhibebant in probandis criminis alicujus suspectis; si enim candens ferrum illæsa manu gestassent, pro puris habebantur; exempla leguntur apud Speidel. in observ. historico-pol. & Cranzium, quale est mulieris, nobilis alicujus viri, quem cum Maria conjux Othonis III. falsò accusaverat, quod se de stupro solicitasset, illa ignitum ferrum in conspectu omnium pertulit. Sic in furto detegendo uti solent ἀξινομαντείᾳ, quam expediunt securi, rotundo palo infixa, aptataque ad normam ac perpendiculum, & cum præfatione, ordine enumeratis nominibus eorum, qui in suspicione hærent; ad cujus mentionem securis vel levi impulsu circumagit se, aut nutat, eum culpæ reum peragunt, ut Peucerus habet Meminit hujus axinomantiæ Pli-

Plinius, l. 36. cap. 19. *Hoc* (lapide Gagate) *dicuntur uti magi in ea, quam vocant axinomantiam, id peruri negant, si eventurum sit, quod aliquis optet.* Talis divinatio magica est, quam vocant κλειδομαντείαν, cum clavis circumdata scripto nomine furis suspecti, & sacræ scripturæ libro alligata, digitisque virgineis sustentata, sua motu proprio rotatione & volubilitate furtum (ut nonnulli existimant,) indicat, postquam κλειδομάντης versus quosdam voce submissa superstitioso que murmure susurravit, ut in Henr. Corn. Agr. à Nettisheim librorum de occ. philos. appendice reperitur, vide etiam Del Rio, l. 4. c. 2. q. 6. sect. 4. Plumbum aliqui liquefactum in aquam conjiciunt, nescio quid divinaturi. Lapidum in sortitione usum admodum frequentem fuisse, sequentia docebunt. Multa sortium genera ex ligno fuisse, tota sortitionis historia testatur, inprimis ῥαβδομαντείαν, de qua in peculiari capite: alias ex variis arborum speciebus faciebant sortes, urnæ aut alij vasi injiciendas, quas certis prius signis notabant. In Sanctuario Israëlitico sortes erant, si Talmudicorum fides firma, ex אשכרוע, quod Buxt. in Lex. Talm. exponit, quod sit cedri species, & legatur pro Hebræo תדהר, quod alij ulmum, fagum, pinum, &c. alij arborem oleasam interpretantur, Jes. XLI. 19. Talmudicis est שאנרה, abies, אשכרעין idem: vid. infra c. 22. דפן דאשכרעין, tabulis abiegnis, vel buxinis. Ezech. XXVII. 6. item ואשכרעין, Jes. LX. 13. In exterarum sortibus abietis lignum usitatum fuisse, imò sacrum quoque, ex Prænestinis clarum est, quippe quæ primitus in robore prisca-

priscarum literarum nobis insignitæ, inventæ sunt, ut supra cognovimus, abiegnas autem sortes in vulgari quoq; sortitione adhibitas, ex Plauti Casina discimus:

Tibi quidem edepol credo eveniet, novi pietatem tuam:
Sed manedum: num ista aut populna sors, aut abiegna est tua?

ubi simul habes indicium sortium populnearum; de populea virga Virgilius (à virga illa sic dictus) vide porro in rhabdomantia. Quanti olea in sortibus fuerit æstimata, ex sortibus Prænestinis patet. Cum enim hæ monitu nocturno in somniis à Numerio Suffio inventæ essent, eodem loco, ubi postea Fortunæ ædes sita fuit, mel ex olea fluxisse proditum est, aruspicesque dixisse summa nobilitate illas sortes futuras, eorumque jussu ex olea illa arcam esse factam, eaque conditas sortes, quæ Fortunæ monitu sublatæ sunt, ut Peucerus ex Cicerone refert. quin & quando calculos in urnam certo numero conjiciebant, fiebat præmisso folio oleæ, cui Ἔρως nomen erat, inde quod Mercurium præsidere sortibus credebant, ut idem habet. In templo primo sortes sacras festo expiationum eductas ex nuce factas fuisse, alij ex buxo, dicunt, de quo inferius Buxearum sortium etiam in libris exoticorum memoria extat, ut Salmasius in pall. Tertull. prodit; cujus verba, plures res huc pertinentes, declarantia hic apponimus. Sic enim Tenus exponit: *Tenus apud Plautum pro vinculo vel laqueo:*

Nunc ab transenna turdus lumbricum petit:
Pendebit hodie pulchre, ita intendi tenus.

Marcellus laqueum interpretatur, & dictum à tendicula dicit purum & putum græcum est τὸ τέν@ vel τέννο@. Hinc tenues etiam virgulas & festucas tenos dixere, ut φιλύρια Græci. Aelianus. Περσῶν βασιλεὺς ὀδοιπορῶν, ἵνα μὴ ἀλύῃ φιλύρεον, ἔ̓χειν καὶ μαχαίριον, ἵνα ξέῃ τὸ@. φιλύρεον est tenus, unde & minutas ac tenues de virga præcisa tesseras, quibus ad sortiendum utebantur, tenos vocabant. In legibus Prisonum: Tali de virga præcisa, quos tenos vocant; & alibi: Alibi faciat suam sortem, id est, tenum de virga. Tenus est ξυλήφιον, καρφίον, festuca, & sorticula lignea. Sorticulæ buxeæ mentio in libris agrimensorum, hinc καρφία βάλλειν, pro sortes ducere, apud Constantinum, in libro de imperio. Et de illo sortium ducendarum genere accipiendum, quod vulgò curtam festucam appellamus. Sic hodie vulgatissimus sortiendi modus & mos est, ut junctis tot, quot sunt sortientes, festucis vel straminibus, vel virgulis, disparis longitudinis, sortiantur, & qui traxerit brevissimum, sit postremus in sorte, qui longissimum, supremus, vocamus, Das Hälmlein-ziehen. utuntur etiam ligneolo oblongo, quadrilaterali; singulis lateribus ex vocibus istis una. *Omnia accipe, nihil pone*; quod vero potius lusûs, quam sortitionis genus est. Ab hoc lignis sortiendi ritu, sunt qui græcum κλῆρο@ derivant à κλῶ vel κάλον, quæ lignum significant. Sic Eustathius ad Iliad. ῥαψωδ. η. vers. 175. docet, κλῆρον ita vocari ἀπὸ τ῀ καλεῖν ἵνα εἰς ἔριν πολέμ. ἄλλως δὲ ἁπλῶς ἐν τῷ καθόλ., ἀπὸ τ῀ καλεῖν ἵνα εἰς πρόσκειμενον ἔργον, ἢ πρᾶγμα, ὡς δὲ, καὶ ἀπὸ κάλ., ὃ ἐστι ξύλον παρήγεσθαι ὁ κλῆρο@ λέγεται, προγέγραπται καὶ αὖθ. à vocando aliquem in certamen militare. Vel etiam simpliciter & universim à vocando aliquem in opus aliquod propositum aut rem

rem aliquam; quomodo & à voce κάλον, *i. e. lignum deduci,* κλῆρος *dicitur, quod antea ſcriptum eſt.* Similiter idem ad Iliad. ῥαψῳδ. γ. Τὸ δε αὐτὸ καὶ πάλος λέγεται. ἀλλὰ τοῦτο μὲν παρὰ τὸ πάλλω, τὸ κινῶ. κλῆρος δὲ ἀπὸ τοῦ τέλους τῆς κινήσεως, παρὰ τὸ κλῶ, τὸ καλῶ, δι' οὗ ἐκπηδήσαντος καλεῖται τις ἔργον, ἢ μᾶλλον ἀπὸ τοῦ κάλου τὸ ξύλον, κατὰ Ἡρωδιανὸν, ὡς ξύλων μάλιστα πάλλεσθαι διδομένων ἐν τοῖς τοιούτοις. i. e. *Hoc vero ipſum* (σημεῖον, ſignum ſortitorium) *vocatur etiam* πάλος, *quod & ipſum eſt à* πάλλω, *moveo, concutio.* κλῆρος *autem dicitur à fine hujus commotionis, à* κλῶ, *quod idem ac* καλῶ; *quia per illud ſymbolum exiliens* (ex urna) *vocatur quis ad opus, aut ſi mavis à voce* κάλον, *quod notat lignum ſecundum Herodianum, tanquam quod ligna ut plurimum dentur ad ſortiendum in hiſce.* Hoc ſenſu Sophoclem utrumq́ue uſurpaſſe conjunctim ibidem dicitur: is enim alicubi ſcribit: οἱ τεταγμένοι βραβῆς κλῆρον ἔπηλαν. *Ordinati præmiorum arbitri ſortem projecerunt.*

§. 5. Sortibus porro aptum eſt, quicquid ſcripturæ recipiendæ aptum, plurimæ enim ſortes notabantur nominibus, literis, numeris, characteribus: inde conficiebantur ſchedulæ, lamellæ, globuli, pilæ, ex varia materia, modo ſcriptioni aut inciſioni accommoda; atq́ue inde præter ligna & lapides fiebant ſortes ex charta, ære, plumbo, pellibus, foliis, corticibus arborum, papyro præſertim Ægyptiaca. vide Pancir. res perditas & noviter inventas. In Talmude Tract. Menachoth. f. 34. 1. diſputant Gemariſtæ, num ſchedulæ poſtium ſeu מזוזות ſcribendæ ſint in lapide, an atramento in libello? de utroq́ue ceu vetuſtiſſimo ex S. literis ibidem diſſerunt: atramento antiquitus ſcribi ſolitum fuiſſe apparet ex

Jerem. XXXVI. 18. præprimis evolvendus hac de re est Mattheſius in Sarepta, ubi copiosè & eruditè materias, quibus olim inſcriptum, excutit, probans, materias illas fuiſſe ex lapidibus, marmore, plumbo, cera, ligno, pergamena, pellibus aſininis, foliis, corticibus, papyro, &c. In cultu Divino adhibebatur aurum pro ſcriptione nominis Divini, in frontali Sacerdotis; lapides pretioſi, pro nominibus tribuum. Antiquitus etiam buxo, fago, & ejuſmodi materiis inſcriptum eſſe, teſtantur authores probatæ fidei ubique; atque hinc ad materiam ſortium facile eſt judicium. Quemadmodum enim nos, quibus chartæ communis uſus eſt ad ſcribendum, eadem quoque utimur ad ſortes ſcribendas; ſic veteres eandem & ſortibus & aliis ſcripturis adhibebant materiam. Sortibus autem inſcribebant varia; nomina in primis perſonarum vel rerum, de quibus vellent ſortiri; ut in ſortibus Iſraëliticis nomina tribuum nec non terræ ſanctæ partes, nomen Divinum & Aſaſelis; quemadmodum apud exteros quoque ſeu paganos nomina pugnatorum, ut latius de omnibus ſuo loco diſſeretur. Deinde inſcribebant literas alphabethi, pro eligendis athletis, cibis, damnandis vel abſolvendis reis, vel differendo judicio. Inſuper notabant eas numeris, ut ex Plauti Caſina patet:

Chal: *tene ſortem; tene:*
Vide quid ſcriptum eſt. Ol. *unum.* Chal. *iniquum eſt, quia iſti prius quam mihi eſt.*

Inſigniebant pariter ſortes ſuas varijs characteribus, ut Peucerus refert, quod itidem infra clarius expo-

exponetur: in quo quam superstitiosi olim fuerint, in characterum nempe μαντείᾳ & μανείᾳ, videri potest in Corn. Agr. à Nettysheim, l. 2. occ. philos. Quin & sæpè integras sententias, & dictiones symbolicas & ominosas inscribebant: nam, ut Bernegger.us tradit, interdum nobilis alicujus poetæ, Virgilij potissimum apud Latinos, apud Græcos Homeri, sed & aliorum versus pittacijs describebant: quibus in situlam conjectis idem ordo servabatur, qui in alijs sortitionibus, queis urna interveniebat. Quod etiam fit in deligendis sanctis patronis, ut infra sequetur. Quale forsan symbolicum responsum fuit, de quo Del Rio l. 4. c. 2. q. 7. sect. 3. ex Joanne Leone, lib. 8. descript. Afr. *In capsula, abaculi forma constructa, quasdam ali aviculas, ad has venire, qui consilium quærunt, & obulum offerre: aviculam stipem accipere, inq; capsulam inferre rostro: deinde regredi, & responsum in chartula referre consultori.*

§. 6. Præter sortes arte factas plures alias sumebant ex diversissima materia; Gideon velle-reusus est pro sorte, Jud. VI. 37. Athenienses adhibebant calculos è marinis conchis, quorum albi integri absolutionis, nigri perforati damnationis erant, vide plenius infra: quandoque in sortitionis usum aqua inserviebat, ut olim aquæ amaræ, quibus potabantur suspectæ de adulterio, Num. V. 12. quomodo in sagarum criminibus plerunque adhiberi solebat aqua frigida. Maleficam enim præsumtam ad flumen vel lacum adductam olim ligatamque in aquam frigidam projectam fuisse, quæ si enatarit, vehementer malefi-

cij ſuſpectam, atque iterum quæſtioni ſubjectam eſſe; ſi vero ſubmergebatur, ut innocentem abſolutam, ex Speidel. Specul var. obſerv. adducunt. Mirandam naturæ in aquis induſtriam obſervant piſcatores & nautæ circa homines ſubmerſos, mortuoſque repertos: ſi enim mas ſubmerſus inveniatur pronus innatare aquis, probus habetur, mulier è contra prona eſt ſuſpecta, quæ ſe ipſam aquis obruerit. Si mas reperiatur ſupinus in aquis, improbus habetur, fæmina vero proba. In hujuſmodi ſortitionibus divinatorijs ignem quoque uſurpatum, multæ hiſtoriæ teſtantur; crebro enim vel perſonæ vel rei ſive facti æquitas igne explorata legitur antiquitus. Confer exemplum è Sacris Eliæ, 1. Reg. XVIII. 24. Temerarium olim erat, quando quidam Chriſtiani fidei articulos chartis inſcriptos igni tradiderunt, quô, cum ſæpius exerceretur, eam hoſtium religionis ludibrio potius quam aſſenſui expoſuerunt. Sed plura ejuſmodi, præſertim divinatoriæ & conſultoriæ ſortitionis exempla afferre non eſt inſtituti: Magis hûc faciunt illæ ſortes, quæ in dividendo adhibitæ leguntur, quarum fere innumeræ in multivarijs caſibus ubique habentur ſpecies. Tot enim genera ſunt ſortium, quot placita voluntatum, ut Stengelius loquitur.

CAP.

CAP. X.

De

Talis, tesseris, astragalis, &c.

§. I.

UT ludorum ferè omnium species in sortes commutari possunt, sic & talorum tesserarumque. Sortituris enim de re aliqua convenire solet, ut si quis lusu eo, quem elegerunt, victor extiterit, re ea potiatur vel rei parte aliquâ, circa quam contendunt. Cui usui talorum, aut astragolorum tesserarumque jactus crebro inservit à temporibus jam antiquissimis. Talorum enim inventores creduntur Tyrsenus & Lydus, Atyos Lydorum tyranni filij: qui cum valida aliquando fames universam invasisset Lydiam, neque quid sperarent amplius, haberent, ut instanti calamitati, quoquo modo possent, aliqua reperirent remedia, temporisque moras inanibus frustrarentur ludibrijs: & hoc sese fallerent modo, pilæ lusum, & talorum insuper & tesseræ, aliaque pleraque hujuscemodi oblectamenta excogitasse feruntur, ut Leonicus Thomæus de var. hist. l. 3. c. 12. refert. Talorum verò usum in sortitione fuisse antiquitus, ex probatis authoribus intelligitur: meminerunt enim in hunc sensum talorum Cicero aliquoties, Horatius, Persius, Sue-

tonius in Tiberio, & alij. Eos autem & tesseras & astragalos, ita Alex. ab Al. l. 5. c. 21. describit: *Post latrunculos fuere tali eburnei, sex angulorum æquali latitudine, tesseræ verò quatuor: namq; erant figuræ ex omni latere quadratæ, quas Græci κύβους vocant. Sed tamen in jactu tesseris utebantur tribus, talis verò quatuor: in quibus figuræ effictæ vicem numeri habebant, sed quinarius numerus non erat in talis, sicut in tesseris. Tali autem astragali Græcè dicti, & astragalizontes, talis ludentes. Geminum verò quadratum, hoc est, octo laterum dixere asphalum. Lapillorum ludus ex octo punctis vel figuris constabat, inter quos unus, stesichorius nomine, hoc est, octonarius, præcipuus erat. Qui quidem turricula, seu quæ dicebatur arca, vel fritillus, super patenti tabella punctis distincta jactabantur, ne lusoris manus jactum falleret, & non casu, sed fraude consisterent. Talorum verò canis damnosus, senio medius, & anceps: siquidem modo lucra, nonnunquam damnum afferebat. Is verò quaternarium numerum facit, Chius verò ternarium. Venus autem, quæ summum continet numerum, multum lucri affert semperq; felici exitu ludum terminavit. Hæc enim cani opposita, colias dicebatur, tricenariumq; absolvebat numerum. Euripides verò quadragenarium. In talis verò quoq; legimus Vulturium, & Herculem Basilicum, quæ an signa fuerint, vel numeri, dubitatur adhuc. In tesseris Midas fortunatissimus erat. In lapillorum jactu ter sex summam Græcis afferunt victoriam, tria verò summum damnum.* Sed non in omnibus conveniunt docti: talos enim omnes ex ebore factos fuisse, vix verisimile; sane Tiberianos, in fontem Aponum missos, ex auro, Achaicos autem, ex quibus oraculum Herculis,

factos

factos fuisse ex ossibus hostiarum, suprà jam vidimus. Atque hodie etiam plerunque ex ossibus, nonnunquam etiam chrystallo, alijs & varijs rebus talos fieri, ubique conspicitur; Parthorum pueros aureis talis lusisse certo anni tempore, Alexander idem Neapolitanus recenset. Tesseras id est, talos quadrilaterales seu quadratas, & oblongas, ex ligno fieri, Plinius lib. 16. c. 18. testatur, ligustra tesseris utilissima asserens; quomodo lignea vulgò sunt eæ, quibus inscribuntur voces. *Omnia accipe, nihil pone.* de quo Cap. præcedenti. Sunt deinde aliæ authorum de talis differentiæ, quas verò, lusum potiùs attinentes, omittimus. Id præcipue observandum, quod de notis talorum & tesserarum dicitur, fuisse partim numeros, partim etiam characteres; de numeris ex iis quæ modo dicta sunt, patet; ea Peucerus h. m. exponit, *Canis, seu canicula, senionis, chij, Veneris,* &c. nomina declarans; scilicet, κυβείαν *tesseris perfici, cubi specie sculptis, quæ* ἐξάπλευρος *est, & sex includitur lateribus. Antiquitus trium usu* κυβείαν *expeditam scribunt: postea numerum duplicatum, excrevisse in senarium, ob numerum laterum, quorum bina quælibet obversa sibi invicem, punctorum notis & numeris septenarium numerum complent, ut* μονὰς & ἕξας, *item* τελὰς ἡ πεντὰς, δυὰς ἡ πεντὰς; quomodo nimirum hodienum esse solent tali & aptari, ut septenarius numerus ex obversis duorum talorum lateribus semper emergat & exhibeatur.

§. 2. Videntur autem voces illæ de jactu canis, senionis, veneris, &c. sumtæ ex ipsorum

rummet animalium talis & eorum situ, quem Aristoteles, lib. 2. hist. anim. h. m. describit: Πάντα δὲ τὰ ἔχοντα ἀστράγαλον, ἐν τοῖς ὀπισθεν ἔχει σκέλεσιν· ἔχει δὲ ὀρθὸν τὸν ἀστράγαλον ἐν τῇ καμπῇ, τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δε ὔπλιον εἴσω· καὶ τὰ μὲν κῶα ἐντὸς ἐστραμμένα πρὸς ἄλληλα, τὰ δὲ χία καλέμενα, ἔξω, καὶ τὰς κεραίας ἄνω. i. e. Interprete Theod. Gaza: *Omnia verò, quibus datus est talus, cruribus eum posterioribus continent, ita ut erectus in suffragine, parte sui prona foras, supina introrsum spectet, & quæ veneres vocentur, intus adversæ sibi positæ sint: quæ canes, foris: quæ antennæ, supra habeantur.* vid. Erasmi Colloq. cui nomen ἀστραγαλισμὸς. Sed quoad notas talis inscriptas, aliter exponunt docti. Canem quidem seu caniculam jacere, semper infelicis est & nocentis fortunæ, ut Persius indicat, Sat. 3.

Jure etenim id summum, quid dexter senio ferret
Scire, erat in voto; damnosa canicula quantum
Raderet.

Hanc unitatem Græcè vocari ajunt χῖος, chius, ut Peucerus docet: Valebat κῶος senarium seu ἑξιτλως; χῖος, qui & κύων dicebatur, & canis, unitatem: Cumque & quaternionis ac ternionis notas habuerit talus, τὸ πρανὲς quaternionem, τὸ ὔπλον ternionem valuisse conjicio. Duo enim quævis adversa latera notis seu valoribus junctis efficiebant septenarium, κῶος & χῖος, id est, μονὰς καὶ ἑξὰς; idemque τὸ πρανὲς καὶ ὔπλον, id est, τελειὰς καὶ τριὰς. Et sic etiam in Lexicis, ut magis assentiar, quam Alexandro Neapol. chium per ternarium exponenti. Veneris jactum semper vicisse atque felicem reddidisse, ex antiquis authoribus clarum. Horatius l. 2. carm. od 7.

—*quem*

—— *quem Venus arbitrum*
Dicendi?

Suetonius in Augusto cap. 71. ex epistola quadam Augusti hæc recenset: *Inter cœnam lusimus γερουλικῶς*, (quid hoc sit vid. Schildium & Erasm. Colloq. ἀστραγαλισμὸς dictum) *& heri & hodie. Talis enim jactatis, ut quisq; canem aut senionem miserat, in singulos talos, singulos denarios in medium conferebat: quos tollebat universos, qui Venerem jecerat.* Perficiebatur jactus Veneris quatuor talis, ut ex Cicerone constat, qui lib. 1. divinat: sic scribit: *Quatuor tali jacti casu Venereum efficiunt: num etiam centum Venereos, si quadringentos talos jeceris casu futuros putas?* Tum autem Venus jaciebatur, si quatuor talorum jactorum numeri supremi essent dissimiles, ut Peucerus docet, scribens: *Erat Veneris jactus, cum de quatuor talis nullus summis notis cum altero congrueret, & habebatur felicissimus.* Sunt tamen qui dicunt, Venerem esse si quatuor tali jacti omnes summum exhiberent numerum, quomodo hodie illi, qui vel de pignore, vel de morte & vita ludunt, vincere censentur, qui plus in talis jactis, vinci verò, qui minus sunt adepti. Hujusmodi sortitio aut lusus vocatur ἀστραγαλισμὸς, qui quatuor talorum jactu exercebatur, quibus ut quisque Venerem misisset, Coumve, sicubi vel dispertiendum erat aliquid in sortitione, jus eligendi præ cæteris adipiscebatur, vel tollebat id, de quo certamen erat, quodve victori propositum erat præmium. ut iterum Peucerus docet, scribens porrò, ejusmodi talorum jactus fuisse in universum triginta quinque,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn784953996/phys_0143
DFG

que, quos pro valoribus & significatis felicibus aut damnosis, suis singulas appellationibus insignierant, vid. Erasmi colloquium, cui ἀστραγαλισμὸς nomen est. Communi verò vocabulo dicebantur Græcè πλώσεις. Quodsi autem quatuor talorum jactus triginta quinque fuerunt, & singuli sua habuerunt nomina, forsan duo ex illis erant Vulturius & Basilicus, quorum Plautus meminit in curculione act. 2.

Postquam cœnati atq; appoti (sumus) talos poscit sibi in manum.

Provocat me in aleam: ut ego ludam, pono pallium

Ille suum annulum apposuit, invocat Planesium

Ph. *Meosne amores?* Cu. *tace parumper, jacit voltorios quatuor*

Talos arripio, invoco almam meam nutricem Herem

Jacto Basilicum.

Aliter legunt quidam, nimirum post *meam nutricem*: Herculem jacto Basilicum: vel etiam, meam nutricem Herculem. Est verò mihi suspecta vox Herculem, quia omninò hîc adesse debet nomen aliquod fœminæ: ut enim alter lusurus invocat *Planesium* virginem, quam Phædromus vocat *suos amores*: Sic Curculio talos jacturus suam invocat almam nutricem, quam nomine exprimit. Sic enim ludentes talis invocasse suas adamatas, ex eodem Plauto apparet in captivis; ubi ait: *Nam scortum in convivio sibi amator, talos cùm jacit, invocat.* Suspicor ergò Herculem

culem non esse nomen notæ talis inscriptum, sed virginis aut scorti alicujus, nec pertinere etiam ad Basilicum. Dubitat autem Alex. ab Al. an nominibus istis numeri seu notæ in talis, aut signum aliquod notetur: poterit enim esse, ut vulturius jactus ita dictus fuerit à vulture, talis insculpto vel inscripto; & Basilicus à Regis imagine impressa, quales fere notas habent chartæ lusoriæ. Cœterum sortibus antiquitus integras inscriptas fuisse sententias, ex Livio colligo, qui dec. 3. l. 2. inter multa prodigia refert, sortes sua sponte attenuatas, unamque excidisse ita inscriptam: *Mavors telum suum concutit.* Verum non exprimit, quænam illæ fuerint sortes, Præneſtinæ an Cœrinæ? nec si expressisset, clarum satis est, an talorum fuerint forma, an alia? Præneſtinas ex robore excisas & dolatas inscriptasque fuisse, Cicero l. 2. divinat. tradit, ut ex ejus verbis supra cap. 2. allegatis vidimus: at nihil de forma talorum. Si intelligit sortes, quæ Cœrete colebantur, quas similiter decadis ejusdem l. 1. extenuatas memorat, æquè obscurum, cujus illæ fuerint formæ. Præneſtinis verò aliquando versus Poëtæ alicujus inscriptas, infrà videbimus. Talorum formam habuisse sortes, in Oraculo Herculis suprà ex Peucero dictum est. Et tales quoque fuisse sortes, quas jussu oraculi Geryonis Tiberius fonti Aponum immisit, non minus supra audivimus.

§. 3. Patet aliquo modo ex his, ad quosnam usus tali & tesseræ fuerint adhibitæ: nimirum 1. ad lusum, ut prolixè & diligenter ex vari-

variis auctoribus Th. Demsterus docet ad antiq. Roman. Rosini l. 5. c. 1. ubi totam rem eleganter exponit. Discrimen talorum & tesserarum esse ex Martiali ostendit, qui epigr. 15. l. 13. cujus lemma est Tessera, ait:

Non sum talorum numero par tessera, dum sit
Major, quam talis alea sæpè mihi.

Jactum canis infortunatum esse, talos autem eburneos, Ovid. l. 2. de arte am. indicat, ubi instruens, quomodo virgo ad amorem commovenda sit, ita canit:

Seu ludet, numerosq; manu jactabit eburnos,
Tu malè jactato, tu benè jacta, dato.
Seu jacies talos, victam ne pœna sequatur,
Damnosi facito stent tibi sæpè canes.

Martialis lib. 13. epigr. 1.

Senio non nostrum cum cane quassat ebur.

Senionem jactum Midam quoque dici, & prosperrimum esse, idem Demsterus docet, de quo verò dubito, & Midam vocari potius Venerem vel similem optimum jactum existimo, ex ijsdem vetusti scriptoris verbis, quæ ipse Demsterus affert: Μίδας ὁ ἐν κύβοισιν εὐβεβλώθλῳ, *Midas in tesseris consultor optimus.* Venerem autem esse, si tali jacti omnes numeros exhiberent dissimiles, ex Martiali, l. 14. epigr. 14. conjicitur, dicente:

Cùm steterit nullus vultu tibi talus eodem
Munera me dices magna dedisse tibi.

Jacientes ergò Venerem laudabant, querebantur canem, ut in Propertio. lib. 4. eleg 9.

Me quoq; per talos Venerem quærente secundos,
Semper damnosi subsiliere canes.

Lu-

Ludentes mittebant talos in vasculum quoddam, antequam jacerent illos in tabulam, nempe in fritillum, fimum dictum, orcam, pyrgum, turriculam, pyxidem corneam, &c. quod ex Juvenali patet: Sat.14.

—— *parvóq; eadem movet arma fritillo.*

& Horat. Sat.7. l.2.

—— *atq; mitteret in pyrgum talos.*

nec non Persio, Sat.3.

—— *Damnosa canicula quantum*
Raderet, angustæ collo non fallier arcæ.

Plura hujusmodi ex varijs authoribus congessit Demsterus; inprimis & fritillo. Ex vasculo isto, probè prius quassato, fundebant talos in tabulam lusoriam, ut hoc modo omne periculum doli abesset, quæ fortè fieri posset, si tali è nuda manu projicerentur. Unde Martialis, vel turricula apud eum:

Quærit compositas manus improba mittere talos,
Si per me misit, nil nisi vota facit.

Omnibus tamen promiscuè lusoribus & in omni lusu eundem morem semper observatum, non crediderim. Apud Romanos talorum lusus maximè senibus competebat, apud alios verò populos etiam pueris, unde Cicero lib. de senect. ait; *Nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant, & tesseras:* Et Augustus in epistola quadam ad Tiberium, se convivasque lusisse γεροντικῶς, profitetur; nam liberaliores potationes talorum insititijs lusionibus diffindebant, ideo inter alia apophoreta dati etiam tali; γεροντικῶς, hoc est, ut faciunt senes otio redditi;

quod

quod Schildius ex Casaubono annotat: ubi plura vide huc referenda, nisi potius ad lusus pertinerent. De pueris ludentibus talis, testis est Apollonius Rhodius, l. 3. Argon.

—— ἀμφ' ἀφαλοῖσι δὲ τάλω
χρυσείοις, ἅτε κοῦροι ὁμηλικες ἐψιόωντο.
Ut pueri æquales ex auro ludere talis
Sunt deprensi ambo.

Talorum autem usus erat in sortitione maximè divisoria, & divinatoria. De illa plura jam habuimus exempla & testimonia, ad quam etiam vulgò referunt sortitionem militum, de tunica Christi sortientium, cujus tali adhuc hodie in regno Pontificio monstrantur, alter quidem in Hispania, in templo Salvatoris, alter Treviris, velut sacrosanctæ res, inter reliquias Sanctorum religiosè inspiciendæ, vid. Wolff. lect. mem part. 2. fol. 234. In hac, divinatoria sorte talos adhibitos & tesseras, Peucerus tradit, *Tessellis talisq; jactatis divinationem captasse, & ex summis talorum faciebus, aut iis, qui tesseris inciſi erant, characteribus, divinasse de eventu, aut ad quæsita respondisse.* Vocatur inde sortitio ista κληρομαντεία & παλομαντεία; ad quam pertinet Tiberij factum, talos fonti Aponum injicientis; ut & sortes Oraculi Herculei, ad Buram, Achajæ oppidum: id enim ex talis & abaco erat constitutum, vide supra Cap. 2. quibus hic verba tantùm Nic. Leon. Thom. de var. hist. l. 1. c. 39. subjungimus: *Buraicus fuit amnis juxta mare, non procul à Bura, Achajæ quondam oppido fluens: juxta hunc Herculis fuerat fanum, futurorum prædictionibus inprimis celebre. Erat autem (ut ajunt) oraculum*

culum ex talis & abaco constitutum, hoc maximè modo: Consulturus quisq; Deo inprimis supplicabat, inde post peractas preces talos quatuor super mensam jaciebat, qui plurimi ex hostiarum ossibus confecti illic passim reperiebantur. Talorum posthac situm, variasq; inter se figuras observans, quidnam ea vel illa prædicere vellent, ex abaco postea ille scriptum notatumq; clare lectitabat. Quales autem figuræ, quæ voces & literæ, qui characteres talis, aut abacis inscripti fuerint, hactenus reperire non licuit. Multa traduntur de mensulis Planetarum, ex astrologia magica, multis admodum magnisque cœlestium virtutibus insignitis, magicis numeris & lineis depictis, ea vide in Corn. Agr. Occult. Philos. l. 2. c. 22. ubi & abacos Saturni, Jovis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, Lunæ exhibet. De hujusmodi sortibus talorum, ad se & alias notas collatorum, loquitur forsan Cicero l. 1. de divin. *Cujus generis oracula etiam habenda sunt non ea, quæ æquatis sortibus ducuntur, sed illa, quæ instinctu divino afflatuq; funduntur, etsi ipsa sors contemnenda non est, si & authoritatem habet vetustatis, ut hæ sunt sortes, quas ex terra editas accepimus: quæ tamen ductæ, ut in rem aptè cadant, fieri posse credo divinitus.* Alias, quia oracula plerunque non in templis tantùm, sed & in antris edebantur, sortes etiam divinatoriæ in profundos fontes aut flumina jactari solebant, quod non exemplo tantùm Tiberij probat Demsterus, sed & ex Casaubono; atque inde ex Sozomeno l. 5. hist. Eccl. c. 19. ostendit, id in Græcorum consuetudine moribusque fuisse; porrò & exemplo

Inus fontis, ex Pausania in Laconicis, & Claudiano idem exponit: Et ob id *in fontes dona quædam, ceu accepti beneficij præmia conjiciebant, perceptæ sorte discessuri, non minus quam illi, qui oraculum consulebant, donaria votiva templis inferebant.* Quanquam non talos tantùm, sed & calculos in fontes eadem de causa projectos, Plinius attestetur l. 8. ep. 8. *Hunc subter fons exit, & exprimitur pluribus venis, sed imparibus, eluctatusq; facit gurgitem, qui lato gremio patescit, purus & vitreus, ut numerare jactas stipes, & relucentes calculos possis.* An verò de calculis naturâ in illo gurgite jacentibus, intelligenda hæc sint, non est quod inquiramus. Magnam alias veterum circa fontes & flumina religionem fuisse, omnis historia testatur, inprimis videndâ Nicol. Leon. Thom. varia historia; nec non M. Andreæ Beyeri additamenta ad Syntagm. Seldeni, cap. 3. Sed fontes magicos & fatidicos hinc inde Peucerus recenset in libro de divinationibus: Edon Neuhus. l. 3. c. 3. sacr. fatid. Ob frequentem ergò talorum usum in sortitione Cicero l. 2. divin. ait: *Quid enim sors est? idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod tesseras.*

CAP.

CAP. XI.

De Schedis, laminis, calculis, creta, carbone, fabis, glebis, pilis, testulis, &c.

§. 1.

SOrtitionis instrumenta, quæ modo Capite præcedenti exposita sunt, in tabulam aliquam temerè jactabantur: jam eas inspiciamus sortes, quæ urnæ, situlæ, aut hujusmodi vasculo injici solebant. Illarum præcipuæ sunt schedæ, vel laminæ ex quavis materia, nominibus aut literis idoneis notatæ: earum usus fuit & antiquissimus & frequentissimus apud varios populos, Hebræum inprimis, Græcum & Romanum. De Hebræo constat ex historia sortitionis festo expiationum, Joma dicto, factæ, à Deo ipso Mosis ætate imperatæ, post semper in Ecclesia Judaica observatæ. Illam verò factam esse duabus schedulis, quarum alteri nomen Dei, alteri Asaselis inscriptum, urnæ injectis, manuque Sacerdotis religiosè extractis, infrà fiet manifestum, ubi totam sacræ hujus sortitionis historiam altius ex S. Scriptura & Talmude repetemus. Haud aliter expeditæ sunt sortes quibus terra sacra divisa est, ut ex Josuæ aliquot

Capitibus apparet: similis ratio cum sortibus, quibus distribuebantur officia sacerdotalia, quæ omnia planiora fient ex sequentibus. An verò sortitiones, quibus Achan, Jonathan, Jonas, &c. facinorum patratores proditi leguntur, schedis quoque peractæ fuerint, non ita certum, quia planè aliud sortitionis genus erat, de quo etiam postea alio loco fusius. Sufficit jam ex prioribus nosse, quam frequens & nobilis schedularum in sortitione apud populum sacrum fuerit usus, quemadmodum & alijs gentibus non ignobilior. Nam divinæ, uti vocantur, sortes Prænestinæ à prima suâ origine erant ex ebore, excisæ & dolatæ, ut ijs integræ sententiæ potuerint inscribi: ejusmodi sortitiones per schedulas ubivis frequentantur, in curia, castris, domibus privatis, & ubique aliâs, teste experientia. Quæ enim sortitio eâdem hac solennior & vulgatior? ut non inconveniens sit conjectura, sortitionem, qua Matthias in Apostolatum acceptus est, eodem modo & medio fuisse peractam; scil. duas cœtum pium sumsisse schedulas, quarum alteri nomen Matthiæ, alteri Josephi innotatum; cumque aliquis à cœtu delectus, manu schedam extraheret, divina procurante moderatione, exijt scheda Matthiæ, Josephi in fundo relicta. Atque hæc commodissima ratio erat sortiendi Apostolis omnibus, cum quam quilibet terram & terræ partem, in universum mundum exituri, prædicatione Verbi Divini occuparet, sortirentur: sumtis nimirum duodecim schedulis, quibus partes terræ, in duodecim portiones divisæ, nomi-

nominatim inſcriptæ eſſent, ad exemplum duodecim tribuum Iſraël, terram Canaan ſorte diſtribuentium, exactiſſimè negotium hoc expediverunt.

§. 2. Calculorum uſus in ſortitione nobilior eſt in hiſtorijs profanis, quam ſacris: nam præter locum Apoc. II. 17. deinde exponendum, vix genuinus in S. Literis occurrit: at in externis crebra earum fit mentio. Vox autem Calculus propriè notat lapillum, dicitur ita, quod ob parvitatem ſine moleſtia calcetur, ut eſt in Cornucopiæ Nicolai Perotti. Uſus calculorum eſt in ludo latrunculorum, de quo vide Demſterum ad Roſinum; non ludicra autem, ſed gravior & ſeria eorum uſurpatio eſt in ijs ſortitionibus, quibus judicia & quæſtiones forenſes tranſigebant, in colligendis ſuffragijs, dicendis ſententijs, an reus damnandus capitis an abſolvendus? quod Lacedæmonij obſervaſſe dicuntur, apud quos Senatus Conſultum fiebat vel per ſingulorum ſententias exquiſitas, & per calculos in urnas conjectos, quum de quoquo negotio, quid quiſque ſentiat, conſulitur, & ſuo loco rogatus ſententiam dicit, aut quum verbo aſſentitur, vid Alex. ab Al. l. 4. c. 11. Suffragia hoc modo colligendi morem vetuſtiſſimum fuiſſe apud Græcos, ex Ariſtotele patet, qui problem. 29. quæſt. 13. ſcribit: διὰ τί ποτε ὅταν καὶ τῷ φεύγοντι καὶ τῷ διώκοντι φαίνωνται ψῆφοι ἴσαι, ὁ φεύγων νικᾷ? *Cur ſi ſuffragia pari numero, reo & accuſatori fuerint, reum vincere ſancitum eſt?* & poſtea: ὥσπερ ὅτε ἐξ ἀρχῆς ὁ μὲν κεκάλει, ὁ δε ἀπηρνεῖτο· ἐπεὶ οἰόμεθα δεῖν τὸν νομοθέτην προσθέναι τῷ ἐγκαλοῦντι, ἀλλὰ τὸν φεύγοντα κύριον εἶναι, ἕως ἂν

ὑπεροχήν τινα ἔχῃ ὁ ἀδικῶν· ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν κριτῶν, ἐπειδὴ οὐδεμίαν ὑπεροχὴν ἰσασθεισῶν τῶν ψήφων, κατὰ χώραν εἴασεν ὁ νομοθέτης ἔχειν, i. e. *Ut in principio cum alter accusat, alter negat, legum autorem non accusatori facere, sed reum dominum esse statuere existimamus, donec accusator præeminentiam quandam acquirat? itidem cum pari suffragiorum examine judicatur, nullam præcedentiam seu prærogativam legislator accusatori reliquit.* Quæ melius intelligentur, si quæ Erasmus ad adagium: Λευκὴν ψήφον προσθεῖναι, commentatur; nîmirum *antiquitus missis in urnam calculis, ita ferebantur à judicibus sententiæ, ut albis absolverent, nigris damnarent. Qui si forte fortuna fuissent æquales, tamen liberabatur reus, ejusq; rei causam Aristoteles copiosissimè reddit in problematibus.* De calculorum more meminit Ovid. metam. l. 15.

Mos erat antiquis, niveis atrisq; lapillis
His damnare reos, illis absolvere culpa.
Tunc quoq; si lata est sententia tristis, & omnis
Calculus immitem dimittitur ater in urnam.
Quæ simul effudit numerandos versa lapillos,
Omnibus è nigro color est mutatus in album.

Plinius in epistola quadam: *Nam quo magis intendam limam tuam confitebor & ipsum me, & contubernales, ab editione non abhorrere: si modo tu fortasse errori nostro album calculum adjeceris, id est, si nostrum hunc errorem tuo judicio comprobaris.* Lucianus in Apologia, οὐκ ἐν παρέργῳ θέμενος, τὴν λευκὴν παρά σου καὶ πληρῆ μοῖ ἐνεχθῆναι. i. e. *haud parvo æstimans, si mihi contingat, album abs te plenumq; suffragium auferre.* Ejusmodi locutiones crebro apud vetustos autores, Græcos præcipuè, ibidem affert Erasmus, & inde

inde morem antiquissimum calculorum in judicijs adhibitorum probat. Athenienses in Areopago calculis ex conchis marinis usos fuisse Cap. sequenti dicemus. Regibus etiam Lacedæmoniorum binos calculos ponendi, cùm sententiam dicunt in senatu, facultatem fuisse, tertium verò, si quid pro se decernere vellent, iterum Alex. ab Al. refert l. 4. c. 11.

§. 3. Erat etiam celebris calculorum & lapillorum usus in notandis diebus felicibus, ut ex Plinio colligitur, qui l. 7. cap. 40. scribit: *Vana mortalitas, & ad circumscribendum seipsam ingeniosa, computat more Thraciæ gentis, quæ calculos colore distinctos pro experimento cujusq; diei in urnam condit, ac supremo die separatos dinumerat, atq; ita de uno quoque pronunciat. Quid quod iste calculi candore illo laudatus dies originem mali habuit?* Quem morem Poëtæ sæpiùs notant, ut Horatius l. 1. od. 36. *Cressa ne careat pulchra dies nota* Quidam legunt Thressa, ut quod hi Cretensibus illi Thracibus tribuant. Est enim *cressa nota*, idem ac *nota Cretensium more facta.* Thressa autem Tracum. Sed, ut Demsterus judicat, parum interest: nam utriusque populi eadem consuetudo, ut ferri possit altera lectio. Persius, initio Sat. 2.

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.

Intelligens diem natalem feliciter exortum. Pro candido lapillo utebantur ditiores, si dies admodum faustus processisset, unione, ut iterum Erasmus in adagio, *Creta notare*, exponit: Unione notare sæpius apud authores reperiri, *pro eo, quod*

est inter felicia prosperáq; numerare. Ductum à veterum superstitione, qui unumquemq; anni diem, missis totidem in urnam, aut ut apud Scythas, in pharetram, calculis signabant, quem arbitrabantur prospere abijsse, candido calculo, aut creta, quem egregiè felicem, unione; contra quem inauspicatum, nigro lapillo notabant. Quo alludit Martialis l. 12. epigr. 3.

Et si calculus omnis huc & illuc
Diversus, bicoloráq; digeratur
Vincet candida turba nigriorem.

Pro unione aut lapillo candido alij usurpabant cretam, pro nigro verò carbonem; ut creta absolutionis, carbo condemnationis esset symbolum. Hinc adagium: Creta aut carbone notare, quod est *approbare, & carbone notare, quod est damnare: propterea quod Pythagoras ajebat id, quod esset colore candido, ad boni naturam pertinere, quod atro, mali: unde & felicia alba dicimus; infames, nigros.* M. Tullius in actione pro Cecinna de teste Sexto Clodio Phormione: *nec minus niger, nec minus confidens, quam ille Terentianus Phormio.* Et Horatius:

Hic niger est, hunc tu Romane caveto.

Atque idem iterum:

Sani, an creta, an carbone notandi.

Quem imitatus Persius ait, in quinta Satyra:

Quæq; sequenda forent, & quæ vitanda vicißim.
Illa prius creta, mox hæc carbone notasti.

De diebus atris, infaustis, inauspicatis, verworffenen Tag. Seld. de Jur. N. & G. l. 3. cap. 17. Ejusdem planè notæ erant fabæ albæ & nigræ: nam *olim fabis nigris & candidis sortiri consuetum est,*

ait

ait Peucerus: & Alex. Neap. l. 3. c. 5. *apud Græcos,* ſcribit, *alba faba in ſortibus auſpicata fuit, & boni eventus: nigra verò mali:* & lib. 4. c. 11. *Græcis & pleriſq; gentibus fabis ſuffragia dabantur.* Plenius hæc iterum Eraſmus ex Plutarcho exponit; qui in vita Periclis refert; ὀκτὼ μέρη διελὼν τὸ πᾶν πλῆθος, ἐπεκλήρου· καὶ τῷ λαβόντι τὸν λευκὸν κύαμον εὐωχεῖσθαι καὶ σχολάζειν παρεῖχε, τῶν ἄλλων μαχομένων. διὸ καὶ φασὶ τοὺς ἐν εὐπαθείαις τισὶ γινομένους, λευκὴν ἡμέραν ἐκείνην, ἀπὸ τοῦ λευκοῦ κυάμου προσαγορεύειν. id eſt, *univerſam multitudinem partitus in octo partes ſortibus utebatur, & cui obtigiſſet alba faba, huic cæteris pugnantibus permittebat in convivio atq; ocio agere: quapropter etiam ajunt eos, quibus res aliquæ ſuaviter ſuccedunt, eum diem album vocare, nimirum ab alba faba* Confer Tiraq. de jure primogen. & de colore utroque albo nigroque apud veteres ſemper ominoſo, prolixè multi egerunt, vide Sopranem de re veſt. Judæorum, digreſſ. 1. c. 6. Demſterum in Roſinum, Antonium Thyleſ. Coſentinum de coloribus, &c.

§. 4. Similem ferè uſum habebat olim pila, ut Demſterus ad Roſ. antiq. Rom. eleganter exequitur, exponens locum Sext. Propertij, l. 4. eleg. 12.

Aut ſi quis poſita judex ſedet Æacus urna,
In mea ſortita judicet oſſa pila.

Qui locus difficilimus, ut Demſterus vocat, vix ab ullo quoad pilam inprimis ſortitam, explicatus eſt. Joh. Paſſerotius, quidam Doctor Demſteri, docet, ſortiri pilam eſſe ſorte educere ex urna nomen judicis in pila ſcriptum: & Plutarchus in Lycurgo pilas exiguas è furfure com-

memorat, quibus conjectis in vas, tanquam sortitione fabarum admittebatur vel excludebatur aliquis è convivijs Lacedæmoniorum. Sed hæc vel non attingunt judicum tribunalia, vel quid pila sit sortita, non declarant. Existimat ergò Demsterus, pilas esse in Propertio globulos quosdam, quibus nomina judicum inscripta, & adduci se ait maximè authoritate Asconij Pediani in Manilianam. *Quarto* nimirum *die adesse omnes in posterum juberentur, ac coram accusatore ac reo pila, in quibus nomina judicum inscripta essent, æquarentur: dein rursus posterâ die sortitio judicum fieret, unius & octuaginta, qui numerum cum sorte obtigissent, ipsi protinus sessum irent.* Quæ sortitio per pilam extractam observata quoque, si quis ex judicibus reo videbatur inimicus, vel incommodus, tum positis in arca judicum nominibus, dein in urnam conjectis, cujus nomen exibat, is loco suspecti judicis ad dicendam sententiam erat destinatus, quam vocare solent *subsortitionem*; quæ etiam fiebat, si quis judicum esset demortuus, aut aliâs occupatus, ut idem Demsterus ex Asconio Pædiano, Suetonio, Cicerone, & Servio adducit, de qua infra suo loco amplius: nec non si quis ex frumentatoribus decessisset, ut Sueton. in Cæsare c. 41. testatur: ubi ex Sabell. Schildius annotat: *Ut prætor scil. ex numero eorum, quibus fuerat frumentatio sorte ademta, subrogaret: quasi detrimenti levamen quoddam esset illis, qui exclusi fuerant, si per novam sortitionem demortuorum loco amissa commoda esset recuperare datum.* Sic igitur, ubi apud Scriptores veteres reperitur, judices fuisse sorti-

titos vel subsortitos, de pilis intelligendum, quibus nomina judicum inscripta, urnæ injecta, & inde educta fuerunt. Simile igitur est sortitionis genus, quo hodie Veneti sortiuntur, globulis nimirum vel auratis vel argenteis. Non tamen semper pilis usos fuisse Romanos, sed frequentissime tabellis, ex historia Comitiorum eorundem abundè constat: eam prolixè describit Rosinus, lib. 6. per totum: quoad suffragia verò ferenda capite inprimis 14. ex Dionysio: ubi etiam non omnibus temporibus eandem rationem observatam monstrat: *Ante leges* nimirum *tabellarias latas, populus voce suffragium ferebat: at postea cœpit tabella suffragium ferre.* Centuria enim prærogativa à Magistratu in tribunali sedenti, per præconem ad suffragium, vel in legibus ferendis, vel creandis Magistratibus, vel damnandis absolvendisve reis, vocabatur in Campo Martio; post discedebat inde in septum quoddam probè tribunal, alio nomine Ovile vocatum: eratque locus in eodem campo cancellis concluſus, in quo erant qui suffragium dicebant, & quo alijs interim ingredi non licebat. In illud igitur ovile, seu septum, centuria discessura ibat per pontes, qui erant angustæ viæ, per quas populus in ovile discedebat. In pontis initio stabant diribitores, qui tabellas singulis ministrabant. Ingredientibus ovile rogatores cistam proponebant, in quam conjicerent eam, quam vellent, tabulam. Postquam autem totius centuriæ tabellæ collectæ erant, tum educendis suffragijs adhibebantur custodes. Eorum munus erat

descri-

describere suffragia, ut ea centuriæ sententia renunciaretur, in quam plures inclinasse conspiceretur. Hoc autem erat describere suffragia, tot puncta in tabella notare, quot tabellæ similes reperirentur, ut inito tandem numero ea centuriæ sententia renunciaretur, quæ plures habere similes tabellas ex numero punctorum perspiceretur. Tabellis verò à diribitoribus ministratis, quisque ex centuria inscribebat suam sententiam seu suffragium: quando ex. gr. de lege aliqua accipienda rogabantur per rogatores, qui acceptam volebant, tabulæ suæ inscribebant literas: V. R. id est, uti rogas. q. d. accipiendam judico, uti rogas: qui rejiciendam, inscribebant: A. id est, Antiquo, q. d. abrogo, nolo acceptum: si tabulæ literarum V. R. numerô prævalerent, lex accipiebatur communiter. Sin tabulæ literæ A. superarent numerô, lex non accipiebatur. Si tabulæ ambæ numero pares, iterum sortiebantur, donec alterutræ tabulæ superarent. Ad hunc morem respiciens Cicero l. 3. de leg. ait: *Vos item, ut video, legem antiquastis sine tabellis.* Si verò de reo condemnando lex fuisset lata, & suffragia centuriæ de ea rogarentur, tum si tabellæ utrinque, & absolventium & condemnantium suffragiorum essent pares numerô, in favorem rei absolvisse censebatur centuria, & lex de condemnando reo antiquabatur: lege enim cautum esse scribunt, ut æqualitate suffragiorum reus absolutus judicaretur. In Magistratum verò creatione numerus inibatur tabellarum, quæ idem nomen continerent. Cujus enim candidati nomen

nomen plures tabellæ comperiebantur continere, is ab ea centuria Consul, Prætor, Censorve factus renunciabatur, expectandaque erant reliquarum centuriarum suffragia. De quo more vide disputantem Ciceronem l. 3. Leg. Hinc intelliguntur phrases passim obviæ apud Scriptores veteres de *puncto, dare alicui punctum, scribere, tribuere, puncta ferre*, &c. qualis illa apud Horatium in arte poet.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Ejusmodi mos, ut vel laminis, vel schedis, vel tabellis, literæ symbolicæ vel nomina inscriberentur, aliâs etiam erat vulgaris, exempla reservamus aliò, in primis ubi de eligendis Magistratibus, sacerdotibus, judicandis reis, &c. erit dicendum, patebitque Romanis subinde alios ritus fuisse in judicijs suis, imprimis quoad signandas tabellas.

§. 5. Glebis etiam sortiebantur aliqui, urnæ aquâ plenæ injectis, cujus exemplum est sortitio Temeni sacerdotis impostoris. Cum enim longa inter Cresphontem & inter Aristodemi posteros Heraclidas de agro Massenaico esset controversia, quam sortitione finire communi consensu decreverant, & utrinque conventum, ut quorum sortes ex luto formatæ in aqua tardius liquescerent, illi vicerint: Temenus Cresphonti favens, ejusdem glebos ad ignem durabat, alteras vero siccabat ad solem. Cum ergo sortes utræque urnæ, aquâ refertæ, immergerentur, Cresphontis duriores tardius, Aristodemi vero filiorum molliores citius dissolvebantur, atque ita his liquefactis, illæ integræ extrahebantur, fraudulenta sortitione ager Messeniacus Cresphonti

phonti cecidit, Ariſtodemi hæredibus pereuntibus, vid. Peucerum, & D. Dannh in diſp. de ſortitione. Solennior in ſortitione uſus erat apud Græcos teſtarum vel teſtularum, quarum aliquoties meminit Cornelius Nepos, in Viris Illuſtribus, Themiſtocle cap. 8. *Teſtarum ſuffragiis è civitate ejectus, Argos habitare conceſſit.* In Ariſtide cap. 1. *à Themiſtocle collabefactus teſtula illa exilio decem annorum multatus eſt.* Quod genus ſortium dictum fuit Oſtraciſmus, ut idem author teſtatur in Cimone, cap. 3. hic enim ex invidia civium teſtarum ſuffragijs, quod illi Oſtraciſmum vocant, decem annorum exilio multatus legitur. Dicitur ita ab Oſtraco, ſive teſtula, per quam ſuffragia ferebant. Qui mos talis erat, ut in teſtulis nomen audacis & pernicioſi civis, cujus potentiam formidabant, comitijs inſcriberent; & cujus plures erant teſtæ in urnam conjectæ, is de concilij ſententia ab aris fociſque projectus, ut à civium arceretur aſpectu, quindecim aut decem annorum exilio ſolum vertebat. Fuitque conſtitutum, ut ita damnati Argivam exulatum irent, ubi bos erat æneus magnitudine viſenda, quare qui illic exulabant, ſervare bovem dicebantur. Quæ comitia niſi ſupra ſex millia civium concilio ad judicij diem convenirent, nulla atque irrita erant. Ea quidem oſtraca non plebejorum atque ignobilium cauſa, ſed ad retundendam nobiliſſimorum potentiam commenti fuere, ut extorres lare & patria, quaſi in exilio conſeneſcerent. Quare Athenienſes egregios cives & bene meritos ſæpius ob virtutem, ne quis amplius emineret, teſtulâ ablegarunt.

garunt. Fuitque finis ostraciſmi in Hyperbolo, ignobili & minimæ ſortis viro, qui ultimus hoc exilij genere exterminatus fuit, vid. Alex. ab Al. l. 3. c. 20. plura inferius de oſtraciſmo dicenda occurrent. Mentionem quoque teſtularum facit Livius, dec. 3. l. 5. cum enim M. Poſthumio ducentum millium æris multa indicta eſſet, & certandæ ejusdies adveniſſet, conciliumque tam frequens plebis adeſſet, ut multitudinem area capitolij vix caperet, perorata cauſa, ſpes una videbatur eſſe, ſi C. Servitius Caſca tribunus pl. qui propinquus cognatuſque Poſthumio erat, prius quam ad ſuffragium tribus vocarentur, interceſſiſſet. Teſtulis datis Tribuni populum ſummoverunt, ciſtellaque allata eſt, ut ſortirentur, ubi Latini ſuffragium ferrent. Oſtraciſmo ſimilis erat πεταλισμὸς Syracuſanorum: hi enim non in teſtula, ſed in oleæ frondibus ſuſpecti civis nomen inſcribebant, & cujus folia plura exiſterent, illius conſpicuam magnitudinem quinquennali exilio multabant, vid. Al. ab A. d. l. uſum foliorum arborum quarundam ſupra quoque notavimus, in ſortitionibus obſervatum.

§. 6. Ex his quæ ad locum Apoc. II. 17. commentanda ſint, videamus. Sic autem ejus verba habent: Τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν, καὶ ἐπὶ τὴν ψῆφον ὄνομα καινὸν γεγραμμένον, ὃ οὐδεὶς ἔγνω εἰμὴ ὁ λαμβάνων. Ad veterum ſortitionem alludi, nulli dubium eſſe poteſt. Cum vero diverſa ejus fuerint genera, diverſæ quoque habentur doctorum expoſitiones: quidam metaphoram hic eſſe ajunt à riſu veterum, calculis albis abſolventium reos, nigris con-

condemnantium petitam. Quod igitur scriptum, in calculo albo nomen novum credentibus beatis dandum promittitur, sensum esse dicunt, quod Christus credentes non solum à damnatione absoluturus sit, sed etiam hac gloriâ ornaturus, ut sint & celebrentur filij Dei. 1. Joh. III. 2. Atque his ita sentientibus calculum quoque suum adjicit album Glassius in Rhet. S. primam ajens exponendi rationem esse ex veteri proverbio, quo λευκὴν ψῆφον προσθεῖναι, album calculum addere, sit approbare, ut supra habuimus. Sixtus autem Senensis l. 2. bibl. S. hanc affert declarationem: *Calculus sive lapillus candidus, novo nomine inscriptus; de hoc Jesus Christus Dei filius, Apoc. 2. Vincenti*, inquit, *dabo calculum candidum, &c. quæ verba exponens* Arethas Cæsarienſis Episcopus, in commentarijs Apocalypsis sic scribit: *Vincenti autem diabolum pollicetur Deus calculum candidum, hoc est, mercedem honore & fama fulgentem. Posuit autem hoc loco calculum candidum, quod is notus esset his, qui in theatris ac stadiis certabant, & vincentibus tradebatur. Novum vero nomen æternæ beatitudinis præmium est, quod in præsenti vita ignoratur. Siquidem ea bona, quæ præparavit Deus diligentibus se, oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, nova autem sunt nobis, cum ad eorum possessionem post hanc vitam ingredimur.* Hæc Arethas. *Constat autem apud veteres ethnicos victoriarum dies publicis fastorum tabulis insculptos, consuevisse candi o lapillo prænotari, quò clarius à cæteris diebus discernerentur: ad quem morem alludens* Zœnzonius, poeta Christianus, *triumphalem Servatoris nostri diem, hoc hendeco-syllabo cecinit:*

O diem

O diem festum populis, diemq;
Candidum, qui nos rediens beatos
Reddis, hunc signa niveo quotannis
Musa lapillo.

Cum qua Senensis sententia convenit, teste Glassio, Basilij Fabri in thesauro eruditionis scholasticæ expositio, quâ similiter ad Thracum illum morem, quô felices dies albis, infelices nigris lapillis notarunt, respici statuit.

§. 7. Verum si verba ipsa accuratius attendantur, videtur Spiritus S. non ad unum duntaxat ritum sortitionis allusisse, quemadmodum nec una res solummodo ijs verbis indicata, sed duæ, ut allegati authores observarunt, quas Lucas Osiander in notis marg. ad h. l. breviter recenset: *Absolvam eum ab omnibus peccatis suis, & scribam eum hæredem cœlestis felicitatis.* unde duæ quoq; diversæ phrases adhibentur, δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκήν: &, ἐπὶ τὴν ψῆφον (δώσω αὐτῷ) ὄνομα καινὸν γεγραμμένον: In neutra notationem dierum felicium innui, ipsæ voces ostendunt: aliud enim est, *dare alicui vel adjicere calculum album*, aliud *notare diem felicem calculo albo.* Potius ergo his prioribus verbis indigitatur consuetudo ea Romanorum, qua calculum album dabant seu adjiciebant in urnam alicujus in signum approbationis, absolutionis, electionis in novi honoris dignitatem & fastigium, vel cujuslibet benevolentiæ. Cum vero vix in ulla historia reperiatur, calculis albis, urnæ injectis, nomina vel notas alias inscriptas esse; calculi enim hujusmodi colore ipso candido aut nigro satis jam suffragij indicabant; & porro, suf-

fragiorum instrumenta, tabellæ, laminæ, schedæ, nomina candidatorum exhibentia, non calculi albi erant, ut albedine sua significarent sententiam; existimo ergò, posterioribus textus præsentis verbis ad illum ritum attendi, quo nomina Candidatorum, vel etiam Magistratuum in genere, Consul, Prætor, Dictator, Censor; laminis vel tabellis vel pilis inscribebantur, urnæ deinde injiciebantur, educebantur, atque hoc modo Consul, &c. creabatur, cui sors illa ceciderat; atque tum nomen novi hujus consulis, &c. publicis inscribebatur fastis. Notissimum est ex tota Novi Testam. historia, plurimis in locis respici ad ritus moresque Romanorum, Judæam tum tenentium, & jam à multis annis cum Judæis consuetudinem habentium, ut ex Maccabaicis constat. Apud illos vero usus erat, ut qui ad summos honores evehebantur, sortibus id fieret, & nomina eorum fastis insererentur. Sic Julius Cæsar

Summum dictator honorem
Contigit, & latos fecit se consule fastos.

Idque magnum alicujus familiæ decus & nobilitatis egregiæ pars erat, si ex illa fuissent *pleni numeroso Consule fasti.* ut Lucanus habet, lib. 5. pharsal. & in poëmatio ad Calpurn. Pisonem: quomodo vero Magistratus seu Candidati Magistratuum in Comitijs per suffragia fuerint electi, Rosinus l. 6. cap. 14. ex Dionysio & Asconio docet, & ex illo nos paulò ante, & in sequentibus de hinc capitibus adducinus. Sed alia difficultas se offert, in vocibus ἐπὶ τῷ ψήφῳ; cum enim nullibi legatur, albis calculis nomina inscripta fuisse, dubium

bium oritur, cur hîc dicatur, & ſuper calculo nomen ſcriptum novum? exiſtimo ergo, Chriſtum velle dicere, ſe duplici modo & honore gemino eum, qui vicerit, condecoraturum; priori quidem, album ei adjiciendo calculum: alterô, eidem calculo (quod aliâs quidem inſolitum) inſcribendo novi honoris titulum & nomen, ut calculus idem & albedine & nomine inſignito, de divina erga vincentem voluntate teſtaretur, geminumque eſſet futuræ coronationis indicium; atque ita inſolita inſcriptio nominis candidati cœleſtis in calculo, nota eſſet inauditi in terris & incogniti honoris; poteſt etiam in poſteriori textus commate vox ψῆφος ſumi late, non pro calculo aut lapillo, ſed ſuffragij quovis inſtrumento, ſcheda, lamina, pila, teſtâ, &c. Senſus interim manet perpetuò; Si quis in vita ſua mundum, carnem, diabolum, hoſtes omnes Dei & hominum, fortiter vicerit, omniaque ſcandala ſuperaverit, eum gemino dignabor honore & præmio; ſi mortis & inferni fuerit reus, abſolvam eum ab omni crimine, calculoque meo albo ſententiam feram pro vita & ſalute ejus: deinde magnifico & terris omnibus ignoto honoris titulo decorabo eum, & ineffabili ornabo gloria, ut ſit Rex cœleſtis, coram Deo & Patre ſuo, &c.

CAP. XII.

De

Vasculis, quibus sortes injiciebantur.

§. I.

CUm superiori capite eas sortium species tractaverimus, quæ urnæ alijque vasi, in quo miscerentur & extraherentur, solent injici, proximum nunc est, ut quænam illæ urnæ vel alia hujusmodi vasa fuerint, dispiciamus. Communissime vas tale cavum, quod sortes caperet, vocatum fuit urna, urnula, situla, sitella, arca, &c. In vetustissima quidem, id est, sacra historia vix nomen reperias, quô vas istud significetur: in ipsis tamen exemplis, quæ illa recenset, non obscura habentur urnæ vestigia, uti suis locis ostendemus: quamvis nonnnulli doctorum contendunt, expressam in S. codice urnæ mentionem fieri ut Prov. XVI. ult. חֵיק יוּטַל, *in sinum projicitur sors, sed à Domino ejus judicium:* urnam intelligi ajunt, in cujus concavum sinum sortes conjiciuntur. Sic Stengelius in præfat. *Si etiam poëtis fingentibus, vel apud inferos, immensis urnam quatit Æacus umbris*: quanto magis in hoc mundo sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur, ut dicere quisque possit. In manibus tuis sortes meæ. Deus enim

enim ipsum sortis judicium judicat; unde Chaldæus textus ibidem legit. In sinum Consilij cadit sors, & à Deo egreditur judicium ejus, &c. Delrio quidem de missione sortium in sinum hominis intelligit. *Certe*, ait, *missas aliquando in sinum testatur Salomon; sortes mittuntur in sinum, &c. Interdum in calicem*, &c. Utinam clariora Delrio hujus rei attulisset indicia! mihi magis se probat expositio Stengelij de sinu urnæ: primô enim loquitur Salomo de eo sinu, in quo dum sortes sunt, judicium earum regendarum apud Deum est: at in sinum hominis sortes jam extractæ ex urna recipiuntur, jam tum à Deo temperatæ in mixtione & extractione, ut caderent in sinum hominis, cui sortes divinitus destinatæ. Commodissime insuper urna sinus appellatur, ob cavitatem nimirum, in quam, ceu sinum sortes projiciuntur: Et Chaldæus quoque urnam intelligit, reddens בעובא דעצתא *in sinum Consilij*. i. e. in sinum urnæ seu sortium, quæ consuluntur. Denique vix legas uspiam exemplum, aut legem de sortibus in sinum projectis projiciendisque; unde non dicitur *in sinum hominis*; sed sinum simpliciter: ergo de eo sinu intelligendum est dictum, in quem vulgari modo sortes projici solent. Quanquam enim unquam sortes in sinum seu gremium hominis conjiciantur. Salomo tamen de communi consuetudine verba facit. Est ergo simplicissimus verborum istorum sensus: In urnam quidem projicitur sors, incerti adhuc eventus; miscetur in urna, extrahitur manibus humanis tractatur; gubernatio autem & eventus, quomodo & cui

cadant, à Deo est, divinum opus, cujus dispositio ad arbitrium & providentiam solius Dei attemperatur, ut sortes, quomodocunque ceciderint, homo divinitus sic sibi cecidisse, credat. Sors, urna, sortium projectio, mixtio, extractio, hominum sunt opera & industriæ; eventus vero Dei opus est & judicium. *Quæ nobis ex eventu & à casu accidere videntur, horum rationem Deus tenet; unde frivolum est dicere, quod sors projecta moderetur per* מערכת, *influentiam aliquam cœlestem*, Munst. ad h. l.

§. 2. Quidam vasculum illud urnæ intelligi ajunt per כוס, inprimis Psalm. XVI. 6. *Dominus est pars portionis meæ, & calicis mei: Tu sustentas sortem meam.* Sic Del Rio: *Interdum in calicem* (mittuntur sortes) *quem sinu continebant: unde & calix in S. Scriptura sæpe significat sortem, ut secundum nonnullos his verbis: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.* Nec sane improbabilis est expositio; si attenderimus h. l. de sortibus & earum partibus agi, de parte nim. seu portione, super qua sortes mittuntur, & quæ schedulæ inscripta, urnæ injicitur, & extrahitur. Deinde forma calicis similis est sitellæ vel urnulæ: & Psalm. XI. 6. similiter Sp. S. loquitur: Spiritus procellarum מנת כוסם, *pars calicis ipsorum*, id est, merces, debita ipsis pars, quomodo sors pro portione alicui debita sumitur, Jes. XVII. 14. Jer. XIII. 25. Sic B. Luth. Zum Lohn. ut pars calicis idem sit ac pars urnæ injecta & extracta, ut ceu legitima portio ad verum possessorem sorte & divinitus eveniat, procellæ igitur impiorum pars & debita pro meritis eorum portio est, quasi cœlesti sortium gubernatione illis

lis assignata. Nec facile videtur, quomodo calix in textu Psalmi de sortibus agente, locum habeat, nisi pro urna aut situla exponatur. Mentio enim fit sortis ipsius, boni etiam sorte dividendi inter hæredes, quorum consors est David vel Messias, pars sorte accepta seu bonum est Deus, Jehova: summum bonum, quæ sors Davidi cecidit, alijs alia. Cur nulla hîc fiat mentio urnæ? & quô alio vocabulo eadem memoretur, nisi calicis? & quid calix aliud in negotio sortitionis? Meminit autem David calicis sui, & calicis impiorum; quasi ut olim duæ erant urnæ positæ, altera pro absolvendis, altera pro condemnandis; sic hic duo calices, pro pijs & impijs; his cecidit infernus & æterni cruciatus pro portione sua; illis Cœlum & ipse Deus. Unde David: *Jehova, Tu portio partis meæ hæreditariæ & calicis* (urnæ) *mei. Tu sustentas sortem meam; funes* (divisorij) *ceciderunt* (in sortitione) *mihi in amœnis, etiam possessio pulcherrima fuit pro me. Propterea celebrabo Dominum, qui* (tam felici sorte) *mihi consuluit*, &c. *Capiuntur hic pars, hæreditas, calix, funiculi distributionis & sors fere pro eodem, nam postquam dixit, sibi nullum esse commercium cum impijs, & eorum sacrificiis, quæ sanguine plena sunt, addit, solum Dominum esse possessionem suam, sortem suam, & omne bonum suum*, ut Munsterus annotat: Sic ergo calix in hoc negotio stat pro urnula, sortes projectas excipiens, atque refundens. Confer sortitionem duodecim tribuum, quâ duodecim terræ Canaan partes inter se diviserunt; posset dici, quamlibet tribum seu tribus cujuslibet principem in gremio suo calicem seu urnam habuisse, cui pars terræ, sche-

dulæ inscripta, immittebatur; sic cum cœlum & infernus, regnum cœleste & tartareum, Deus & Diabolus, dividenda essent, calici seu urnæ Davidis Jehova, mundi seu impiorum urnæ tartarus & diabolus pro sorte cecidit: ut olim festo expiationum schedulæ scribebantur, (quarum uni לייהוה alteri לעזאזל insculptum) & duobus hircis imponebantur; sic hac sortitione Davidica schedula Jehovæ nomine insignita Davidi; diaboli vero nomen habens, impio mundo cecidit. De calicis, præsertim sacramentalis, in sortitione usu, exempla infra, ubi de electione Imperatoris & Papæ, fiet mentio, adducemus. Certe, tam non alienum est à sortibus calicem adhiberi, quam non abhorrent eædem sortes ab hydria, vel sitella, de quibus è vestigio.

§. 3. Erant ergo vasa sortitoria variorum generum, diversarumque formarum, ut & materia eorum diversa fuit; diversa sunt loca sortitionum, diversæ sortes, diversæ res, ob quas sortes consulebantur, diversæ personæ: alia erat urna sacra, alia profana, alia castrensis, alia domestica & vulgaris: videamus singulas, quantum quidem historia nobis suppeditat.

§. 4. In Sanctuario V. Test. qualis fuerit urna, ex qua materia, quâ forma, S. pagina claris verbis non meminit. Talmudici tamen subtilitate ingenij sui & judicij freti, describere eam, inprimis quoad formam satagunt, diversis inter se sententijs, ut quisque pollet solertia, pugnando, ut infra cap. de duobus hircis videbimus, & divisione S. terræ. Ut vero ijsdem Talmudicis de templi

empli secundi temporibus, quæ ex parte viderunt, scribentibus, non morose obloquimur, omnem fidem illis denegantes: sic an res omnis, atque etiam urnarum in V. Test. taliter se habuerit, uti ipsi persuadere conantur, haud secure possumus polliceri. In fanis ethnicorum arcæ hujusmodi præcipue erant ex olea, ex singulari religione; maxime Prænestæ, uti supra jam vidimus. Ex eadem olea erant olim folia sacra in hunc usum, unde sortituri urnæ prius oleæ folium immittebant, cui ἔρμιν nomen erat, inde quod Mercurium sortibus præsidere credebant. referente Peucero; de quo supra jam actum. Sed omnes ubique locorum ex eadem materia confectas urnas fuisse, quis nobis asseverare ausit? uti non in sacrarijs, sic neque in Curijs. Æream fuisse in curia Romana, ex verbis Apuleji, à Demstero allegatis, concludere licet; ea sic habent: *Cum jam sententiæ cunctorum pares stilis ad unum sermonem congruentibus, ex more perpetuo in æream urnam conjici deberent, quo semel conditis calculis, cum jam rei fortuna transacta, nihil commutare liceat.* Athenienses in Areopago duas habuisse urnas, unam ligneam, alteram æneam, ex Demosthene, & Aristophanis Scholiaste, docent Sigonius, Dilherrus, alij. Si enim vota colligere vellent, in duas urnas calculos mittebant; ligneam quidem: quæ ἐλεᾶς seu misericordionis appellabatur, mittebant calculos ἀτρήτους, seu integros, non perforatos, albos, hoc modo reum absolventes: in æneam vero calculos nigros τετρημένους, perforatos, quibus reum condemnabant: utrinque calculi erant è conchis marinis. Apud

Romanos urnæ sive cistæ tot fuerunt, quot Judicum ordines, qui judicarunt. Tres quidem, cum omnes adhibiti sunt, una Senatorum, altera Equitum, tertia Tribunorum ærariorum. Tabellæ vero, quæ datæ erant Judicibus, quarum unam in urnam mitterent, erant tres: una absolutionis, altera condemnationis, tertia ampliationis, eæq; tabellæ ceratæ erant, uti Rosinus refert, l. 9. c. 24. In dividenda terra S. duas adfuisse urnas, quarum unii tabellæ, quibus nomina tribuum, alteri eæ, quibus terræ nomina inscripta fuerunt, immittebantur, Talmudici tradunt, de quo suo loco.

§. 5. Urnas istas quandoque sitellas dictas, ex Asconio Pædiano Demsterus docet, in Paral. ad l. 9. antiq. Rom. Ros. aliâs situla vel sitella dicebatur communiter vas illud, in quod sortes vulgares seu domesticæ conjici solebant, ut ex Plauti Casina liquet, ubi stat:

Imo abi, atq; actutum uxorem huc evoca ante adeis cito:

Senex ait:

Et, situ'am huc tecum affero, cum aquâ & sorteis.

ibidem:

At ego sic agam: Conjiciam sortes in sitellam & sortiar.

Tibi & Chalino.

atque iterum:

Assunt, quæ imperasti, omnia, uxor, sortes, situla atq; egomet.

mox ibidem:

Depone hîc sitellam, sorteis cedo mihi, animum advertite.

Me-

Meminit etiam Livius ſitellæ, dec. 3. l. 5. ut quidem nonnulli legunt: *Sitellaq́ allata eſt, ut ſortirentur.* Alij verò ciſtellaq́ue habent. Simile ſine dubio vas erat hydria, qua Syracuſani uſi ſunt adducente Cicerone, act. 4. in Verrem, quem locum infra producam, de electione Sacerdotum. Ollam aliquando adhibuiſſe, veteres ex Sophoclis in Ajace verbis, à Giphanio ad Iliad δ. adductis, non obſcurum eſt indicium: οὐ δραπέτην τὸν κλῆρον ἐς μέσον καθεὶς ὑγρᾶς ἀρούρας βῶλον, ἀλλ' ὡς εὐλόφου κυνῆς ἔμελλε πρῶτον ἅλμα κουφιεῖν. *Non fugacem ſortem in medium ponens, ex humida terra glebam, ſed quaſi ſtrenuæ galeæ volebat primum ſaltum elevare.* Atq́ue hujuſmodi vaſcula, urnæ, ſitulæ, quandoq́ue aquâ replebantur, cui ſortes injectæ. Sic Temenus urnam, cui glebas duratas injicere volebat, aqua prius implevit, ut ſuperiori Cap. habuimus. De ſitula ex verbis Plauti modo allatis itidem res clara eſt, aquâ repletam fuiſſe, quod ex his verbis patet:

Ch. *Quid tu id curas?* Ol. *quia enim metuo, in aqua ne ſumma natet.*

Metuebat enim Olympio, ſortium unam populneam, alteram abiegnam eſſe, ut hoc modo una alterâ eſſet levior, faciliuſq́ue ſupernataret, & citius exiliret è ſitella, quæ enim ſors prior excidiſſet, ſitella agitata, ea erat felicior: dolus ergò facilis erat, ſi ſortes ex rebus eſſent diverſæ levitatis & gravitatis. Aliquando aqua fervida facta, ut igne æſtuans ſponte ſortes injectas ejiceret, atq́ue hoc modo minor fraus interveniret, ſi ſortes nulla humana manu, ſed ipſius na-

turæ

turæ motu miscerentur & effunderentur: quo Græcam τῶν LXX. versionem Ezech. XXI. 28. respexisse existimo, vertendo τοῦ ἀναβράσαι ῥάβδον, *ut ebuliret virgam:* quem locum infrà C. 14. plenius exponam. Cujusmodi sortitioni apta erat olla, sive figulina, sive ærea, ænea, aut similis alia, quæ igni apponatur idonea.

§. 6. In Castris verò, ut modo adduximus, pro urna fragili utebantur milites galea, in quam sortes conjectæ, mixtæ, & eductæ sunt. Id frequens erat in certaminibus, ut ex Homero, Virgilio, &c. exempla probant; aliquando chlamydem adhibebant, ut infrà Cap. 30. videbimus. Galeæ verò pro urna usurpatæ exempla aliquot refert Homerus: Iliad. δ.

Ἕκτωρ δὲ Πριάμοιο πάϊς καὶ δῖος ὀδυσσεὺς
Χῶρον μὲν πρῶτον διεμέτρεον, αὐτὰρ ἔπειτα
Κλῆρους ἐν κυνέῃ χαλκήρει πάλλον ἑλόντες.

i. e. Interprete Giphanio, *Hector autem Priami filius, & nobilis Ulysses locum quidem primum emetiebantur, at postea sortes in galea ærea jaciebant accipientes; Uter prius emitteret æream hastam?* &c. Idem Poëta, Iliad. η.

Τοῖς δ' αὐτοῖς μετέειπε γενήνῳ ἱππότα Νέστωρ,

Inter hos autem rursus dixit Gerenius eques Nestor: Sortem nunc movete universi: qui sorte electus fuerit. Iste enim juvabit bene armatos Cræcos, & ipse suo animo juvabitur, si evaserit pernicioso ex prælio, & periculoso certamine. Sic dixit:

—— οἱ δὲ κλῆρον ἐσημήναντο ἕκαστος,
Ἐν δ' ἔβαλον κυνέῃ Αγαμέμνονος ἀτρείδαο.

Hi autem sortem signaverunt singuli, & injecerunt galeæ Agamemnonis Atridæ: Populi autem supplicabant, diisq; manus elevabant: Sic autem aliquis dicebat suspiciens in

cœlum

cœlum latum: Jupiter Pater (da) *vel Ajaci sortem obvenire, vel Tydei filio, vel ipsi regi ditissimæ Micœnæ. Sic dixerunt: movit autem Gerenius Nestor:*

ἐκ δ' ἔθορε κλῆρος κυνέης ἣν ἄρ' εἴθελον αὐτοὶ.

Exilijt autem sors galea quam volebant ipsi nempe Ajacis: præco autem ferens per cœtum ubiq; ostendit à dextra (incipiens) *omnibus optimatibus Græcorum. Hi autem non cognoscentes renuerunt singuli. Sed quando jam ad illum pervenit ferens per cœtum ubiq;. Qui ipsam inscriptam galeæ injecerat, nempe Illustris Ajax porrexit quidem manum, hic autem imposuit propè astans; cognovit autem sortis signum conspicatus: gavisus est autem animo. Hanc itaq; ad pedem suum humi jecit, dixitq;: O amici, sane sors mea est, gaudeo autem & ipse animo, quoniam existimo, me victurum Hectora nobilem.* Pariter Iliad. ψ.

ὣς ἔφατ', ὦρτο δ' ἔπειτα βίη Τεύκροιο ἄνακτος
Ἂν δ' ἄρα μηριόνης θεράπων εὖς ἰδομενῆος
Κλήρους δ' ἐν κυνέῃ χαλκήρει πάλλον ἑλόντες.

Sic dixit, prodijt autem postea vis Teucri Regis: Surrexit item Meriones, comes bonus Idomenæi. Sortes autem in galea ærata movebant accipientes. Teucer verò primus sorte sortitus est. Similem morem describit Virgilius lib. 5. Æn. in certamine ab Ænea instituto, quis primus columbam alte suspensam sagitta peteret.

Convenere viri: dejectamq; ærea sortem
Accepit galea, & primus clamore secundo
Hyrtacidæ ante omnes exit locus Hippocoontis.
Quem modo navali Mnestheus evinctus oliva.
Tertius Eurythion, tuus ô clarissime frater
Pandare: qui quondam jussus confundere fœdus
In medios tellum torsisti primus Achivos.

Extre-

Extremus, galeaq; ima subsedit Acestes.

Hos eò ordine sagittas emisisse recenset, primam nimirum Hippocoontem, secundam Mnestheum, tertium Eurycion, quartum Acestem. Idem in ludis alijs factum Statius lib.6. Theb.refert:

Et jam sortitus Protheus versarat ahena
Casside.

Confer infrà cap.30. Sed in alia quæcunque vascula sortes conjici solere, vulgaris usus docet: Genuenses in distinctas urnæ velut fistulas sortem conjiciunt, alij in pileos, sacculos, cistas, librorum paginas, seu schedas, seu alia imponunt, ut Stengelio quoque observatum.

§. 7. Vasibus istis, quò res, de qua fiebat sortitio, sine fraude expediretur, præfecti ordinabantur, maximè si res esset alicujus momenti, ut de Hebræis supra jam cap.7. ex Talmude vidimus. Neque hoc sine indicio S. Scripturæ statuimus; ut suo loco videbitur, habuisse sortes in sanctuario suos procuratores, qui eas scriberent, miscerent, urnæ assiderent, concuterent, atque omnia, ut ritè fierent, accurarent. Neque hoc solis Judæis in usu erat: apud Romanos enim Quæsitoris munus inter alia hoc fuit, ut custodiret urnas in tribunali paratas: ut diribitorum erat, tabellas singulis judicibus ministrare: Rogatorum verò cistam ijsdem ingredientibus ovile, proponere, in quam conjicerent eam, quam vellent tabulam. Postquam autem totius Centuriæ ad suffragium convocatæ, tabellæ collectæ erant, tum educendis suffragijs adhibebantur custodes, quorum munus erat describere suffragia,

fragia, ut ea centuriæ sententia renunciaretur, in quam plures inclinasse conspiceretur, referente Rosino, antiq. Rom. l. 6. c. 14. Ijdem diribitores in convijs etiam sortes procurabant, ut suo loco dicemus. Ad hanc consuetudinem respicit Tertullianus, de spectaculis inquiens: *Tardus est illi prætor, semper oculi in urna ejus cum sortibus volutantur:* ad quem locum vide Salmasium. Hoc munus apud inferos Æacus & Minos administrare finguntur à Poëtis, ut supra indicatum, quod cum ad formam judiciorum Romanorum sit confictum, ratio eorundem quoque inde nobis patescit.

CAP. XIII.

De Ῥαβδομαντεία, sive sortitione per virgas, ligna, &c.

§. I.

ET olim & hodie frequenti usu celebratur ῥαβδομαντεία, genus sortitionis per variarum formarum ligna; cujus in sacra & profana historia crebra incidit mentio. Præcipuum, & quod prostat, omnium antiquissimum exemplum habetur Num. XVII. ubi Dei jussu ejusmodi sortitio à Mose susceptа & Deo mirabiliter attemperante, feliciter expedita est. Fuisse autem

autem veram sortitionem, omnia, quæ gesta sunt, ostendunt. Controversia erat de jure summi Sacerdotij: partes contendentes verò tribus Israëliticæ undecim, à parte una, ceu agente & accusante: ab altera erat Aharon cum familia, ceu rea. Summus Judex & Arbiter erat Deus, qui quamvis non teneretur ad sortis judicium cum quoquam descendere, ex singulari tamen συγκαταβάσει ad virgarum arbitrium rem deferri jubet, & sortiri. Sortes sunt duodecim virgæ seu baculi, quot erant tribus. Singuli baculi notati erant nominibus singularum tribuum; conventum utrinque, cujus tribus virga nocte in sanctuario reposita, florem fructumque esset habitura, ei competeret jus illud, de quo lis erat. Reponuntur omnes duodeim baculi per noctem in tabernaculum: eventus hic fuit: Sequentis diei mane Moses, sortium administrator, ingressus tabernaculum deprehendit baculum tribus Levi, cui nomen Aaron inscriptum, florem fructumque ferentem: atque sic lis erat transacta. Lubet paulò diligentius rem attendere, sed brevi operâ, quanta quidem ad nostrum institutum satis esse videbitur.

§. 2. Ad reprimenda invidentis & tumultuantis populi murmura constituit Deus dignitatem & authoritatem Sacerdotalem prosapiæ Aaronicæ, pridem à se eò evectæ, miraculosa sortitione confirmare, ut rudis plebs, si non divinæ gubernationi se vellet submittere, sorti ex antiquis & avitis temporibus religiosè habitæ, cederet, & obsequium præstaret; captui ergò

ergò vulgi, miracula & sortes pluris, quam Dei ipsius mandata æstimantis, sese accommodaturum benignissimum Numen, sortitionem miraculis plenam consulendam instituit; octo namque miraculis scatuisse sortitionem istam vulgò observant; quorum primum, quod invenerit Moses germinantem vel gemmantem virgam Aaronis, gemmas ubique ostendentem, ut in textu indicatur: Secundum, quod ex gemmis prodierint folia, ut dicitur: & fecit prodire germen. Tertium, quod folia ante flores apparuerint, quod contra naturam amygdali est. Quartum, quod flores protulerit per totam virgam, mira elegantia & abundantia sparsos, ut in textu dicitur: *Et florere fecit florem.* Quintum, quod reddiderit fructus (docente hoc verbo גמל) baculus aridus; & secundum quosdam, manibus pridem gestatus; quamvis vel hoc etiam satis miraculosum fuisset, si ramusculus de arbore matre resectus, & per unam duntaxat noctem in sanctuario repositus, id præstitisset. Sextum, quod tulerit amygdalas, fructusque suæ naturæ & indoli similes. Septimum, quod matura produxerit amygdala, ut ex verbo גמל & voce שקדים facile patere potest. Octavum, quod omnia uno intuitu contemplanda ostenderit, & germina; & flores, & folia, & fructus, & gemmas. Ex octuplici isto miraculo ultro sortitioni huic divinitas, & dignitati Pontificatûs Aaronici sua authoritas conciliata fuit, unde porrò eos contra Aaronem insultasse non legimus. Ipse ergò Moses Deo authori adscribit sortitionem hanc, ℣. 16.

Et locutus est Iehova ad Mosen dicendo, v. 17. loquere ad filios Israel, &c.

§ 3. Administrator sortitionis istius & terrestris præses erat Moses, cujus in hoc actu non unæ fuerunt functiones. Prima, ut convocatis principibus tribuum divinum hac de re mandatum exponeret, vers. 17. ne videatur quicquam in rebus summis moliri בלבו, *ex proprio arbitrio & usu*, Num. XVI. 28. Secunda ut de quovis principe tribus posceret baculum unum: de duodecim principibus duodecim baculos. vers. 17. וקח מאתם, *& recipe ab ipsis baculum baculum* (à singulis principibus singulos baculos) *secundum domum patris*: habebant enim singulæ tribus suos principes & capita. Tertia, ut baculis inscriberet nomina patriarcharum, Ruben, Simeon, Juda, &c. uti dicitur: איש את שמו תכתוב, *cujuslibet nomen suum* (vel *unumquemq; cum nomine suo*) *inscribas baculo ejus*. Negant aliqui Mosen proprijs manibus scriptionem expedivisse, sed quemlibet principem nomen suum super baculo ipsummet scripsisse, ut omnis fraudis abesset suspicio. Sed expresse in textu dicitur: Deum Mosi hoc opus demandasse, תכתוב, *tu scribes*, non וכתבו יכתבו, vel ויכתבו, & ipsi inscribant nomina sua. Deinde Moses accurate omnia divinitus mandata executus est, vers. 26. nec denique apparet, quomodo fraus fuerit metuenda, à signatione baculorum per Mosen facta: nam coram omnibus principibus baculos notavit: insuper Moses nihil quicquam facere poterat

hîc,

hîc, ut baculus unus floreret, alterô manente sterili. Deus enim dixerat, *Et erit vir ille, quem elegero, ejus virga germinabit*: Moses autem nesciebat, Aharonis baculum germinaturum; quasi celaturus erat Deus Mosi, quem nunc esset electurus; nec potuit Moses esse fraudulentus, coram aspectu totius cœtus omnia gerens, ut nihil siniſtri de eo suspicandi occasio relinqueretur. Quærere hîc etiam solent, qua literarum forma usus fuerit Moses, signando baculos? Resp. cum duplex literarum Hebraicarum figura fuerit, quadrata, & Assyriaca; illa verò sacra, hæc profana haberetur; promptum est judicare, Mosen sacram adhibuisse seu quadratam, quia baculi sacrario erant inferendi. Haud etiam difficulter colligitur, Mosen inciſione literarum, stylo facta, usum fuisse, ut in alijs sacris inscriptionibus observatum. Singulari porrò mandato cautum est, ut Moses signando baculum Levi, non nomen patriarchæ Levi, sed Aaronis scriberet: non enim his tantùm erat intentata à tribubus undecim, sed & contribulibus, non tribui disertim Levi, sed familiæ Aaronicæ: nolebant enim jus Sacerdotij etiam ipsi Levitæ soli Aaroni & posteris concedere, sed toti tribui asserere: ergò baculo non præcisè nomen Levi, sed Aaron inscribendum fuit, jussu divino, vers. 18. ut sic & tribus Levi, & ex tribu Levi certa familia notaretur. Quarta opera, quam Moses præstabat, erat, ut baculos, nominibus patriarcharum insignes, importaret tabernaculo, deponeretque coram arca testimonij, vers. 19. Quinta, ut cra-

stino die ingrederetur sanctuarium, sortesque sacras proferret, vers. 23. populoque coràm exhiberet. Sic ergò Moses totius hujus solennis sortitionis per virgas erat Præses, à Deo ipso constitutus, idem hac ratione faciens, quod apud Romanos Quæsitor & Diribitor, aut quilibet ejusmodi Præfectus.

§. 4. Sortes seu instrumenta sortitionis hujus erant duodecim virgæ, de quibus variæ agitantur quæstiones, quas non omnes excutimus. Quærunt primò, an baculi isti fuerint viatorij, an principatus insignes, an prorsus singulares? Notum enim est, apud Judæos similiter, ut alios populos, in usu fuisse scipiones seu baculos viatorios, quales sine dubio Principibus Israel in via ad terram promissam fuerunt, & quidem fuisse Exod. XII. 11. legitur. Deinde viri in Magistratu constituti semper lituos suos, baculos imperiales, scipiones, fasces, &c. gerebant, manibus vel suis, vel ministrorum sibi prælatos, de quo vid. Alex. ab Al. l. 1. c. 27. hujusmodi ergò principibus quoque Israël erant. confer Gen. XLIX. 10. Quales verò hic intelliguntur? in diversa abeunt interpretes & commentatores; meâ sententiâ infirmis rationibus nixi, cùm nihil in præceptis divinis habeatur, an viatorij, an alij fuerint baculi. Insuper quis asseveranter persuadere sibi vel alijs conetur, Principes hujusmodi baculos imperiales, seu virgas magistratus insignes gessisse? vel si gesserint, alios fuisse, quam quos in itinere gestabant? & si hoc concedatur, eosdem in sortitione ista sacra adhibitos? Sunt ergò

ergò alij, qui virgas peculiariter in hunc usum, á Deo per Mosen imperatum, sumsisse, Mosíque tradidisse autument. Sed & hæc opinio caret fundamento. Sufficiat ergò id solummodo nosse, Mosen à Deo principibus repetijsse baculos, qualescunque, modo ad rem institutam idoneos. Hujusmodi quæstio est, an omnes baculi duodecim, Aaronis pariter & reliquarum tribuum unius fuerint formæ, uniusque materiæ? discrepant iterum. Veteres Hebræorum ajunt, Aaronis fuisse diversum à cæteris, cùm idem fuerit baculus qui Mosis, mirificus ille, ex arbore vitæ in paradiso decerptus ab Angelo. Nos, quia quandoque curis serijs ludicra & fabulosa interponere, ex doctrina Catonis interponenda sunt, ad relaxandum animum, quid veteres Hebræorum Cabalistæ de baculo Mosis & Aaronis commenti fuerint, in epitomen contracta, ex libris Zohar, Targum Jonathanis, Pirke R. Elieseris, Medrasch, Gale Rasia, Schalschéleth, hakkabalah, Machkar Hassodoth, &c. atque ex Galatino, Buxtorffio, alijs, hîc apponemus, succincte tamen, ne oblectationem quæsitam prolixitate turbemus. Sic autem habet fubula:

§. 5. Baculus ille Mosis & Aaronis, quô miracula patrarunt inscriptus fuit nomine tetragrammato, & quadratus, ut singula latera haberent singulas ex quadrilitero יהוה literas, cum expositionibus Cabalisticis, nec non plagis Ægyptiacis: originem ejus referunt ad ipsum Deum, Creatorem mundi. Is enim vespera Sabbathi primi inter res decem tum creatas, istum

quoque creavit, commisitque primum Adamo; hic Enocho, Enochus Noacho, Noachus Semo, Semus Abrahamo, Abrahamus Isaaco, Isaacus Jacobo, Jacobus eum secum deduxit in Ægyptum, tradiditque Josepho, qui cum moreretur, domum ejus spoliarunt Ægyptij, atque inter bona direpta baculum quoque hunc in palatium Regis detulerunt, quem Jethro, præcipuus Magorum Ægyptiorum conspiratus furtim abstulit, diuque domi suæ asservatum, tandem in horto suo terræ infixit, qui confestim incepit florere, & matura proferre amygdala; illo postea omnes, qui filias suas ambibant, probavit Jethro, sub hac conditione, si procus baculum illum terra evulsum apportaret. Moses igitur cum post humanitatis officia, Ziporæ præstita, à Jethro vocaretur, ut ederet biberetque cum illo, petens Ziporam in uxorem, similiter jussus est auferre baculum; Si poteris mihi (ajebat Jethro) afferre baculum illum, qui stat in horto meo, dabo eam tibi. Abiens itaque Moses perqu sivit hortum, & eum inventum detulit ad eum manu sua. Id videns Jethro statim cogitavit apud se: Hic vir est sine dubio, propheta ille, de quo omnes sapientes Israël vaticinati sunt, quod propheta quidam ex Israël sit egressurus, per quem Ægyptus & omnes incolæ ejus vastabuntur. Mox ergò Mosen foveæ injectum volebat inedia enecare, quem autem Zipora integros annos septem clam patre aluit, donec singulari prudentia Ziporæ factum, ut Moses à Jethro evocatus reciperetur, atque ei illa in matrimo-

trimonium concederetur. Aliter somnium istud somniavit Rabbenu Hakkadosch, (quem Galatinus multis annis ante Christum natum vixisse, ait, sed minus congrue cum ijs, quæ alij tradunt vid. abbrev. Buxt. nec non Seder Olam sota Munsteri, vel sepher hakkabalah R. Abrah. Levitæ) in libro Gale Rasia, i. e. Revelatore arcanorum, in quo hæc scripta leguntur. Cum ad quartam Antonini consulis urbis Romæ petitionem, ex qua arbore excisa esset virga, qua Moses miracula patrabat, atque unde nactus eam fuerit? ita respondit: Quod me rogas de virga Mosis tibi notitiam dare: dicam tibi, quod de hoc scriptum reperi à R. Schimeone, filio Jochai in libro, qui Machkar hassodoth i. e investigatio secretorum dicitur, sic dicente; Virga illa, qua Moses & Aaron miracula faciebant, in terra Ægypti, & postea in deserto floruit, gemmasque edidit, ab ea arbore excisa est, quam Deus Mosi ostendit, in deserto, ut aquæ amaræ dulces fierent. Et hæc arbor excisa fuit ab arbore vitæ, quæ in paradiso sita erat, angelorum manibus. Quam quidem miserunt Adæ, cùm ille misisset Seth filium suum ad paradisum, misericordiam Dei imploraturum de suo peccato. Dixerunt Angeli ad Seth, ut plantaret hanc arborem. Quæ quamprimum fructum faceret, misericordiæ Dei in eum descendent, aperienturque portæ cœli, quæ obseratæ sunt. Hanc arborem seu ramum potius accepit Seth, plantavitque in deserto, quam postea Moses invenit, & ex ea virgam suam excidit. Ideoque virga Dei dicta est.

Cùm autem veniſſet Iſraël ad Marah, neque illius aquas bibere poſſent, Deus oſtendit Moſi hanc arborem, ut aquas illas redderet dulces. Et hæc eſt arbor illa in qua Moſes ipſe ſerpentem impoſuit, per quem Deus univerſum orbem ſalvum facere inſtituit, & miſericordiam ſuam mittere ſuper Adam, cum venerit Meſſias. Tunc enim hæc arbor fructus geſtabit, quibus ſecundò aquæ amaræ efficientur dulces, purgabuntque primum peccatum, omniaque delicta, quæ fecerunt facturique ſunt homines, ſicut dictum eſt, Zach. XIII. 1. *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jeruſalem in ablutionem peccatorum.* Poſtquam autem te docui, hoc arcanum, cum contemplaberis arborem ſcientiæ bonæ & mali, & inſuper arborem vitæ, quæ in paradiſo ſitæ erant, ac etiam ſerpentem, qui Evam tentaturus acceſſit; intelliges, quam ob rem virga Moſis in terra projecta ſerpens infecta ſit, moxque per caudam accepta elevataque à terra virga redierit ut erat, abſorbueritque omnes virgas magorum Ægyptiorum, qui idem faciebant, quod Moſes.

§. 6. Sic eſt Veterum Cabaliſtarum traditio & doctrina de virga Aaronis florida: quæ verò forte non ita crude & ruditer ab Hebræis accipienda eſt, ſed ut Abarbenel Exod. II. exponit, myſticè intelligenda. Atque ſanè eleganter ad Meſſiam verum applicanda, ex Jeſ. XI. 1. & alijs locis. Eſt omninò virga ex arbore vitæ, plantata in horto hujus mundi, in terram projecta, fructus ferens remiſſionis peccatorum, & miſe-

misericordiæ divinæ; hæc in serpentem conversa, Joh.III.14. absorbuit serpentem pestiferum, mortem & infernum; sanavitque morsus venenatos peccati, Num.XXI.8.9. Et certe plures Hebræorum ista non secundum externam literam interpretari, tum nostrates, tum etiam Hebræi asserunt. AbenEsra certè statuit ad Num. 17. baculum istum, nomine Aaronis signatum, non fuisse baculum seu scipionem Mosis seu Dei, sed naturalem cæteris similem: יש אומרים כי מטה לוי איננו מטה האלהים פי כבר היה ניכר ומה צורך לכתוב שלו שם אהרן ויש אומרים כי המטה היה כשאר המטות אין הפרש ביניהם וזה הישר בעיני: *Quidam dicunt, baculum Levi non fuisse baculum illum Dei* (Mosis & Aaronis) *sic enim jam esset cognitus, ad quid ergò opus fuisset signari nomine Aaron? Alij ergo dicunt, baculum hunc fuisse similem cæteris, ut nullum fuerit discrimen inter eos, quod mihi etiam videtur rectum esse.* Atque hinc quia baculum Aaronis ex amygdalo fuisse, ex fructu ejus colligunt, omnesque similes fuisse existimant, cæteros quoque ejusdem stirpis amygdalinæ esse, statuendum est ipsis, unde Münsterus ad h. l. notat: *Hæ singulæ virgæ ab una & eadem fuerunt amygdalina arbore.* Veterum tamen quosdam statuisse ex arbore styracina extitisse, ex Tertulliani versibus eliciunt, sic habentibus:

Hic Aaron est virga crucis, quæ germina profert,
Ipsi similis, styracis tamen arbore nata:

Et mox:

Et virga styracis fructus, nucis attulit, ipsa
Virginis hæc species genuit quæ sanguine corpus,

Conjuncta in ligno sedabit mortis amarum:
Interius dulcem fructum, &c.

Sed incerta sunt omnia, quæcunque vel de forma vel materia baculorum istorum, vel una vel diversa, astruunt, cum S. textus nihil certi præscribat: unde satius est in his rebus tacere, quam in ambiguis hærere & curiosum esse, sineque fructu laborare. Quamvis enim concedatur, Aaronis baculum ex amygdalo fuisse, non sequitur tamen, cæteros quoque fuisse ex eadem: quis porrò indubiè concludat. Baculus Aaronis flores & fructus amygdali protulit, ergo fuit ex arbore amygdali? fuit totus ille actus plenus miraculorum, ut quo illustrior miraculis esset, fortius morosos Iudæorum animos feriret, miraculosius autem est, baculum alienæ naturæ amygdala ferre quàm ex arbore amygdali sumtum. Pro amygdalinis adducunt authoritatem Josephi, qui l. 4. antiq. c. 4. de re ista sic scribit, ἐκ δὲ τῆς Ἀαρῶνος βλάστους τε καὶ κλάδους ἀναφυῦτας ἑώρων, καὶ καρπὸν ὡραῖον ἀμύγδαλα δ' ἦν ἐκ τοῦ τούτου ξύλου τῆς βακτηρίας κατασκευασμένης; *Et Aaronis autem virga ramos & germina videbant exorta & quod magis mirum, amygdala matura, quod virga ex ejus generis ligno constaret.* Addunt etiam ex Grillo rationes, quarum prima sumta est à consuetudine, quia pro mare gentis ex ea (amygdali) potissimum arbore scipionibus utebantur: secunda, ex aptitudine; ista enim arbor in surculis sivè ramis rectis & proceris emittendis excellebat, ut ex ea scipiones senum, & sceptra principum exscindi potuerint. Tertia à similitudine, quia hæc arbor vigilantiæ

lantiæ exhibebat symbolum, quæ vel maximè in principè requiritur. Quæ vero omnia suo loco relinquimus. Eventus hujus sortitionis fuit, quem Moses describet vers. 24. Attoniti nimirum his miraculosis sortibus consensere omnes in prærogativam, quam ante negaverunt, perciti insuper excidiis, multaque plaga admoniti; nec postea contra principatum Aaronis in Sacerdotio murmurasse leguntur. Tanta erat divinarum sortium veneratio & religiosus honor! nec supererat postmodum quicquam, nisi ut familia Aaronica in certas stationes & ordines distingueretur, quod quomodo item sorte factum sit, infra audiemus.

§ 7. Quemadmodum autem valde venerabilis hæc sortitio per virgas seu baculos extitit, cui ipse Deus se quasi superiori judicio submisit, sic Dei quoque simius, diabolus, Deum si non potest imitari, æmulari solitus, idem apud sua mancipia inducere conatus est, ut virgis similiter & baculis seu lignis uterentur in divinationibus: idque jam Mosis tempore, imo & ante illud, tentavit. Cum enim Moses coram Pharaone staret baculoque divino miracula faceret, fecerunt idem præstigiatores Ægyptij, ut Exod. 7. & 8. legimus. Sed apud alios etiam populos mira fecisse idololatras, ex R. Mose Majem. More nebhuchim part. 3. c. 29. constat, ubi refert, celeberrimum quendam librum fuisse veterum Zabiorum, qui vocatus sit הנבטית העבודה, quod quidam vertunt: *De agricultura Ægyptiorum:* puto simpliciter vertendum: Cultus seu religio Nabatæa.

vid.

vid. Seld. de Jure N. & G. p. 207. *In libro isto*, ait Majemon, *continentur multa ridicula, quibus tamen se subtiliter refutare velle existimant miracula illa manifesta Mosis & Prophetarum.* De Adamo primo narratur ibi, *illum in libro suo scripsisse, esse in India arborem quandam, cujus ramus in terram projectus instar serpentis repat.* De Germanis veteribus testatur Tacitus, *Auspicia sortesq; ut qui maxime observant. Sortium consuetudo simplex, virgam frugiferæ arboris in surculos amputant, eosq; notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuitò spargunt, mox si publicè consulatur, sacerdos civitatis, sin privatim, ipse paterfamiliæ, precatus Deos, cœtumq; suspiciens, ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur: si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio: Sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur.* De alijs populis ῥαβδομαντείᾳ utentibus, profert ex vetustis authoribus testimonia Hugo Grotius ad Ezech. XXI. 21. *Scholiastes Nicandri*, inquit, *ex Dione*: μάγοι τὰ σκύθαι μυελκίνῳ μαντεύονται ξύλῳ. Καὶ γὰρ ἐν πολλοῖς ἔθνεσι ῥάβδοις μαντεύονται. Magos hic intelligit Chaldæos, ex Claudiano, dicente:

— — Rituq; juvencos
Chaldæo stravere magi — —

Scythas autem, & qui eorum pars erant, Alanos, de quibus Ammianus lib. 31. miro modo præsagire futura: nam *rectiores virgas fœminæ colligentes, eaq; cum incantamentis quibusdam secretis, præstituto tempore discernentes, apertè quid portendatur, norunt.* Eundem morem ad Slavos manasse, duos allegat testes, Mosen de Kozi, & Adamum Bremensem, &c. à Slavis Germanos hausisse eundem ritum, quem modo

modo exposuimus ex Tacito, idem Grotius judicat; *Alium ῥαβδομαντείας morem apud Persas haberi apud Strabonem & Athenæum*, addens. M. DelRio lib. 4. c. 2. frequentissimam quoque Chinis hodie esse & ferè similem divinationem duorum lignorum æqualium, ex Gunzalino Mendozio, lib. 2. hist. Chin. cap. 4. nec non Philippinensium, seu Lusitanorum in India, ex Martino Ignatio, itinerarij cap. 8. asserit. De Rugianis eundem divinandi morem exercentibus olim, ex Saxone Grammatico, l. 14. Dan. refert Schedius de DIs Germ. Syngr. 2. c. 44. *Rugiani*, inquit, *Baltici maris accolæ, tribus ligni particulis, parte altera albis, altera nigris, ingremium, sortium loco, conjectis, candidis prospera, furvis adversa signabant.* Ex legibus Frisiæ affert. *Sortes tales esse debent; duo tali de virga præcisi* (quos tenos vocant, quorum unus signo crucis innoscatur: alius purus dimittitur) *& lana munda obvoluti super altare, seu reliquias mittuntur, & presbyter vel si presbyter deest, puer quilibet, unum de ipsis sortibus de altari tollere debet: & interim Deus exorandus, si illi septem, qui de homicidio commisso juraverunt, verum juravissent, evidenti signo ostendat. Si illum, qui cruce signatus est, sustulit, innocentes erunt, tunc unusquisq; illorum septem faciat suam sortem, id est, tenum de virga, & signet signo suo, ut eum tam ille quam cæteri qui circumstant, cognoscere possint: & obvolvantur lana munda, & altari seu reliquiis imponantur: & presbyter si assuerit, si vero non, ut superius; puer innocens unumquemq; illorum singulatim de altari tollat, & ei, qui suam sortem esse cognoverit, porrigat; cujus sortem extremam esse contigerit, ille homicidij compositionem persolvere cogatur: cæteris, quorum sortes prius levatæ sunt, absolutis.* De teno

vel

vel tenno, Græcè τένθης, τέννθης, vide Salmasium ad pallium Tertull. ubi φιλύρεον Æliani ait, *est tenus: unde & minutas ac tenues de virga præcisa tesseras, quibus ad sortiendum utebantur, tenos vocabant.* Citatque ibidem legem istam Prisonum, additque: *Tenus est ξυλήφιον, καρφίον, festuca, & sorticula ligneæ*: vide supra cap. 9. Ex Comite Natali Schedius porro adducit, Magos & Scythas *per lignum myricæ vaticinatos esse, & per alias multas arbustarum virgas, quod genus vaticinij à Medis etiam servari solitum*, ex Dione, l. 1. tertiæ compositæ affert. sicuti *Jamides per pelles cæsarum victimarum ignibus impositarum, si recte inciderentur: cum alias astragalis, super mensis impositis Deorum, vaticinari mos fuisset. In Lesbo præterea fieri solita per virgas myricæ vaticinia testatur vel cognomen ipsius Apollinis, quod inde Myricæus vocatus fuit à Lesbiis. Scriptum reliquit præterea Archæus in iis, quæ memoria prodidit de Archenatide, ac de bello Erythræo, Apollinem apparuisse in somnis Archagetæ, summo ejus expeditionis Imperatori, qui ramum gestaret myricæ: quare illam plantam illi Deo gratam putarunt.* Memorabilis inter alias virgarum divinationes erat, quam observasse olim veteres post natos filios, recensetThom. Bartholinus in elegantissimo *de puerperio veterum* libello, quæ sic agebatur: *Ultimo hebdomatis primæ die natis infantibus tabellæ fata inscripta, vel virgæ natalitiæ compactæ, quæ cum nato adolescerent. Aliis quercinæ, unde Marianæ, aliis populeæ, à quorum felicitate fata puerorum metiebantur, veteres & annosas restituere satagentes.* Quæ in scholijs ibidem porro h. m. exponuntur: *Quippe moris erat quondam natis infantibus populeam virgam defigere in solo. Quod etiam memini Meursium in exiguo suo de puerperio syntag-*

mate

mate annotasse, ex Donato, qui ita in vita Virgilij: Virgâ populea more regionis in puerperiis eodem statim loco depacta ita brevi coaluit, ut multo ante fatas populos adæquarit: quæ arbor Virgilij ex eo dicta atq; consecrata est, summa gravidarum religione, suscipientium ibi & solventium vota. Idem Donatus in vita Virgilij proxime ante verba allegata refert, prægnantem eodem matrem Majam, somniasse, enixam se laureum ramum, quem contacta terra confestim cerneret coaluisse, & excrevisse ilico in speciem maturæ arboris, refertæ varijs pomis, & floribus, ac sequenti luce partu levatam esse matrem. Plura talia reperiuntur apud Scriptores varios de baculis, ramis, clavis, &c. Hastile Romuli crevisse in cornum arborem, Plutarchus habet in Romulo. Herculis clavam ex oleastro, solo depactam, reger minasse, Pausanias in Chorinth. Primislaj, Bohemiæ ducis, ab stiva ad sceptrum vocati, stimulum in Corylum evasisse, villæque incolas, immunitate donatos, quotannis exiguam inde natarum avellanarum mensuram pro tributo pendere solitos, est apud Æn. Sylv. cap. 6. hist Boh. Faustissimum & auspicatissimum signum erat, quod captavit Noah, arcæ inclusus, ex ramusculo olivæ, ore columbæ apportatæ, Gen. VIII. 11. de virga, qua olim pecudes decimabant, sequetur infra. Felicissimus boniq; & salutis omnis fertitissimus erat surculus, qui cœlo demissus, & terræ infixus, ab Jesaja cantatus legitur, Jesaj. XI. 1.

§. 8. Ῥαβδομαντείας mentio ab aliquibus creditur fieri Deut. XVIII. 11. verbis חבר חבר, vecbóbher

chóbher chábher: de quo loco DelRio ita disserit: *Noster* (vulgatus) *vertit incantator, recentiores vertunt jungens junctionem, ut exprimant speciem* ξυλομαντείαν, *qua per frusta lignorum, iterum coëuntia divinabatur. Sed nostram versionem confirmant.* LXX. Φαρμακὸς ἐπαείδων ἐπαοιδὴν, *Veneficus incantans incantationem, & recte: incantatores enim à* חבר, *quod significat se sociare, vocantur chabarim, quasi dicas Socij, nempe dæmonum, quibus se pacto seu fœdere inito conjungunt Longe ergo clarius vertit noster Vulgatus, quam recentiores isti, & bene Pagninus retinuerat versionem LXX Interpr.* Cum ergo locus iste nihil attinere videatur sortitionem, mittimus eum, progredientes ad alium, in hoc negotio valde vexatum; is autem est, vide etiam Dionys. Voss. ad Majem. de idolol. c. 11. §. 12.

§. 9. Hos. IV. 12. עמי בעצי ישאל ומקלו יגידלו, *populus meus per lignum suum* (seu simpliciter, lignum suum) *consulit, & baculus ejus annunciat ei.* Variæ hic habentur interpretum & commentatorum expositiones, inprimis quoad membrum posterius. Audiamus Hebræos; Chaldæus: עמי די בצלם אעיה שאל ומדמי דחוטריה מחוי ליה: *populus meus qui per imaginem ligni sui consulit, & similitudo* (imago, simulachrum) *baculi ejus annunciat ei.* R. Salomo in genere ad idololatriam refert: בעצו ישאל בצלם שעשה מן העץ׳ יגיד לו אל דבריו הוא שומע שאומרים לו נביאי הבעל בשם ע״ז: *per lignum suum consulit*, i. e. *per imaginem, quam fecit ex ligno:* annunciat ei, i. e. *ad verba ejus auscultat, quæ respondet ei vates Baal, nomine idoli.* Aben Esra similiter עץ interpretatur per פסל, *imaginem sculptam,*

sc. ex

ſc. ex ligno : poſterioribus verbis prorſus intactis. Nec multo aliter R. D. Kimchi: עמיהם כמו העור שיורה לו מקלו הדרך שהוא הולך בה ' ומקלו הם נביאי השקר ' כן פירש א"א ז"ל ' ויש מפרשים עצו ומקלו הע"ז שהיא מעץ' וכן ת"י עמי דבצלם וכו' *populus meus eſt quaſi cæcus, quem baculus ſuus docere debet viam, quam ingreditur; & baculus ejus, hi ſunt pſeudo-prophetæ, quomodo pater meus p. m. expoſuit. Sunt tamen etiam, qui lignum hoc & baculum interpretantur per idola ex ligno facta, ut Jonathan quoq; transtulit* Rectius videntur exponere, qui ſine figura verba iſta capiunt, ad ξυλομαντείαν vel ῥαβδομαντείαν referentes, quomodo fere nobiliores commentatores faciunt. Druſius: *Lignum ſuum interrogat; utuntur divinatione, quæ à Græcis ξυλομαντεία dicitur: ejus meminit auctor libri 613. mandatorum, ſcribens, è fragmentis ligni fieri in Illyrico. Alijs lignum eſt ſtatua lignea, & baculus ſimulachrum è baculo ſeu ſtipite factum, delubrum* Feſtus, *Delubrum,* inquit, *dicebant fuſtem delibratum, id eſt, decorticatum, quem venerabantur pro Deo.* Et baculus ipſius; *utuntur & alio genere divinationis, quam ῥαβδομαντείαν vocant. Aut baculum ſignificat imagunculam, quæ in baculo. Solent enim Magi dæmonem etiam in baculo circumgeſtare.* Seldenus certè non dubitat, per baculum hîc innui ῥαβδομαντείαν, Syntagm. 1. de DIs Syr. cap. 2. ſcribens: *Non ita alienum (à βελομαντείᾳ) eſt, quod Iſraëlitis exprobrat Deus O. M. apud Hoſeam, C. IV. 12. populus meus, &c. ῥαβδομαντείαν certe inſectatur Propheta, quæ apud Orientales in uſu, uti diſerte de Medis ſcribit Dio, teſte Scholiaſte veteri in Nicandri Theriaca. Et de bacillorum ſeu virgarum ſortibus volunt præceptum negativum LII. quo divinationes prohibentur, intelligi.* In quæ M. Andr.

Beyerus in additamentis ita commentatur: *Cl. Saubertus prioribus hujus versus verbis,* populus meus in ligno interrogat, *ad* καπνομαντείαν (*à fumo in sacrificiis observato, an sursum, deorsum, dextrorsum, aut sinistrorsum feratur, sic dictam*) *antiquam admodum: In posterioribus.* Et baculus ejus annunciavit ei, *ad* ῥαβδομαντείαν (*ut explicant. R. Majemonides de idol. c. 11. §. 7. & B. Hieronymus: Sed Jarchi, AbenEsra, & Jonathan de ligneo simulachro intelligunt*) *digitum intendi, sententiam quorundam esse,* eamq; ῥαβδομαντείαν *ita factam esse, ut sumtis duabus virgis arcana quædam* καθαπαδῶσι, *& si illa verborum incantatione fecerint, ut* ἐνεργείᾳ *diaboli inclinarentur & flecterentur virgæ, tuncq; observaverint, in quam partem se flecterent, utrum ad dextram an ad sinistram?* R. Mos. Majemonides in Iadh. chas. d. l. ita habet, postquam varias divinationum species recensuisset: יש מי שנושא מקל בידו ונשען עליו ומכה בו עד שתפנה מחשבתו ומדבר הוא שהנביא אומר עמי בעצו וגו *Quidam in manu gestant baculum, cui innituntur, & quo percutiunt donec exhibeatur ipsis id, quod habent in cogitatione, & loquatur, quod innuit Propheta, dicens:* Populus meus, &c. Martianus DelRio, postquam plura ῥαβδομαντείας genera olim fuerint, non constare ait, de quo genere hoc Hoseæ dictum sit: *Qui Persicos ritus diligentius animadversos literis mandarunt, illorum Magos, qui sacrificiis præficiuntur, carnes super myrto & lauro positas tradunt subtilibus virgis adurere, mox oleum, lacte, melleq; commixtum conspergere, ac comprecari, fasciculos ex myrica pertenues manu tenentes. In Pyrethiorum meditullio surrecta stabat ara, ubi inextinctus servaretur ignis, fierentq; itidem comprecationes, non sine myricinis*

virgis.

virgis. Sicut in Scythia quoq3, ubi vaticini traduntur plures, salignis virgis divinatio concipitur: quas dissolvunt, ac separatim singulis humi constratis vaticinantur, interim virgas comprehendentes componentesq3. Nareis verò quos esse Androgynos putat Herodotus, tiliam scindentes trifariam, digitosq3 implicando ac resolvendo præcinunt futura. Postea ex Cælio Rhodigino & Dione, Herodoto, Strabone, in plerisque locis virgam præsagijsse, confirmat, inter alia hæc apponit: *Scytharum progeniem Turcas hunc morem retinuisse, colligitur ex historijs Collenucij* (lib. 1. rer. Neap.) *Sed illud mihi nota Lector, ῥαβδομαντείαν non pertinere ad unum duntaxat caput. Quædam enim explicitam continebat invocationem, nempe quæ conceptis verbis efficiebat, ut virgula recta sponte sua in circulum coiret junctis extremitatibus. Alia vero ad sortes pertinet, quando regnum, vel quid aliud, virgis datis, cui obtingeret, experiebantur: Sic Aaroni prærogativa Sacerdotij, virgula contigit florente; sic & B. Virginem nonnulli ex Apocryphis tradunt Josepho sponsam datam: quo adhuc tempore divinatoria sors permissa:* nimirum virga ejus florente & germinante, quod quosdam piè credere, ait Stengelius Jesuita, cap. 3. §. 7. Fabulam (ait DelRio Cranzium nominare, cur vero, se nescire) de Hildebrando puero memorant, cum filius esset fabri lignarij, ex sarmentis ordine compositis inscium ipsum has literas conseruisse, quas literatus aliquis legens, has voces invenit formatas: *Dominabor à mari ad mare.* Conjectantem ergò divinum aliquid in puero, suasisse parenti, ut eum literis imbuendum traderet: traditum profeciisse, & in cancellariam Regis pervenisse, & Scriniarium evasisse. Imperatorem somnio

admonitum de eodem, quod cornua videretur habere, quibus filium suum contereret, hominem conjeciſſe in vincula: ſed ab Imperatore vinculis exutum, Cluniacenſe monaſterium petiiſſe: indeque profeciſſe primum in ſubdiaconum, deinde in Cardinalem, noviſſime in Gregorium VII. Sed hæc, utut fabuloſis nugis oblimatis naribus veritatem, emunctioribus tamen fabulam redolent: Idem DelRio cap. 2. *apud Hebræos*, ait, *R. Moſes Tamſonis F.* in explicatione præcepti negativi LII. commemorat hujuſmodi ritum: Decorticabant bacillum ligneum uno tantum ex latere, tum in aërem projiciebant: ſi fortuito caſu, primo jactu apparuiſſet ſuperior pars decorticata, at ſecundo jactu ſuperior pars adhuc veſtita; proſperum ſucceſſum augurabantur: ſin è contra primum pars veſtita, infelicem; ſi utroque jactu veſtitum vel nudatum latus ſuperius fuiſſet, mixtum eventum ſibi pollicebantur: & hoc ab Oſea putant ſignificari. D. Hieronymus autem vult, de eodem agi genere, de quo agit Ezechiel, & vocat hîc ῥαβδομαντείαν, quod illic βελομαντείαν, pro ijſdem enim accepit. Sentit hoc etiam Theophyl, in Oſee, ſed aliter explicat ipſum ritum: Virgas, inquit, duas ſtatuentes, carmina & incantationes quaſdam ſubmurmurabant: deinde virgis, dæmonum operatione, aut effectu, cadentibus, conſiderabant, quonam utraque earum caderet; antrorſumne an retrorſum, ad dextram vel ſiniſtram: Sicque tandem reſponſa dabant inſipientibus, virgarum caſu pro ſignis uſi. Eundem ad modum Nabuchodonoſor vaticinabatur, ut Ezechiel habet.

Cum

Cum igitur tot & tam variæ fuerint ῥαβδομαντείας ſpecies, quis certam aliquam ex his ab Hoſea indicatam denominabit? Sentimus ergo cum Del-Rio, *non conſtat, de quo genere hoc dictum.*

§ 10. Hæc de ῥαβδομαντείᾳ latius in eum finem dictæ ſunt; ut facilius de virga, quam divinam vocare ſolent, & qua abditos terræ theſauros, latentem pecuniam, & ejuſmodi alia mobilia bona abſcondita, metallorum foſſores, milites, & alij præſtigiatores ſolent inquirere, poſſit judicari; Virtutem illi revelandi & abſtruſa indicandi attribuunt vulgo, cum vera & naturalis ratio ejus rei, niſi ad ſympathiam confugiant, aſſignari nequeat. De ea Peucerus ſic ſentit: *Eodem divinationes pertinent, Metallariis uſitatæ, quæ fiunt ſciotericis & virgula divina. Eſt ea ex corylo deciſus bifidus baculus, quo venas illi auri argentive feraces explorant, inclinante ſeſe eò virgula, qua ſub terra venæ feruntur atq; incedunt. Qua vi id ſoli corylorum præſtent ſurculi, & non item cæterarum arborum, quæ in iisdem provenerunt locis, eôdem terræ altæ refectæq; ſucco, obſcurum eſt: niſi quod conjicio* συμπάθειαν *habere corylos ad metalla connatam & occultam: eam augent roborantq; ſucci, cognatæ cum metallis naturæ, quos ex aggeſta radicibus terra, nutritionis cauſa ſugunt, & hauriunt. Sciotericis vias ductusq; venarum profundiſſimos miro artificio perveſtigant, & deſignant, diriguntq; operarios, ne devient, ex planorum triangulorum natura* Hoc nimirum eſt, quod Deus per Hoſeam in populo caſtigat, *baculus ſuus ei indicat.* Experientia perceptum eſt, virgam hujuſmodi, divinam ſcil. ejus manu tractatam, cujus animus à ſuperſtitioſa hac vanitate liber, ejuſmodi vim plane non exercere:

Ex superioribus didicimus, ipsos etiam gentiles non naturalibus viribus, sed Dijs suis tribuisse, si quid virtutis hujusmodi virgæ ipsorum patrassent, atque inde, ut patrarent, Deos suos comprecabantur, vel incantationes adhibebant. Si ex succo cum metallo cognatæ naturæ, cur furculus bifidus, cur corylus præsertim, esse debet? Certum ex re ipsa est, virgam de salice decerptam, eandem exerere efficaciam. Sympathia, quam causantur, omnium anilium superstitionum asylum est, ea vero hîc potissimum valet, quæ aliâs *auri sacra fames & arcana cum spiritibus subterraneis colusio*, vel eorundem saltem, inscijs operarijs, cooperatio; apud quosdam etiam rapacis animi, aliena inhiantis, & furantis latentia, defossa, abscondita à furacibus manibus proximi bona, quærentis opus est & labor: lusus est satanæ, avaritiam promoventis & augentis, militum & furum rapacitatem adjuvantis, patrum vero & matrum familias, periculosis temporibus res suas alicujus precij salvare studentium, industriæ illudentis, & res eorum absconditas raptoribus prodentis. Insuper si probæ notæ ars sit, similem contra docent, qua vafritiem istam satanicam quis possit illudere, secundum Catonem:

Tu quoq; fac simile, & sic ars deluditur arte.

Gesit & Moses res prodigiosas per virgam, sed divina vis non ita perinde omni virgæ alligata. Itaq; sicut Pharaonis malefici, fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam similiter: projeceruntq; singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones; ita hodie dum cacodæmon homines dementat, ut dum sunt arcini, sibi divini

vini esse videantur. *Illi scire debent, antiquam hanc esse antiqui serpentis artem, ut se in angelum lucis transfiguret, fallaciſsimáq; promiſsione dicat: Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. Accedit hoc tempore divinatoriam sortem nec jussam à Deo, nec sine peculiari instinctu Dei permissam*, scribit Stengelius, in paragrapho, cui titulus est: *Quantus in virgæ sortibus Dei simius sit Cacodæmon?* Fortis est Satanas, & in illudendos homines, atque varijs superstitionis vitijs imbuendos, inficiendos, infectos firmandos, μυελοτεχνίτης & ingeniosus: quam satanæ callidam fraudem idem Stengelius his verbis perstringit: *Sed & nostra tempora retinent antiqua vitia: Neq; enim Sueci tantum, velut divina quadam virgula, aurum argentumq; ubi lateat, norunt hariolari; sed alij quoq; conceptis verbis efficiunt, ut virgula recta ad nomen rei, quam indagant, sponte sua junctis extremitatibus, in circulum coëat, & à cornibus velut lunetur: Nimirum insignis Dei simia est diabolus.* Dolendum sane est, vanitate ista idololatrica, corruptos esse homines non è fæce vulgi & indoctos, non mulierculas, aut levis monetæ terræ filios; sed doctos etiam, imò & Magistratus quosdam ipsosmet, non Judæos, Turcas, gentiles, & barbaros, sed ipsos etiam Christianos. Vide hinc inde præsertim apud Poetas; de virgis sacris, ramis felicibus, virga populea, felicis olivæ, &c.

CAP. XIV.

De

Βελομαντεία, seu Sortitione per sagittas.

§. 1.

DIvinatoriæ sortitionis species est βελομαντεία, ῥαβδομαντεία similima, ut quandoque pro eadem habeatur. Ejus in Sacris Literis duo recensentur exempla, unum à Rege Israel, alterum à Rege Babel factum: quæ singulatim enarrabimus.

§. 2. Prius legitur 2. Reg. XIII. 15. seqq. sic habens: Cum propheta Elisæus decumberet, Joas Rex Israel ipsum visebat; huic propheta dicebat: *Cape tibi arcum & sagittas*; quibus sumtis, propheta Regem iterum, ut manus suas arcui applicaret, jussit; impositis illis ipse suas quoque imponit, dicens Regi: *Aperi fenestram versus Orientem*; per apertam præcipit mittere sagittam; cujus casu observato Propheta infit; *Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis in Syriano: & percuties Syriam in Aphek usq; ad consumtionem.* Post iterum Propheta ad Regem; *sume*, inquit, *sagittas*, & sumsit: tum Propheta, *terram*, inquit, *percute*: & percussit terram ter & constitit. Tum indignatus Vir Dei dicebat ad Regem: *percuciendo*

endo quinquies aut sexies percussisses eos ad consumtionem: jam autem ter percuties Syriam. Duplex sortitio his continetur; altera emissione teli per fenestram, altera percussione terræ, telo factâ. Prioris ratio erat, quò se verteret jactus sagittæ, eò salutem quoque Israel inclinaturam. At verò rectà versus Syriam ferebatur sagitta, atque eò recidit. Hinc propheta faustum omen captavit, ex prophetico Spiritu Regi victoriam contra Syros prænuncians, atque ex prospero teli casu eos penitus interituros, auguratus. Sed posterior sors non æquè feliciter cecidit: ad præceptum enim propheticum Rex ultra ter non percussit terram, cum debuisset pluries, aut usque dum Vates divinus inhiberet. Sic ex Hæbræis R. D. Kinichi exponit, in priorem sortitionem h. m. commentans: קדמה לפי שאם היה למזרח ארץ ישראל כמו שכתוב אלם מקדם והחץ הראשון הוא שיורה דרך החלון אבל האחרים הכה בהם בארץ ואמר אלישע בהורותו החץ זה החץ יהיה תשועה שיושיע ישראל ובאיזה אם יפול החץ שתהיה תשועה ממנו לישראל בארם יפול החץ זהו שאמר חץ תשועה ליי' וחץ תשועה בארם: *Versus Orientem,* (jubet fenestram aperire) *quia Syria erat ad Orientem terræ Israel, uti scriptum est:* Jes. IX. 12. Syria ab Oriente. *Telum autem prius erat, quod mittendum erat per fenestram: at cæteris percussit terram. Cùm autem* (Joas) *emittebat sagittam, dicebat Elisæ: Hæc sagitta erit salutaris, quo juvabitur Israël. In quam verò partem cadere debuit sagitta, ut esset Israëli saluti? in Syriam cadat telum; atq; hoc est quod dicit Elisæ: telum salutare Domini, & telum salutare in Syriâ* In

alteram verò ita: ויאמר לו אלישע עד כלה כי כן נאמר לו בנבואה אם יורה המלך החצים פעמים רבות והיה סבור אלישע כי לא יעמוד עד שיאמר לו עמוד· ומפני זה קצף עליו אלישע כאשר עמד· להכות חמש· אם עלה בלבך להכות חמש או שש פעמים אז הכית ארם עד כלה: *Dixit ei Elisa, usq; ad consumtionem: Sic enim eidem per prophetiam dictum erat, si Rex sagittis multoties terram percussurus fuisset* (legendum esse censeo יכה pro יורה) *habebatq; in animo Elisa, non debuisse desistere, donec ei dixisset, Persiste: & propterea indignabatur ei Elisa, quum destitit. Percutiendo quinquies: si persumsisses tibi percutere quinquies aut sexies, tum percußisses Syros usq; ad consumtionem.* Miror exemplum hoc sortitionis divinatoriæ per sagittas eos, qui de sortibus divinatorijs scripserunt, ita præterijsse, ut nullibi ejus meminerint.

§. 3. Alterum verò exemplum à Nebucadnezare observatum, ubique ferè allegatur, quod tamen superiori longè est obscurius. Id Propheta Ezechiel cap. XXI. 18. seqq. his populo suo verbis proponit: *Et factum est verbum Domini ad me dicens: Et tu fili hominis, pone tibi duas vias, ut veniat gladius Regis Babel, de terra unius* (regis) *egredientur ambæ, & locum elige, in capite viæ civitatis elige. Viam ponas, ut veniat gladius ad Rabbath filiorum Ammon, & ad Jehudam in Jerusalem munitam. Stetit enim Rex Babylonis in bivio, in capite scil. duarum viarum, divinationem petens: expolivit tela, & interrogavit imagines, atq; inspexit jecur. In dextera ejus fuit divinatio Jerusalem, ut poneret arietes,* &c. Pro expolivit tela in Hebræo est קלקל בחצים, in quo Com-

Commentatores itidem ſtant in bivio, vel trivio potius, altero huc, altero illuc tendente. Tres enim ferè hîc ſortitionis ſpecies adducuntur, pro exponendis his verbis.

§. 4. Prima eſt eorum, qui intelligunt de mixtione ſagittarum in pharetra, donec aliqua ex illis exiliret: habebant autem illæ ſagittæ nomina urbium aut regionum, obſidione claudendarum, aut bello opprimendarum; quibus nimirum Imperator militiæ inferre bellum deſtinarat, dubitans, utri prius? quando ergò ſagitta concuſſione pharetræ ejiciebatur, inſpectum erat, quod nomen haberet? atque ea dein urbs aut terra, quæ inſcripta erat, bello petebatur. Rex ergò Babel Nebucadnezar in animo habebat aut Rabbath aut Jeruſalem oppugnare: ſumſit duas ſagittas, quarum alteri nomen hujus, alteri illius inſculptum. Hæc Hieronymi expoſitio eſt, quam etiam H. Grotius h.l. annotavit. *Divinationem quærens* (ſcribit Hier.) *commiſcens ſagittas, ritu gentis ſuæ oraculum conſulit, ut mittat ſagittas ſuas in pharetram, & commiſceat eas inſcriptas ſive ſignatas nominibus ſingularum, ut videat, cujus ſagitta exeat, & quam prius civitatem debeat oppugnare. Hanc autem Græci* βελομαντείαν *ſive* ῥαβδομαντείαν *vocant.* Et ſic idem Hieronymus ad Hoſ. 4. commentatur; *Propheta ſtupens, & mirabundus eloquitur: populus meus, qui quondam meo vocabatur nomine, lignum interrogavit, & virgam: quod genus divinationis Græci* ῥαβδομαντείαν *vocant; unde in Ezechiele legimus, quod virgas ſuas miſcuerit Nabuchodonoſor, contra Ammon & Jeruſalem, & exierit virga contra*

Jeru-

Jerusalem. Hieronymum sequuntur multi alij ex viris doctis, Sched. de Dis Germ. Syngr. 2. cap. 4. Martinus DelRio, *præstare* ait *hunc quam alios sequi.* Seldenus item Syntag. 1. c. 2. eidem assentitur, addens tamen, *ejusmodi divinationis genus se alibi reperisse, non succurrere.* At M. Andreas Beyerus in additamentis ad eundem adducit Edow. Pocokium ad Abul. Far. βελομαντείας hujus ex Oriente accersentem rationem: *Cum esset alicui vel suscipiendum iter, vel ducenda uxor, vel aliud magni momenti negotium peragendum, sagittas, quas tres vasculo inclusas habebant, consulere solebant. Earum primæ inscriptum erat:* אמרני רבי, *jussit me Dominus meus: secundæ,* קהאני רבי, *prohibuit me Dominus meus: tertia nulla nota insignis erat. Harum unam manu extrahenti si occurreret illa, quæ juberet alacri animo, tanquam monente Deo pergere; sin illa, quæ vetaret, desistere; quod si* ἀφανισμὸν, *illam reponere, donec prodiret vel interdicto occurreret.* Eadem ex Pocokio affert Matth. Wasmuth in Paræneſi, Grammat. Arab. præfixa, posteriora verba, à Beyero vel obscurè vel mutilè adducta, sic reffert: *Donec prodiret, quæ vel jussu præiret, vel interdicto occurreret.* Simili ferè, quoad nomina urbium expugnandarum scribenda & urnæ injicienda, sortitionis & consulendi rationem exercent Veneti, ut Henr. Salmuth ad Pancir. de fibula tradit, vide infrà cap. 29. Ad usum istum sortiendi per sagittas, militiæ consuetum, respicit Vulgatus Interpres, reddens locum præsentem: *Commiscens sagittas.* Consili nili modo Turcæ olim usi sunt, &c. NB. hic ex Elon. Neuh. apponenda: p. 536. lib. 2.

§. 5. Huc

§. 5. Huc trahunt versionem τῶν LXX. quæ h. l. sic habet: στήσεται βασιλεὺς Βαβυλῶνος ἐπὶ τὴν ἀρχαίαν ὁδὸν, ἐπ' ἀρχῆς τῶν δύο ὁδῶν, καὶ μαντεύσασθαι μαντείαν, καὶ ἀναβράσαι ῥάβδον, καὶ ἐπερωτήσαι ἐν τοῖς γλυπτοῖς; quod ita vertunt: *Stabit Rex Babylonis super antiquam viam in principio duarum viarum, ut oraculum petat, ut bacillum fervefaciat, ut interroget sculptilia.* Sic Seldenus, & forsan hunc sequutus Schedius, qui porrò eadem h. m. explicat: τὸ ῥάβδον *ad* ῥαβδομαντείαν *refertur, quæ Orientalibus in usu erat, ut de Medis scribit Dio & Nicander, in Theriacis, ut Scholiastes ejus interpretatur.* τὸ ἀναβράσαι *autem fervefacio significat, quia concutiendo sortes (ut miscerentur, ne pro lubitu, uti impositæ erant, exirent, & sic fallerent consultantes) fervebant quasi, & incalescebant.* Sic etiam Hieronymus ista intelligit, scribens: *Illud* ἀναβράσαι *seu ebullire nihil aliud est, quam velociter exire, seu ascendere.* Polychronius verò, adducente Drusio in fragmentis per ῥύψαι exponit, id est, *abstergere, polire.* Martinus DelRio aliter: *Divinationem hanc variè explicant, orta diversitate, quia non conveniunt de significatione verbi* קלקל, *quod D. Hieronymus vertit commiscuit, LXX. verò fecit ebullire, & virgam pro sagittis,* ἀναβράσαι ῥάβδον, *quod tamen Polychronius docet dictum phrasi Hebræa, pro misit, seu jecit sagittas.* ἀλλ' ἔρυψαι εἶπεν, ταῦτα γὰρ λέξει ἑρμήνευσε καὶ ὁ Ἑβραῖος. Seldenus dubitanter loquitur, ῥάβδον ad ῥαβδομαντείαν *referrem, nisi ad virgas sortium, quo spectaret modo* τὸ ἀναβράσαι, *quod est fervere facio, haut satis viderem.* Mihi verò, ut candide profitear, nulla harum, quæ ἀναβράσαι τῶν LXX. exponunt, interpretationum placet, & longè verius simpliciusque

ciusque reor, si ea significatio, qua ἀναζέσαι ebullire, fervere facere,&c. notare ajunt, retineatur, ceu nativa & commodissima, sine ulla similitudinis aut figuræ Rhetoricæ nota, *quasi*, qua hic nihil opus. Nimirum respexerunt LXX. ad sortitionis modum, quem supra ex Plauto tetigimus, quô sortes ligneæ ῥάβδοι, nominibus, alijsve notis & characteribus insignitæ, in situlam, ollam, aut simile vas, conjiciebantur; tum igni admota olla, donec aqua, quâ repleta erat, ferveret; tunc fervendo, coquendo, bulliendo, unam alteramque sortem ejiciebat, & quæ tum prima ebulliebatur, pro sorte erat, seu ut hoc in negotio loqui solent, illa sors cecidit. Sic ergò loco mixtionis sortium in urna, erat ebullitio, aquæ fervor & stridor, loco extractionis verò erat exæstuatio, ut hoc modo nulla ullius hominis manus fraudulenta metuenda, aut sortito suspecta esse posset; quippe quæ solius naturæ, ignis & aquæ, Deique summi moderatoris æquissimo judicio esset relicta, & quomodocunque illa cecidisset, eò securius ei confideretur. Hunc sortiendi ritum indigitasse LXX. exinde mihi videtur, quia pro sagittis posuerunt ῥάβδον, virgam, bacillum, sortem ligneam, cui aliquid inscriptum: deinde addunt LXX. ἐπερωτῆσαι ἐν τοῖς γλυπτοῖς, interrogare sculpta; i. e. cognoscere, quid nominis virgæ ex fervente aqua ejectæ primo loco, insculptum esset, insculptum consulere, ejusque ceu divinum judicium sequi. Sic ergò Nebucadnezar in bivio consistens, nescius seu dubius, quo arma prius inferret,

ferret, virgas seu sagittas duas, quarum altera nomen Jerusalem, altera Rabbath exhibebat, vasi aqua pleno injecit, videns, utram aqua fervida ejiceret; ejiciebatur autem virga nominis Jerusalem signum habens: id auspicatus in bonum omen, felicem eventum sibi promitti interpretatus, Hierosolyma prius impugnavit; id populo Israel indicat Propheta, ut de expeditione Persarum contra ipsos, atque simul prosperi eorundem adversus Jerusalem successus, illos redderet certos, atque præmonitas, ut tela prævisa minus nocerent. Non verò asserero, ipsius Hebraici textus sensum hunc certo esse, quem versio LXX. præ se fert; sed verba hujus versionis h. m. esse intelligenda, ut קלקל notet levitatem quandam, levem reddere, alleviare, ceu leve attollere & ejicere; quod enim leve est, aquæ innatare, quod gravius, subsidere solet: ergò virga, nomine Jerusalem insignita, ceu levior, sursum agitata, ab aqua fervida, expuebatur.

§. 6. Revertor ad textum Hebraicum, quem alij exponunt de politione & lævigatione sagittarum. Quia enim קלל *etiam significat lævigare, & polire, ideò exponunt, tersit, seu polivit sagittas: volunt enim significari genus divinationis catoptromanticum, quò augeres in splendenti cuspide, velut in chrystallo vel ungue, futura inspiciebant,* scribit DelRio. Sic Munsterus: *Stabat Nebucadnezar dubius in bivio, quam ex duabus viis eligeret, & ob id sortem mittit, & ex micantibus telis oraculum quærit, imagines Theraphim consulit,* &c. Sic quoque Buxtorffius in Lex. Hebr. Avenarius, Schindlerus, qui penè verborenus

R.D.

R. D. Kimchi notam sequitur, ad h. l. ita commentantis: קלקל בחצים שאל בתרפים ראה בכבד וכל זה ממעשי הקסם ופי' קלקל כמו והוא לא פנים קלקל והוא שמחדדין ומלטשין פני ברזל החץ עד ש יהיה בהיר מאד ורואין בו בעלי הקסם כמו שרואים בבהן היד בצפורן לבהירות הצפורן וכן רואים בספ"ק וכן במראה וכן רואים בכבד שישלו בהירות ותרפים הם צלמים יראו בהם העתידות ובשלשת מיני קסם אלה ראה נבוכדנצר אם ילך לירושלם שהיתה לצי ומינו אולרבת בני עמון שהיתה לצד שמאלו ונפל לו הקסם לי רושלם:

polivit sagittas, rogavit Theraphim, inspexit jecur: omnia hæc tria sunt opera divinationis: vox קלקל *autem hîc idem significat, quod in illo: Et ipse non expo'ivit aciem: hoc autem fit, quando conjungunt & acuunt aciem ferri* expoliunt *sagittæ, donec fiat fulgentißimum, & tum inspiciunt divinatores, quomodo inspicere solent unguem pollicis, ejusdemq; splendorem: eodem etiam modo inspiciunt gladium, nec non speculum, ut & jecur, quia & illi est aliquis splendor. Teraphim autem sunt imagines, in quibus conspiciunt futura. Hæc omnia tria divinationis genera inspexit Nebucadnezar, num pergere debeat versus Jerusalem, quæ erat ipsi à dextra: an versus Rabbath filiorum Ammon, quæ erat ad partem ejus sinistram; & divinatio cecidit versus Jerusalem.*

§. 7. Supereſt tertia expoſitio, quæ multorum eſt, projectas nempe eſſe ſagittas, vel unam ſaltem, in aerem, & quo caderet ſors, obſervatum, atque pro divino conſilio habitum: Ex Hebræis ita ſentientibus videtur eſſe Paraphraſtes Chaldæus, ſeu Jonathan, reddens: קשת בנוריא, arcu ejecit tela: quomodo in Lex. Talm. redditur; nec non à R. Salomone

expo-

exponitur: ויש לועזים קלקל טר"אאיט בל"עז וכן תרגם וכו', *quidam vernacule exponunt hanc vocem per* tráet / *vibrare, torquere sagittam, quomodo Jonathan quoq; est interpretatus.* Et sic ipse quoque R. Salomo textûs verba intellexit: קלקל בחצים ליהט בלהט חצים זרק חץ כלפי למעלה והיא פונה מאיליה לימין או לשמאל ולמקום שהיא פונה הוא הגו' *Divinavit divinatione sagittarum, fudit sagittam in altum, quæ tum sponte sua vel ad dextram vel ad sinistram tendebat; & quo illa inclinabat, id erat sortilegium.* De patre suo idem statuente, testatur R. D. Kimchi: eum enim ait scripsisse, vocem קלקל notare קלות כלומ' ירה החצים והפריהם באויר לראות לאיזה צד יפלו: *levitatem, q. d. projecit sagittas & dispersit eas in aërem, ut videret, in quam partem vellent decidere.* Hanc etiam amplectitur Osiander in annotationibus: *Colligi potest hinc, quod Babylonij invasuri bello regnum, in bivio constiterint, & sagittam jecerint, inter duas vias, per medium, & in quam partem sagitta delata fuit, in eam primo impressionem fecerunt:* quò etiam inclinare videtur versio B. Lutheri, mit den Pfeilen umbs Loß schiesse. Et Stengelius quoque cœteris rejectis hanc expositionem præfert. vide suprà cap. 13. §. 9. Imò Martinus Del Rio omnes, Hebræos pariter, Græcos & Latinos ferè, in unum sensum, quamvis minus vere, cogit; *Alij*, inquiens, *putant, eô significari genus alterum divinationis: nempe commixtas sagittas in aërem fortiter jecisse, & in quam partem caderent, dexteram an sinistram, versus Rabbath an versus Jerusalem, observasse: Sic R. Joseph & (ut videtur) Chaldæus paraphrastes, eamq; interpretationem optime tam nostra*

quam Græca versio patitur: Cum tamen ipse Hieronymum adducat asserentem, LXX. hîc tam sensu, quam verbis à vulgata dissentire. Sic Drusius, quando Polychronij, τῶν LXX. ἀναβράσαι per ῥύψαι interpretationem correctam vult, legendum putat ῥίψαι, ut sensus sit, *ad jaciendum sagittas.* Sed quæ singularum versionum mens sit, hactenus expositum.

§. 8. Ex his id saltem attendendum, rationem sortiendi per sagittas fuisse variam; nisi enim vel hæc vel alia fuisset usitata, veteres Interpretes non ad eam verba textus restrinxissent. Cœterum si jam judicium fieri debeat, quænam harum alteri præferenda, vix certi aliquid asserendum video, ob vocis קלקל obscuritatem & ambiguitatem. Ut tamen aliquid dicam, videtur mihi postremo loco allatam esse cœteris probabiliorem: quia primo antiquissimum erat hoc modo sortiri, ut exemplum Regis Joasi & Prophetæ Elisæi docet. Quod si verò quis objiciat, id singulare prorsus fuisse factum, nec aliâs observatum: Resp. at hoc æque sine authoritate dicitur, atque sine ratione: quomodo audacter quis neget, aliâs non similiter factum? Nonne hodie aliquando fere solere idem fieri compertum est, ut sufflata plumâ in aërem, viam itineris sortiantur, ut nihil mirum sit, si & antiquitus tale habuerint in usu? Nolo jam adducere exemplum 1.Sam.VI.9.quod Stengelius quoque in eundem sensum profert: nec illud, quod 1.Sam.XX.20. seqq. describitur, nec alia, ex quibus omnibus id manifestum, in Eccle-

Ecclesia Vet. Test. habuisse multa ejusmodi externa media, quibus voluntatem Dei & arcana inquirerent, quæ verò Diabolus etiam, mundi Deus Deique veri simius, ad Tartari sui mancipia deduxit & transplantavit: quemadmodum ergo Propheta Elisa, administrante Rege Joaso, jactu teli & ejusdem versus Syriam casu, bonum captavit auspicium victoriæ Israël adversus Syros; Sic idem Satanas tentavit apud sui regni subditos, externa & naturalia media adhibens, singulariq; ductu & moderamine usus, res, si quas forte nosset eventuras, prænunciare, si nesciret, dubiis responsis & oraculis, dissimulare ignorantiam. Eundem morem, ut visibilibus instrumentis nobiscum agatur in rebus divinis, hodie etiam Deus retinet, aquâ scil. pane, vino, opera prorsus divina in Ecclesia peragens, cùm si vellet, sine illis eadem præstare posset. Sed ejusmodi in Vet. Test. plurima habuerunt etiam in communi usu; Josephus divinaturus scypho usus est: Moses & Aaron baculo mira patrarunt; Elias pallio, David chorda, &c. & sic alij sancti Dei homines, inprimis, qui communi bono præfuerunt, in arcanorum revelatione mira Dei benignitate & familiaritate gratiosa Spiritus S. usi sunt. vide supra Cap. IV. Id Cacodæmon imitari studens, varia media incantatoribus & divinatoribus subministravit, ceu divinandi instrumenta: יש מן הקיסמים שמשמשים בחול או באבנים: ויש מי שגוהר לארץ וצופה וישמי שיסתכל במראה של ברזל או בששית ומדמין ואומרים ויש מי שאוחז וכ

Sunt inter divinatores, qui ut untur arena, vel lapidibus;

sunt item, qui humi procumbentes divinent: alij etiam, qui speculum ferreum vel vitreum vas inspiciant, ac ubi secum cogitarunt, proloquantur. Sunt itidem, qui arrepto in manum baculo eidem innitantur, mox terram percutiant, donec cogitata proferant, Majem. de idolol. C. II. § 7. Sic ex casu rerum aliquarum divinare quosdam & auguria capere, idem docet, § 4. l. c. כיצד הוא הנחש כגון אלו שאומרים הואיל ונפלה פתי או נפל מקלי מידי אינו הולך למקום פלוני היום שאם אלך אין חפצי נעשים הואיל ועבר שועל מימיני אינו יוצא *Augurium autem quomodo fit? Quando quis ex. gr. dicit, si offa ori exciderit, aut baculus manui, non accedam locum N. hodie: quia si eo abirem, negotia mea non ex voto succederent. Aut si vulpes dextram meam prætergressa, non egrediar foribus domus meæ,* &c.

CAP. XV.

De

Sortibus poëticis & sacris,

Ῥαψῳδομαντεία.

§. I.

POëticæ sortes dicuntur, quæ ex Poëta aliquo nobili fiunt, idque duplici modo; priori, *quô Poëtæ ejusmodi versus in pittaciis descripti, situlæ injiciebantur, & extrahebantur, ordine, quô sortes aliæ urnæ immissæ;* posteriori, *quô libro poëtæ temere accepto & aperto, quod primum oculis se objecerat,*

pro

pro sorte, id est oraculi loco habebatur, ut Berneggerus definit; adjungens: nam *cum poëtas divino Numine afflatos versus canere crederet antiquitas, ex iisdem versibus sortitò multa vaticinia posse erui existimabat.* Unde vulgò divini vates audiunt, ut Horatius meminit in arte poëtica:

Sic honor & nomen, divinis vatibus, atq;
Carminibus venit. Post hos insignis Homerus
Tyrtæusq; mares animos in Martia bella
Versibus exacuit, dictæ per carmina sortes.

Propter spiritum nimirum, quo divinitus afflantur, & quasi furoris cujusdam cœlestis impetu corripiuntur, ut habet Schol. Ex sortibus istis primariæ sunt Homericæ & Virgilianæ: quæ verò potissimum fiebant modo posteriori: prioris enim exempla jam non suppetunt. Homericas olim in magno pretio fuisse, sed præter tria tamen exempla memoriæ non plura offerri, scribit Berneggerus. Primum est Socratis, qui audiens in carcere forte recitari illud Achillis apud Homerum:

Ἤματί κεν τριτάτῳ φθίμην ἐρίβωλον ἱκοίμην.

id est:

Tertia lux vectos patriis nos sistet in oris.

prædicebat Æschini, se post triduum morituram. Alterum est Bruti, qui Pharsalici prælij successum exquirens, in hunc Patrocli versum incidit:

Ἀλλά με μοῖρ' ὀλοὴ καὶ Λητοῦς ἔκτανεν υἱός:

Sed me fatum pernicioſum & Latonæ interfecit filius.

Plutarch. in ejus vita. Val. Max. l. 1. c. 5. Tertium est Opitij Macrini, quod supra Cap. 7. allatum.

§. 2. Virgilianarum sortium plura exempla produci posse, ait Berneggerus, sed sex tantummodo recenset, quorum nos primum jam supra Cap. 7. adduximus: reliqua sunt ista: Alexandro Severo Imperatori cùm Heliogabalus insidiaretur, sortem in templo Fortunæ Prænestinæ talem accepit:

— *Si qua fata aspera rumpas,*
Tu Marcellus eris — —

ex Æn. 6. circa finem. Videtur sors hæc inscripta schedulæ, urnæ injecta, atque inde extracta, de quo supra Cap. 10. Sic referenda foret ad prioris sortium poëticarum generis exempla. Secundum est Claudij Imperatoris, cui ex Æn. 1. hæc sors contigit:

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.

Nec ultra triennium imperasse dicitur. Eidem inquirenti de fratre Quintillo, quem Imperij consortem habere volebat, occurrit versus, qui & Gordiano Juniori post obvenerat:

Ostendent terris hunc tantum fata, nec ultra
Esse sinent.

ex Æn. 6. circa finem. Vere, ait Berneggerus: nam decem & septem diebus à suscepto imperio interfectus est. Hos eosdem versus cuidam ex summis suis amicis, puerulo nato, sortes Virgilianas animi gratia consulenti, oblatos fuisse, scribit in theatro vitæ Zwingerus, nec fefelliſſe. Nam quinto post mense infantem uno eodemq; tempore cum matre lethali spasmo correptus obijt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn784953996/phys_0218
DFG

obijt. Quartum referunt ex Ælio Spartiano, in Hadriano Cap. 2. Huic enim quærenti, quo animo esset erga se Trajanus Imperator, has sortes ex Æn. 6. sub finem, accidisse ajunt:

Quis procul ille autem ramis insignis olivæ
Sacra ferens? nosco crines incanaq; menta,
Regis Romani, primus qui legibus urbem
Fundabit, Curibus parvis & paupere terra
Missus in Imperium magnum, cui deinde subibit.

Quæ quidem ad amussim quadrabant. Nam post adoptatus à Trajano eidem in Imperio jam senex successit. Claudius Secundus, Aureliani Imperatoris prædecessor, inquirens de posteritate sua, incidit in illud primi Æn. libri:

Huic ego nec metas rerum nec tempora pono.

Et sane genus ipsius per longam posteritatem stetit. Præter Homerum & Virgilium alios quoque ex Veteribus Poëtas, Musæum inprimis, in eundem usum evolvebant. Ex hoc enim, antiquissimo Poëta, futurarum rerum oracula à sortilegis petita esse, exempli loco est Onomacritus, Athenienſium Poëta, qui ob sortes Musæi adulteratas, ab Hipparcho in exilium ejectus, atque ad Xerxem confugere coactus est, quem postmodum tamen, teste Herodot. ijsdem sortibus ad bellum Græciæ inferendum compulit.

§. 3. Ex sortitionis hoc genere ortum suum habere docti judicant sortes sacras & Apostolicas, quanquam quo tempore primum cœperint, non æquè exponant. De hoc verò divinationis genere, ῥαψῳδομαντείᾳ aliâs dicto, ita

scribit Berneggerus: *Hoc divinationis genus, à paganis acceptum, non modò Rabbinorum curiositas frequentavit, sed Christiani veteres etiam interdum usurparunt, substituto in Poëtarum locum sacri fœderis utroq; Testamento. Qua de re Isidorus; sunt autem, inquit, sortilegi, qui sub nomine fictæ religionis per quasdam, quas Sanctorum, seu Apostolorum, vocant sortes, divinationis scientiam profitentur; aut quarumcunq; scripturarum inspectione futura promittunt.* Ut facilè assentior deductioni isti ex Paganorum sortitione poetica, sic non dubito, quin inspectio librorum Vet. & N. Testamenti, seu Prophetarum & Apostolorum, præsertim Psalterij originem quoque suam debeat ritui Romanorum Veterum, in imminentibus periculis & dubijs rebus libros Sibyllinos inspicientium, de quo plura exempla prostant apud Livium. Variè verò has sortes distinguere solent, præcipuè in solennes & privatas: quarum illæ in rebus arduis & cum publicis ceremonijs, hæ privatim & sine solenni formula peractæ sunt. Multa in utramque partem afferuntur exempla ab Historicis, quorum quædam supra quoque adduximus; expositionis & illustrationis gratiâ nonnulla etiam hîc apponere lubet.

§. 4. Cùm verò hujus sortilegij duo in primis modi fuerint adhibiti, quibusdam quod fortuitò ex libris sacris ipsi audirent legi vel recitari, pro oraculo apprehendentibus: quibusdam autem ex industria & consilio sacras paginas evolventibus; prioris modi exempla ab initio recensebimus. De Clodovæo h. m. consulente

lente Deum, & sortes sacras, supra dictum, C. 4. §. 9. Henricus Magnus elapsus ex captivitate Alenconium venit; cumque Protestantium templum ingrederetur, Psalmus Davidis cantatus est, cujus initium: *Domine in virtute tua lætabitur Rex* &c. Ps. XXI. 1. Et hoc quidem non arte, sed casu, Psalmo illo in hunc ordinem recurrente, regni augurium hoc ei fuit. Romanus Diogenes, Imperator adversus Azanem Sultanum expeditionem susceperat. Bryennius dux hostium multitudine pressus, ab Imperatore subsidium petebat. Imperator hostium potentiam ignorans. Bryennij formidinem reprehendit. Accidit autem, ut Sacerdos eo tempore Evangelium recitans, hæc verba casu legeret Joh XV. 20. *Si me persecuti fuerint, persequentur & vos.* Nec multò post cùm Nicephorus Basilacius, quem Bryennio cum parte copiarum subsidio miserat, tùm Imperator ipse, infelici pugna in hostium potestatem venerunt. Petri Bembi exemplum supra cap. 7. adductum vide.

§. 5. Frequentioris usus sunt sortes sacræ, quæ in evolutione S. Codicis sive Vet. sive N. Test. consistunt: eas consuluerunt jam pridem homines omnis generis, varijque status & ordinis, in rebus maximè dubijs suscipiendis, inquirendis rerum susceptarum eventibus, ut quid sibi in re gerenda pollicerentur, prosperi vel adversi, cognosceret. Ex Magistratu & statu regio aliquot habentur exempla: Imperator Andronicus Senior cum omnia adversus Andronicum juniorem, nepotem suum cœpta sua mira-

rabiliter in seipsum converti cerneret, dubitationum suarum explicationem quærenti, statim oblatus est iste Psalmi versus: Ps.LXVIII. 15. *Dum cœlestis dissociat reges, nive conspergentur in Selmon.* Unde cùm intellexisset omnia, quæ in illa perturbatione fierent, à Deo decreta esse, licet homines arcanas providentiæ rationes ignorarent, statim ad reconciliationem & pacta priora nepotem Andronicum provocavit, pacemque est sectatus. Chranni Chlotarij simile factum, vide supra c.7. §.7. Heraclius Imperator, referente Cedreno, rebus in Persida feliciter confectis, de hybernis deliberans apertis sacrosanctis Dei Evangeliis, invenit sibi mandari, ut in Albania hybernaret. Ludovicus, cognomine Divus vel Sanctus, Galliæ Rex, cum forte aliquando ex Psalmis Davidis preces ad Deum conciperet, & aliquis, qui pro reo quodam capitis criminis gratiam peteret, interveniisset, & Rex quasi aliud agens annuisset, mox verò incidisset in versiculum Ps.CVI.v.3. ubi dicitur: *Beati, qui faciunt justitiam omni tempore*, protinus revocari jussit eum, cui gratiam concesserat, eamque irritam fecit, memorabili edita sententia: *Principem, qui punire potest crimen, nec punit, non minus coram Deo reum esse, quam si id ipse perpetrasset; pietatis esse opus, non sævitiæ, justitiam facere.* Ex statu Ecclesiastico solenne erat olim, in eligendis presbyteris & episcopis h.m. S.Biblia consulere: In electione S. Martini Episcopi, inter Episcopos qui affuerant, præcipuè quidam, Defensor nomine, dicitur restitisse: unde animadversum est, graviter illum lectione pro-

prophetica tunc notatum. Nam cùm fortuito lector, cui legendi eo die officium erat, interclusus à populo defuisset, turbatis ministris, dum expectatur, qui non aderat, unus è circumstantibus assumto Psalterio, quem primum versum invenit, arripuit. Psalmus autem hic erat: *Ex ore infantium & lactantium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicos & defenſorem*, Pſ. VIII. 3. Quo lecto clamor populi tollitur, pars adversa confunditur. In electione Aniani, Episcopi Aurelianensis, cum varia electio populi fieret, aliquis eos paterno affectu castigans, eisdem dixit, si verò pastorem vultis electum à Domino, fratrem & compresbyterum meum Anianum noveritis constitui in meo loco. Atque ut idipsum divina electione clarescceret, cum triduanum jejunium, more Ecclesiastico, indixisset, brevibus & libris super altare positis, nec dum loquentem parvulum afferri præcepit, ut ipse brevia ab altari sublevaret. Tunc verò Christi operante virtute, cùm puer manum injeciſſet altari, mox ut breve tetigit, vox inconsueta novella verba prodidit, testeque populo proclamavit: Anianus, Anianus, Anianus, istius civitatis à Deo Pontifex est constitutus. Mox ut verba complevit, ætatis tempora lingua recognovit. Sed ut votis omnium fieret satis, aperto Psalterio versum, quem primum invenerunt legentes Pſ. LXV. 5. dixerunt: *Beatus, quem elegiſti* &c. Prolato quoque Apostolico codice, in primo repererunt sermone 1. Cor. III. 11. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere*, &c. Sed & in Evangelij

gelij pagina Matth. XVI. 18. hanc primam repererunt sententiam: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, &c. His ergò virtutum insignibus in Cathedra Aurelianensis Ecclesiæ sanctus institutus est Anianus, uti habetur in vita S. Anianni. Quam solennis fuerit electio ista per sortes, ex sequentibus apparet: In electionis historia de Alberto, Episcopo Leod. ita habetur: Cùm autem à duobus Episcopis ante Evangelium Missæ, sicut sancti patres sanxerunt, ordinandus in Episcopum Archiepiscopo præsentaretur, Archiepiscopus librum, qui erat ei oblatus, aperiens, in prima parte libri legit Marc. VI. 17. *Misit Herodes, Rex, & tenuit Johannem, & vinxit eum in carcerem.* Et postea sequitur Marc. VI. 27. *Et decollavit eum in carcere.* Statim Archiepiscopus fremens in semet ipsum spiritu contrito, quasi lachrymando intuens eum, dixit: *Fili accedens ad servitutem Dei, ito in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem, tu enim martyr es futurus.* Nec non ex hisce, ex Jacobo Petito: *Decanus, vel eo absente, Præsidens, promissa legens, indutus stola, aspergit aquam benedictam super Canonicum receptum, & à singulis secundum ordinem admittitur ad pacis osculum: deinde aperto codice Evangelico capite primi folij, quæ scripta reperit, & verba adnotantur, ad memoriam suæ receptionis.* Pariter in vita Consortiæ Virginis: *Si vultis pergamus ad Ecclesiam, agatur Missa, ponatur Evangelium super altare, & communi oratione præmissa, codice patefacto inspiciamus Domini voluntatem ex illo capitulo, quod primum occurret.* De promissis jejuniis & precationibus ex historia Chranni, supra allata, con-

constat. Hæ verò sortes per aperturam S. Codicis non tam electionis, quam prænotitiæ causa adhibebantur, ad inquirendum, quænam fata futura electum vel eligendum maneant? quod adductum exemplum testatur. In quem usum alij etiam quilibet homines extra electionem & actiones sacras modum hunc sortilegij observarunt. Gandulphus, Lanfranci in Cadonensi cœnobio auditor, cum condiscipuli ludendo dicerent: Experiamur evolutione librorum Evangelicorum, quis nostrum sit futurus Episcopus, quis Abbas? invenit locum Luc XII. 42. *Fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam:* alter locum; Matth. XXV. 21. *Serve bone & fidelis,* &c. *intra in gaudium Domini tui.* Tertio verò in locum minus gratum incidente, exortus est cachinnus; cujus causam ubi Lanfrancus Cantuarienſis, postea factus Episcopus, cognovit, Gandulfum Episcopum, alterum, Walterum nomine, Abbatem, tertium verò sordidæ artis hominem futurum prædixit. Cui expositioni paulo post eventus quoque respondit. Gallus Korn, monachus Franciscanus sub initia Lutheri, cùm gustum veræ religionis haberet, nec id dissimularet in concionibus suis, in odium fratrum incidit. Aperienti autem Cyprianum, occurrit dictum Apostoli: Denunciamus vobis fratres, in nomine Jesu Christi, ut vos subtrahatis ab omni fratre ambulante inordinatè. Perculsus hoc effato, cùm sensum illius ex Ambrosio didicisset, monasterium deseruit. Sic consilij loco usus est hujusmodi sortitione Hieron.

Car-

Cardanus Mediolanensis, de quo supra Cap. 7. §. 10. Palmarium in hisce exemplum est D. Augustini, quod de seipso refert, divina voce nimirum, ceu pueri cujusdam aut puellæ, sibi accinentis: Tolle lege, tolle lege; prolixior paulo est historia, & aliâs ubivis obvia, unde hic omittimus. Cujus exemplum singulare multos alios sanctos sc. fratres & religiosos monachos sequi gloriatur Jesuita Stengelius, quomodo S. suum Franciscum, in Augustini imitationem, inquisiviſſe scribit, quomodo Deo grate viveret? Immissum nimirum ejus menti per divinum oraculum: quod in apertione libri Evangelici aperiretur ei à Christo, quod Deo, in ipso & de ipso maximè foret acceptum. Oratione itaque cum multa devotione præmissa, sacrum Evangeliorum librum de altari sumtum, in S.S. Trinitatis nomine aperiri fecit per socium virum atque Deo devotum & sanctum. Sane cum in trina libri apertione semper passio Domini occurreret, intellexit vir Deo plenus, quod sicut Christum fuerat imitatus in actionibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus & doloribus passionis, antequam ex hoc mundo transiret. Geminum huic est, quod idem Jesuita de suo Jesuitarumque omnium Patriarcha, nequissimo primum milite, antequam Jesuita fieret, *à quo deinde tot conversionum milliones pependerunt*, recenset, quod eodem hoc sortilegio conversus fuerit. Nam cùm in lecto jacere cogeretur, essetque in profanis libris legendis multum temporis collocare solitus, aliquem ejusmodi librum sibi

sibi ad manum dari jussit, ut ejus lectione tempus falleret. Negantibus familiaribus, domi esse ejusmodi libros, duos Hispanicâ linguâ scriptos accepit, ne prorsus otiosus esset, quorum alter Christi Salvatoris nostri, alter sanctorum vitas continebat. Atque horum quidem librorum lectione sensim ejus animus immutari, & imitandi, quæ legebat, studio quodam affici videbatur.

§. 6. Præter causas istas S. paginam aperiendi, eadem sorte uti solent quandoque homines anxij, pressi angustijs & animi doloribus, quod Stengelius exemplo Gregorij Turonensis probat: Leudastes enim impius cum ejusdem farinæ socio Riculfo varijs Gregorium hunc machinis oppugnaverat, calumniose deferendo, tandem etiam ausus est Platonem Archidiaconum, & Gallienum, amicos ejus in vincula dare, cateniisque & calumnijs oneratos ad Reginam, mendacijs incensam, ablegare. Hæc audiens Gregorius, dum in domo Ecclesiæ resideret, mœstus turbatusque ingressus est, & Oratorium Davidici carminis sumsit librum, ut scilicet apertus aliquem consolationis versiculum daret: in quo ita repertum est: *Eduxit eos in spe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare.* Interea ingressis in fluvium super pontem, qui duobus lintribus tenebatur, navis illa, quæ Leudastem vehebat, demergitur; & nisi nandi fuisset adminiculo liberatus cum socijs forsit an interiisset. Navis vero alia, quæ huic annexa erat, quæ & vinctos vehebat, super aquas Dei auxilio elevatur. In hunc usum præ-

præter S. Biblia adhiberi solet libellus optimus Thomæ de Kempis, idque ut Stengelius ait, à multis pijs viris hodieque, tempore tentationis aut tribulationis, similiter aperiendo illum, & solatia ibi quærendo. Quod etiam vir doctissimus Martinus DelRio, in multis sincerus, testatur, scribens: *Sancti librum aperiebant, non ut de futuris certiores redderentur, sed ut consolatorium aliquid, vel exhortatorium in S. pagina reperirent, ut testatur ipsemet Gregorius: & sic solent hodie multi pij viri, cum tentantur, aperire libellum illum aureum Thomæ de Kempis, de contemtu mundi, eò quod semper aliquid in eo occurrat, quo roborari se & confirmari sentiunt, quod sane expers est superstitionis, &c.* Memini me, superstitionibus ex animo adversum, gravi ante aliquod annos laborantem calamitate, turbatum, & de omni ferè salute desperantem, aperuisse ejusdem Thomæ libellum, aperienti statim obvenisse ex lib. 3. c. 30. paragr. 4. *Noli putare, te relictum ex toto, quamvis ad tempus tibi miserim aliquam tribulationem*, &c. id in consolationis beneficium convertebam, memor, convenire hoc cum ipso Dei verbo, resque ipsa postmodum felici eventu confirmavit, sensusque gratiæ divinæ ad tempus interceptus, non multo post revixit. *Librum* enim *aliquem pium etiam sine jussu aut suasu divino aperire, & ex primo qui occurrit, versu, non futura & curiosa cognoscere, sed consolationem duntaxat aut doctrinam piam quærere velle, non est illicitum, sed piis hominibus utiliter consultum, etiamsi vel casu vel divino nutu reperiatur, quod revera eventurum est*, ut Stengelius loquitur. Durum contra telum in hunc sortitionis modum detorquetur à Martino Del

DelRio. *Huic vanitati gentilium (*ſcribens*) ſucceſſit apud Chriſtianos apertio Veteris & Novi Teſt. quam inſigni blaſphemia vocant ſortes Apoſtolorum: hac uſi fuere Heraclius Imperator apud Cedrenum: & Romanus Diogenes, apud Cuſpinianum: & Andronicus Senior apud Gregoram, l. 8. & Chramnus filius Regis Francorum, apud Gregorium Turonenſem, l. 4. hiſt. cap. 16. & 20. &. B. Theodora Alexandrina nondum bene catechiſata, apud Simeonem Metaphr. XI. ſeptembris. & Meroveus apud Greg. Turon. hiſt. Franc. l. 5. c. 14. ubi & alius ritus exprimitur: nam ponuntur tres codices Scripturæ S. ſuper S. Martini ſepulchro, & ſigillatim ſinguli aperiuntur: uſus hac denique Gundulphus, apud Ranulph. l. 7. polychron. c. 6. & ſui laudator facinoris Hieron. Cardanus, de varie. l. 14. damnata fuit hæc ſuperſtitio non uno concilio Eccleſiæ Catholicæ decretis.* Videnda hîc acta Concilij Agathenſ. & Aquiſgranenſ. nec non Antiſiodorani; quin & in conſtitutionibus fieri hujuſmodi ſortitiones prohibentur; iſta enim Lex traditur: *In tabulis vel codicibus ſorte futura non ſunt requirenda, aut nullus in Pſalterio vel Evangelio, vel in aliis rebus ſortiri præſumat, nec divinationes aliquas in aliquibus rebus obſervare. Quod ſi fecerit, XL. dies pœniteat.* Quem locum variè exponunt & legunt I. C. Optimum judicium videtur, quod extat in Epiſtola quadam ſive Hieronymi ſive Auguſtini, ſive cujuslibet alius, de celebratione Paſchæ: *Hi vero, qui de paginis Evangelicis ſortes legerunt, etſi optandum eſt, ut hoc potius faciant, quam ut ad dæmonia conſulenda concurrant: tamen etiam iſta mihi diſplicet conſuetudo, ad negotia ſecularia & ad vitæ hujus vanitatem, propter aliam vitam loquentia oracula divina*

velle convertere. Decreta & Canones Conciliorum de hac re infra cap. ult. adducentur.

§. 7. Dictum supra ex Berneggero, sortium istarum usum Rabbinis quoque frequentatum; atque alius quidam, *Hebræi*, non veretur scribere, *nil gravioris negotij inchoarunt, nisi sortito capererent ex S. Bibliis consilium.* Hujus rei vestigia habentur in tractatu Talmudico cholin, fol. 95. 2. ubi ajunt Gemaristæ, cum aliquis dixisset, se habere multos libros plenos quæstionum dubiarum; alter ei dicebat; *Habeo Doctorem aliquem Babeli, abibo ut visam eum,* & interrogabo; dicebatque puerulo cuidam, *Recense mihi versus tuos?* Respondebat. *Et Samuel mortuus est*: 1. Sam. XXVIII. Ex quo colligebat, Samuelem (Doctorem Babylonicum sic vocatum, quem adire volebat) mortuum esse, atq; eò abire omisit. ולא היה לו שכיב שמואל אלא כי היכי דלא ליטרח רבי יוחנן *verum non ita erat, non occubuerat Schemuel, sed hoc factum, ne R. Jochanan* (qui Babyloniam iturus erat) *eò abeundi molestiam susciperet.* Atque hunc modum divinandi & consulendi ajunt Doctores Hebræorum esse prohibitum, atque esse נחש, in sacris literis interdictum; si de negotio suscipiendo, vel suscepto perficiendo an intermittendo sortes consulerent. De re autem præterita licere h.m. divinare: claris hoc verbis R. Mose Majemonides in Jadh, tract. de idololatria, cap. 11. §. 5. proponit: מי שאמר דירה זו שבנית סימן טוב היתה עלי אשרה זו שנשאתי ובהמה זו שקניתי מבורכת היתה ומעת השקניתיה העשרתי וכן השואל לתינוק אי זה פסוק אתה לומד אם אמר לו פסוק מן הברכות ישמח ויאמר זה סימן טוב וכל אילו וכיוצא

וכיוצא בהן מותר הואיל ולא כיון מעשיו ולא נמנע מלעשות אלא עשה זה סימן לעצמו לדבר שכבר היה הרי זה מותר: *Si quis dixerit, habitaculum hoc, quod extruxi, signum felix tum erat super me: uxorem hanc cum duxissem, & pecus hoc cum emissem, benedictum est ex quo emi, ex quo tempore hæc mihi acquisivi, opibus sum auctus. Hoc etiam modo, si quis interrogat puerulum, quemnam versum tu discis? si respondeat atq; dicat versum ex benedictionibus, si propterea lætetur dicens: Hoc mihi omen bonum est; atq; omnia hæc, & similia, licita sunt, si nimirum non propterea opus suum intendat perficere, neq; etiam ideo ab opere coepto desistat: sed faciat hoc signum pro se ipso in re, quæ pridem facta est, tunc licet.* Ex quibus intelligitur dictum R. Schimeonis fil. Eleasar; בית תינוק ואשה אע"פ שאין נחש יש סימן: *Domus, puerulus, & uxor, & si non sint divinatio, sunt tamen signum:* atque hoc si ter confirmetur; vide R. Joseph ben Karo in Kesseph Mischnah. & animadversiones R. Abrah. ben David. nec non glossam R. Sal. ad locum Talmudicum. Confer Dionys. Voss. notas ad Majem. tractatum de Idolol. ad locum adductum: ubi addit, morem hunc divinandi & cæteris Magistris seu Rabbinis observatum: *volunt etenim Talmudici, postquam Prophetæ esse desierunt, sæpe pueros futura solitos prædicere, & esse vaticinium aliquod in versu hoc vel illo, quem è Scriptura protulissent.* Hinc est forte, quod Berneggerus ait, divinationem istam seu sortes sacras, sive per pueros sive alios administratas, *Rabbinorum curiositatem frequentasse.* Sæpius nimirum in Talmude & aliis vetustis Hæbræorum monumentis seu libris obvium Rabbinos in re dubia

hærentes aut disceptantes, abivisse in domum aut Synogogam, ut audirent, quid legeretur forte à Doctore? Et quod tunc lectum audiebant, pro omine & quasi responso captabant, unum quod jam ultro citroque occurrit in lectione Pesikta Rabbesi, pag. 3. col. 3. ex. gr. adjungam: Disputant ibi de authoritate doctrinarum Rabbinicarum, quas alij sublimè nimis attollebant etiam supra authoritatem S. Scripturæ, de alio ibidem referunt, nimirum, R. Chaja bar Abba, abivisse domum (sacram, seu Synagogam Judaicam) & audivisse quod tum legerent verba: ויסע משם אברהם: *Et emigravit inde Abraham*; hinc dixisse illum optimè docuisse sapientes, הוי זהיר בגחלתם שלא תכוה שנשיכתן נשיכת שועל ועקיצתן עקיצת עקרב ולחישתן לחישת שרף: *Admonitus esto de pruna illorum, ne uraris, quia morsus illorum est instar morsus vulpis, & punctura illorum est instar punctura scorpionis, & incantatio illorum instar incantationis presteris.* Confer Abhoth cap. 2. Sic ergo: *Et migravit inde Abraham*, ominosum fuit & admonitio de cavenda doctrina Magistrorum. Singulare in hunc usum caput habent ex Deuteronomio, canticum nimirum cygnæum Mosis, de quo in sequenti capite. Hoc existimat Dionys. Vossius, ex Hellenismo tractum, & non obscurè observasse se ait. Plutarchus enim lib. de Isid. & Osir: scribit Ægyptios putare, παιδάρια μαντικὴν δύναμιν ἔχειν, καὶ μάλιστα ταῖς τούτων ὀτεύεσθαι κληδόσι παιζόντων ἐν ἱεροῖς καὶ φθεγγομένων, ὅ, τι ἂν τύχωσι, *pueros facultate divinandi esse præditos, & maximè ominis loco accipi, si quid ij in templis ludentes forte pronuncient.* Superstitionē hanc inde

inde natam, quod Isis, quærens arcam, cui Osirin Typhon incluserat, cum ex exteris nihil rescisceret, tandem, quod vellet, ex pueris cognoverit, qui arcam natantem in flumine viderant. Tale fere Cicero, l. 2. de divin: refert, *cum*, inquiens, *M. Crassus exercitum Brundisij imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, Cauneas, clamitabat: Dicamus si placet, monitum ab eo Crassum, caveret, ne iret.* Est enim vox *Cauneas* idem ac *Cave ne eas*, quia veteres Romani V consonantem pronunciabant ut Germanicum W. Eò trahunt loca Jes. XXX. 21. Jud. VII. 11. Confer Edon Neuhus. sacr. fatid. l. 2. c. 31. ubi ex Plinio idem Cauneas refert.

CAP. XVI.

De

Sortibus Apostolorum, & de Ὀνομαντείᾳ,

§. I.

SOrtes Apostolorum vocantur, quibus eorundem vel nomina: vel patronatus exquiruntur; hîc verò eas tantummodo investigabimus, quæ circâ nomina vel imponenda vel exponenda consuluntur; ea sortilegij specie, qua vel Apostolorum, vel quorumvis Divorum patrocinium & tutela eligitur, ad peculiare caput reservata.

§. 2. Vulgo notum est, veteres admo-

dum attentos & curiosos fuisse in nominibus filiorum suorum, recens genitorum, vel imponendis, quibus scil. res illas, quæ tum temporis agebantur, & inprimis circa cardinem vel Ecclesiæ vel Reipubl. vertebantur, exprimerent, ut perpetua essent eorum temporum monumenta: vel in jam impositis interpretandis. Quod studium sequior ætas in superstitionem convertit, ut ex nominibus divinarent, unde ut auspicati ominis essent illa, atque felicia quæque portenterent, religiosè & curiosè impositionem nominum observarunt, variis in ea re usi quandoque ritibus. Ex luminum accensorum fato nomen auspicatum elegisse quosdam, non uni memoriæ prodiderunt, vide Th. Bartholini libell. de puerp. p. 151. ubi ex P. Lobbetio tradit, veteres nomina infantibus imposituros quasi vitam longiorem proli quærere, cereis accensis appendentes varia nomina, ea lege, ut nomen ejus cerei, qui diutius flammam sustinuisset, vitæ producendæ spe votoque infanti cederet. Quem antiquum ritum Chrysostomus designat in cap. 2. epist. 1. ad Corinthios, ubi scribit: *Nomen sancti alicujus imposituri, cereos complures accendebant, suum cuiq; nomen assignantes, atq; ejus demum, qui cereis extinctis supervixerat, nomen quasi longioris ævi accipientes, puero imponebant*; atque inde longam infantis futuram vitam divinasse, ibidem addit. Exempla plura referunt Berneggerus & Stengelius. Ille ex Georgio Pachymerio, Byzantinæ historiæ Scriptore non ignobili, at, ut Bernegg. subjungit, nondum in publicam lucem producto, sed luce tamen

men dignissimo. *Aliquot puellas Imperatori Andronico mors abripuit, postquam vix lucem aspexerant. Cum id ipsum de hac etiam adolescentula nascente metueretur, fœmina quædam experta simul & honesta, liberorum post partum servandarum consilium quoddam, quô multi feliciter usi fuerint, ei suppeditavit. Id erat ejusmodi: Duodecim Apostolorum imagines jubebat statui, cereosq; & longitudine & pondere æquales, ad unam quamq; imaginem collocatos simul accendi & super recens edito partu supplices psalmos decantari, precesq; continuari, usq; dum omnes illi cerei deflagrarint: & quidem, de cujus Apostoli cereo consumtis ceteris aliquid adhuc supereſſet, illius nomen infanti imponi, quippe cujus beneficio patrocinioq; superstes esset. Cum igitur hoc Imperatoris jussu tum fieret, accidit, ut Simonis Apostoli cereus, consumtis aliis, ad extremum duraret. Itaq; puellam ex ejus tanquam patroni servatorisq; nomine Simonidem appellavit; & diu superstitem, & Serviæ deniq; Crati desponsam.* Simile fere est, quod Stengelius habet: Anno nimirum 1208. *baptismate tinctus est primus Arragoniæ Rex, Iacobus, cujus mater cum dubia esset, quonam Apostolorum nomine filium suum deberet insignire, consilium cepit, sorti judicium vel indicium permittere. Duodecim itaq; curavit cereos fundi æquali pondere & magnitudine. Singulis cereis alicujus Apostoli nomen inscripsit, vel in scheda adjecit. Eos omnes pariter in honorem Apostolorum accendi jussit, addita conditione, ut cujus Apostoli cereus diutius arsurus esset, ejus nomen filius sortiretur. Diutius arsit cereus Iacobi. Indicatum est igitur, ex Dei voluntate vocandum esse Iacobum: quod & factum est:* neque sine emolumento, ut Iesuita addit; *nam hic postea Iacobus & regnum Hispaniæ, & re-*

ligionem Catholicam, & honorem D. Iacobi mirificè propagavit. Id verè est *nomen sortiri.* Similia exempla infra adducentur in cap. de electione patronorum per sortes: hæc enim duo, Apostolorum vel Divorum quorumlibet, & nomina & patrocinium seu tutelam sortitò eligere, in regno pontificio idololatria conjunxit; quod enim simplex superstitio & reli[illegible] primùm excogitavit, id postea impietas non Catholica idolomaniæ maculâ inquinavit.

§. 3. Altera ὀνομαντείας species est, quâ nominum propriorum significationes aut literarum elementa in auspicium aut omen trahuntur, ut nomen & omen conveniant: Cujus lusus potius quam sortitionis veræ modi varii sunt, boni interdum, sed quandoque etiam nugatorij, quin & impij, quos recensere non provinciæ meæ est. De divinatione ex nominibus hominum, bestiarum & locorum vide fusè agentem Edonem Neuhus: Sacr fatid. l. 2. cap. 31. Vulgo Pythagoræ tribuunt originem hujus superstitionis onomanticæ, qui in nominibus propriis vocalium numerum parem prosperum, imparem infelicem est interpretatus: aut numerum majorem literarum & syllabarum existimavit portendere superiorem quandam potestatem in eum, qui nomen pauciorum literarum haberet, *quasi idcirco Hector ab Achille sit superatus; Hectorq3 superior evasisset, si fuisset Achilles nominatus.* Quo referenda est species Cabalæ apud Hebræos, quâ leteras nominum resolvunt in numeros, alia deinde nomina numerô æqualia excogitant, ac sibi con-

bi convenire putant, cujus innumera exempla Baal hatturim exhibet per tota Biblia Hebraica. Vocatur iſte luſus ἀριθμαυλεία, cui ſi quæ vis & in fata hominis poteſtas attribuitur, verè nugatoria, ne dicam impia eſt. Vidiſſe ait ſe Stengelius homines non de plebe, qui ex nominibus fauſta infauſtave matrimonia ominabantur, dicentes, uter conjugum prius ſiet è vita diſceſſurus? *Quæ*, ait Stengelius, *eſt ſuperſtitioſa onomantia, à Græcis in nomine Aſtyanactis, & ab Auguſto in nomine Niconis obſervata. Quid ſi parentes alia nomina impoſuiſſent, tunc fortunam mutaſſent filiorum? Quod ſi ita eſt, obſervarent utiq; homines, quænam nomina ſint male ominata, quæ fortunam ſecundam afferentia, & ſtultiſſimi eſſent, ſi non omnes filios ſuos Victores, Victorinos, Valerios, & Alexandros potius quam Priamos appellarent:* Crudeliſſima ſane ſententia fuit Cardinalis Hiſpani, Ægidii Carvagliar, jura Romanæ Eccleſiæ in Italia reſarcientis, & Italiam ipſam m lis hominibus expurgantis: is cum dyſcolum aliquem ſceleſtumque examinaret, de nomine primum ſolitus eſt quærere; quod ſi infauſtum infameve ſentiret, puniri juſſit eum, qui fuerat examinandus. Ita cum neſcio quem interrogaret, quod tibi nomen bone vir eſt? illo reſpondente: Spazza croce (i.e. Verrens crucem) Et ego, inquit, te Spazzero la cervice (i.e. verram tibi cervicem) ſicque eum ſuffocari juſſit. Alterum reſpondentem, ſe nominari Bruſca Boſco: bene erit, ſed Boſco hora brugera te (ligna nunc te cremabunt) reſpondit, illumque ignibus tradidit cremandum. Tertio ſe di-

dicenti Beccha; bene bene, cibas, inquit, si bene becchasti: & mox flumine submergi mandavit, ut D. Wagenseil ex Dilherro, tom. 1. Dispur. & hic ex Marco Vigerio in decachordo Christiano, recenset, vide eundem D. Wagens: in Sotah p. 163. seqq. nec non p. 1103. ex quo nos, ut ad Hebraica revertamur, sequentem historiam transcribimus: Ajunt, *R. Mose Nachmanidem habuisse discipulum quendam: cui nomen erat R. Abner, eum dementia cepit, ut à judaica religione deficiens, profanam amplecteretur, quæ res ingentem dignitatem, fortunasq; amplissimas homini peperit. Advocato autem aliquando Nachmanide magistro, cum eo præsente inspectanteq; suis manibus porcum mactasset, & excoctum comedisset, quæsivit à Magistro quoties hoc facto excisionis pœnam incurreret? quater respondebat Magister. Sed ipse, quinquies reatum se contraxisse ajebat, atq; argumentis id evincere conabatur. Verùm Nachmanides torvè hominem aspectans, cum aliquid reverentiæ erga veterem præceptorem illi adhuc supereſſet, os ipsum compescere compulit. Mutato igitur sermone dicit R. Abner ad Nachmanidem:* memini me audivisse quondam ex te, cum prælegeres hymnum, quô Moses vale huic orbi dixit, contineri in ea ode nomina omnium, quotquot in hoc universo sunt rerum, omniumque mortalium. *Respondit Nachmanides:* agnosco me ita docuisse, idemque etiam nunc tueor: facito modo periculum ullius rei, & faxo vera me tradidisse deprehendas. *Hic vero petere R. Abner, ut suum nomen in Mosis Cantico expressum ostenderet. Secessit paululum Nachmanides, ad Deum preces fusurus, atq; vix agere cœperat, venit ei in mentem versus 26.*

illius

illius Cantici: אנירתי אפאיהם אשפיתה מאנוש זכרם angulatim profligabo eos, faciam, ut ceſſet à mortalibus memoria eorum. *Cujus dicti tertiam quamq; ſingularum vocum literam accipiendo, verè emergere deprehendit illud nomen,* ר׳אבנר, *quod quærebat, & ad diſcipulum id retulit. Perculſus vehementer caſu tam inſperato, R. Abner rogat Nachmanidem, num quis pœnitentiæ veniæq; locus ſupereſſet? Qui,* audiviſti, *inquit,* quid ipſa Scriptura tibi comminetur, nec habeo, quod addam. *Cum verò his dictis miſſum feciſſet diſcipulum, conjecit ſe iſte deſperabundus properè in navim, remige & gubernatore deſtitutam, ventoq; ac fluctibus ſe quocunq; gentium abducendi poteſtatem fecit, neq; ſanè conſtat, quid poſt eum diem de illo ſit factum.* Sive vera, ſive conficta iſta ſint, placere tamen ſibi fatetur D. Wagenſeil exemplum. Sic ergò omnibus ſuæ ſunt artes, & ludendi ingenia, Judæis, Gentilibus, Chriſtianis: Hebræis, Græcis, Latinis & Germanis.

§. 4. Nec omnino vanam eſſe ſortitionem illam, quæ ex Cantico hoc Cygnæo, Deut. 32. petitur, & quaſi ex urna trahitur, ſuo exemplo probat D. Wagenſeilius: *Cùm enim,* inquiens, *ante complures annos aliquando haud perfunctoriè eruditum Rabbinum quendam Viennenſem viſerem, vario ſermone inter reliqua ad id quoq; deveni, ut quærerem, num & ipſe idem, quod Nachmanides fecit, polliceri ſuſtineat, & an rei cujusq; nomen ex Moſis Cantico exſculpere ſe poſſe præſumeret?* Cumque id ſeriò recepiſſet, meum ego nomen hominem quærere juſſi propoſito præmio, ſi promiſſioni eſſet ſatisfacturus. Petiit triduì ſpatium ad deliberandum,

ſed

sed eo nondum exacto, accurrit ad me perquam lætus, ac ad vers. 12. Cantici Mosis monet ut respiciam; haberi enim ibi: יהוה בדד ינחנו, id est, *Deus solus ducet eum.* Ubi postremi vocabuli literas, si inter se permutem, tum habiturum me nomen meum proprium. Non poteram refragari, operâ suâ defunctum esse Rabbinum. Johannes enim est Hebræorum יוחנן, &c. quâ tam felici & exoptata sorte tracta, maximopere lætatus Vir Magnus, *Eja*, inquit.

Duc me Parens, celsíq; Dominator Poli
Quocunq; placuit, nulla parendi mora est,
Assum impiger.

Enimvero: Sanè duxit me hactenus Deus meus: Certè providentiæ ejus singularem curam expertus sum. Quod uti devota mente gratus agnosco, ita supplex eum precor, ne me segreget à se, ne deserat, sed ut ducat me porrò per salebrosas hujus orbis vias, deducatq; tandem ad æterna tabernacula, quo æternum rata sint promissa; יהוה בדד ינחנו, *ita faxit:* אמן אמן יהי רצון.

§. 5. Intellecto igitur, quàm felix auspicataque sors D. Wagenseilio ceciderit ex urna ista Mosaica, ilicò salivam movit mihi, ut similem inde educerem; evolvi ergo Canticum, legi attentè à versu uno ad alterum, usque dum venirem ad versum 26. inauspicatum illum, & mali ominis, R. Abnero fatalem atque funestum; quæsivi nomen meum, & infelici operâ inveni; contentum in vocibus אמרתי & מאנוש, expresse nimirum ibi est: מרתינוש, *Martinus.* Quid igitur? an R. Abneris modo percelli debuissem? an idem me

me fatum terreat? an desperationis naviculam inscendam, ad nescio quos Deos, ad quas Parcas vecturus? anne Deus dixit, se velle me, quod Martinus vocor, aut quosvis ita vocatos, ex angulis suis depulsos ex mortalium memoria ejicere, delere? Dij meliora! postquam ergò tam infeliciter mihi ciciderit sors ista, aliam consului, more veterum, qui non una sorte contenti, plerunque duas tresque, ceu oracula solicitarunt, ut rei essent certiores. Notum mihi erat Hebræorum pronunciatum: עיקר החיים ותמורת תלוי בשם האיש וגם המזל: *fundamentum vitæ mortisq; & quævis fortuna dependet à nomine viri.* Atque hoc felicius & auspicatius voto meo respondit: deprehendi enim nomen meum מרטינוס מאורי habere & literas & numeros vocum istarum: אמרת יי מצורי וגם, *Verbum Domini, ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, est munimentum meum & vexillum meum.* Satis hoc mihi erat estque adhuc pro munienda vita & omni fortuna mea adversus mortem & hostes omnes, ut nihil mihi timendum sit, Exod. XVII. 15. quandoquidem יהוה נסי, *Jehova, Jesus Christus, est vexillum meum.* Est mihi nomen meum certissimum & sacro-sanctum testimonium sacri baptismatis, quo infans in gratiosi fœderis æternum monumentum & munimentum fui nominatus, libroq; vitæ inscriptus, non ut à Deo abjiciar, aut ex memoria hominum extinguar; nec ex hac felicitatis parte dejici me unquam patiar, ita me Deus juvet.

§. 6. Pa-

§. 6. Palam igitur ex istis est, nullam prorsus virtutem aut vim inesse ὀνομαντείᾳ, vel nominibus ipsis, sed ludendi solummodo, bene optandi, apprecandi, devotè meditandi, ingeniique exercendi, occasionem inde apprehendi. Quanquam enim verum sit, nomina sæpissime conuenire rebus, quas significant: verum tamen & illud est, frequenter non convenire, & falli, qui ex significatione nominis firmiter concludere volunt, ut sexcentis exemplis firmari posset. Quid verò opus in re tam manifesta occupari? Et quis non cum D. Wagenseilio exhorrescat ad iniquissimam Caroli de Fabri, J. U. D. sententiam, *verum esse, quod nomen sit consequens rei, atq; expertissimos practicos crimina ipsas ideo quotidie hoc dictum in effectum deducere. Quippe à pulchro & currente nomine aut cognomine, illationem perfectam, aut optimam conjecturam arcessunt, supponuntq;: de informi verò & horrisono oppositum judicant & sentiunt, petendo inde præsumtionem animi perversi.* Quid si pius & impius uno eodemque vel nomine vel cognomine sint notati?

CAP.

CAP. XVII.

De

Ἀριθμαντεία seu sortitione per numeros, & literas alphabethi.

§. I.

NOn jam nostri operis est, integram de superstitione veterum circa numeros historiam contexere; qui ita superstitiosi erant, ut in consultatione aut sortium eligendarum numeratione certum & præfinitum numerum obnoxium fascino crederent, ut Schedius Syngr. secundo C. 44. scribit: quod præsertim apud Hebræos Cabalisticæ sapientiæ filij aut Magistri, apud Gentiles Philosophiæ Platonicæ cultores observarunt, de quo videndus Henr. Corn. Agr. à Nett. lib. 2. de Philos. occ. & Peucerus de Divin. cui curiositati Hebræa præsertim lingua obnoxia est, ejusque literarum elementa, puncta vocalia, apices, &c. earum enim forma in sede Dei, quæ cœlum est, siderum positione, primùm exarata dicitur; nam ad illorum siderum figuram literæ Hebrææ formatæ finguntur, unde Cœlestis Scriptura vocatur Scriptura Hebræorum, uti ex variis libris notum est; & Corn. Agr.

Agr. in libro cit. eandem exprimit, confer l. 3. c. 30. ejusdem. Magna ergò in literis mysteria latere credunt Cabalistæ, in quibus & numerus continetur; quia Hebræi non alios numerorum characteres quam ipsas literas habent. De qua re habet singularem speciem Cabala, Gematriam, vide Abbrev. Buxt. in גמ"ה. Non etiam instituti est nostri agere de numeris in lusu observatis, ex. gr. quando Suetonius in Augusto C. 71. eundem Augustum refert ad filiam scripsisse: *Misi tibi denarios ducentos quinquaginta, quos singulis convivis dederam, si vellent inter se inter cœnam vel talis vel par impar ludere.* Confer ibi Schildij notam, & alios qui spartam istam exornarunt. De numeris in talis in sortitione observatis, dictum est supra, ex eodem Suetonio, qui in Tiberio & alibi horum meminit. Hos ergò lusus nos suis linquimus cultoribus.

§. 2. Ad meliorem ergò sortitionem per numeros convertimur, quæ fit, quando certus aliquis numerus, nonus, decimus, vicesimus, tricesimus, &c. definitur & constituitur inter sortientes, & quem hic numerus tetigerit, illum sors caperet, vel in distribuendis officiis, vel laboribus & pensis, vel rebus seligendis, &c. Ejusmodi sortitio in populo Dei, ipso etiam Sacrario apud Sacerdotes quotidie frequentabatur, in caulis quoque, quando pecora decimabantur, quæ singula suis in locis studiosius exponam. Idem mos sortiendi vel ludendi à pueris puellisque usurpari solet, quando considentes in orbem vel gyrum, manibusque implicatis cohærentes

rentes ab uno aliquo temerè incipiunt numerare usq; ad numerũ destinatum; quem hic capit, sorte captus est & ad opus seu lusum incipiendum.

§. 3. Hæc verò sortitio facili industria à fraudulentis & rei hujus expertis in deceptionem convertitur, si quis neque angustia temporis exclusus, neque nimia numeri propositi multitudine præpeditus, supputandi artem exercere & versutiam ingenij adhibere potuerit. Recensetur vulgò exemplum in mari factum, quod verbis Edonis Neuhusij, ex lib. 2. c. 29. sacrorum fatid. huc transscribam: *Nauclerus quidam 30. in navem vectores susceperat; quorum 15. Christiani erant nominis, 15. Judæi. Coorta tempestate & intumescentibus in alto fluctibus, dimidia hominum parte levanda navis videbatur, nisi in profundum hauriri omnes vellent: sorti Arithmeticæ permittere fatalium capitum jacturam placuit, ut vectores nauclerus in circulum promiscuè sisteret, & tum facto, à quo vellet, initio numerandi, nonum quemq; ad projectionem destinaret, donec missi 15. in fluctus essent. Nauclerus prona in Christianum nomen gratia, paratissimo usus ingenio ita collocationem instituit, ut salvis beneficio sortis Christianis, nonus quisq; Judæus ad unum omnes in mare præcipites agerentur. Hoc verò illos ordine collocavit: quatuor Christianis quinq; apposuit Judæos; tum duobus Christianis unum Judæum; inde tribus Christianis unum Judæum; postea uni Christiano duos Judæos; hinc duobus Christianis tres Judæos; iterum uni Christiano duos Judæos; extremò duobus Christianis unum Judæum: numerandi verò initium sumsit à primo ex quatuor Christianis.* Alij aliter recensent, mutatis tantummodo personis, dicentes, fuisse

Ducem Christianum, qui tot milites, nimirum 15. Christianos & 15. Turcas in nave habuerit, coortaque maris intemperie h. m. collocasse; ut Turcæ omnes mari obruerentur, salvis Christianis, observata numerandi & collocandi ratione hoc versu indicatâ:

Populeam virgam mater Regina tenebat.

numeratio facta est secundum vocales, quarum *a* est 1. *e*, 2. *i*, 3. *o*, 4. *u*, 5 primò ergo posuit Christianos quatuor, secundùm *o* in po: deinde quinque Turcas, secundum *u*, in pu, &c. hoc nimirum modo & ordine: *OOOO IIII OO I OOO I O II OO III O II OO I.* Christiani notantur hic circulo, Turcæ verò lineola. Judæi verò artem istam callidam tribuunt celebri Doctori suo, R. AbenEsræ, uti aliquando legi in libello eorum, משלי חכמים dicto; historiam autem & Hebraicè & Germanicè, atque utrinque rythmicè enarrant; lubet eam hîc apponere ob elegantiam sc. & artem rythmorum; sunt enim quandoque seriis jocosa interponenda, ut animus à curis relaxetur: sic ibidem legitur p. 15. seq.

נמצא כתוב בזכרון המעשים אשר עשה החכם
אברהם בן עזרא ז"ל בימיו.
שפעם אחת עבר ארחת ימים.
והיו עמו חמשה עשר מתלמידיו.
וכן מספר חמשה עשר אנשים.
ריקים ופוחזים דהיינו בין הכל שלשים.
ויהי היום ויט הטיל רוח סערה גדולה בים והים
הולך וסוער.
והאניה חשוב להשבר.
ויצו רב הספינה להשליך את חצי העם אשר
בספינה אל הים להקל מעליהם.

וירא החכם אבן עזרא כי כן.
ויאמר טוב הדבר אשר דברת לעשות כי טוב
שנמרת חציינו.
משנמרת כולנו.
וזה הדבר אשר נעשה נפילה גורלות.
מי ומי ההולכים לטבוח בים.
וזה הדבר הגורל אשר נעשה יעמדו כל השלשי׳ איש
בשורה אחת.
ונתחיל לספור מן הראשון עד התשיעי.
ואותו התשיעי יושלך בים.
ונחזור חלילה עד שכל מי אשר ילכד במספר התשיעי
יושלך בים ויאותו האנשים לעשות כן.
ויאמרו אל חחכם אבן עזרא קום כי עליך הדבר
אתה תסדר אותנו כרצונך.
ויקם ויסדר השורה באופן שתמיד במספר התשיעי
נלכד אחד מן הריקים עד שתמו כלם מן
הספינה והתלמידים יצאו נקיים.
וזה הסדר אשר סדרם.
בראשונה העמיד ארבע תלמידים ואחר כך חמשה
ריקים.
ושני תלמידי׳ וריק אחד.
ושלשה תלמידים.
וריק אחד.
ותלמיד אחד.
ושני ריקים.
ושני תלמידים.
ושלשה ריקים.
ותלמיד אחד.
ושני ריקים ושני תלמידים.
וריק אחד.
כך העמיד אותם רבי אברהם בחכמתו:

Quos lepores poëticos cum melioribus & aptioribus leporibus reddere nemo possit, quam ipsi

Judæi, versionis loco apponemus eorundem rythmos Germanicos, quibus historiam hanc ibidem eleganter exprimunt:

Ich will euch sagen:
was da is geschehn in Eben Esra Tagen.
er wolt mit fünfzehn Talmidim zien über (meer,
also war sein beger.
ach von einem Aral geschlecht.
fünffzehen Landzknecht.
daß im Schiff waren dreissig Mann.
sie furen an.
es derhub sich ein Wind.
wie man gschriben find.
die einten thaten sich stercken.
sie gedachten sie müssen dertrincken/
von wegen ihre böse Wercken.
der schiffman sagt/wir müssen warlich badē.
denn mir haben das schiff thun überladen.
das Schiff geht hin und her.
mir müssen ein theil werffen in das Meer.
es is beser / mir dertrincken halb.
weder as da get die kuh mit dem kalb.
Es gfiel den Eben Esra wol die Wort/
er gedacht ich muß sen daß ich bschirm mein
Talmidim von dem mort.
mir weln werffen Goral under uns alen.
welcher ins meer muß falen.
der neunt muß ins Meer komen.
sa vorgeht dem Meer sein brumen.
aso sal es gen as langen.
man muß wider anfangen.
biß schiff werd halber ler.
denn der Last is zu schwer.

es

es gfil in wol die red von dem Mann.
welcher uns beser stelen kan.
as der Eben Esra mus uns stelen.
nach seinem wilen.
so wird sich das Meer stilen.
er gedacht / ich wil es machen recht.
daß ins Meer komen die Landsknecht.
aso tet er die Landsknecht abscheiden.
uñ kamen dervon sein Talmidim mit vreidē.
am ersten stelt er vier Talmidim in einer zeil.
fünff Landzknecht darvon ein meil.
zwey Schulkind.
ein Landzknecht as gschwind.
seiner Talmidim drei.
ein Landzknecht frei.
ein Talmid fein.
zwey Landzknecht in der Gmein.
zwen Studenten.
drei Landzknecht an gschenden.
Talmid ein.
zwei Lanzknecht nicht klein.
zwei seiner Schulkind.
ein Lanzknecht nun sind.

Ut verò vel Dux vel Nauclerus in sortitione seu symbolo vel regula usi sunt versu populeam virgam &c. sic Hebræi (ut Judæus aliquis non leviter doctus mihi dictabat) utuntur his vocibus: דויד המלך בא אל גבול אדמה ארנון בכרה בכידה גדולה אמר בני בני אבשלום: *Rex David ivit ad terminum agri Arnon, flens fletu magno, dicens: Fili mi, fili mi Absalom*: numera singularum vocum literas initiales, idemque numerus

rus exorietur, qui ex populeam virgam, eadem historia recensetur in alio libello Hebraico, cujus titulus: נבחר מעושר רב מר'פא לשון מכסף ומזהב דרכי נועם וכו'; ejus author משה ז' חביב: Moses fil. Chabhibh. ubi idem factum R. AbenEsræ adscribitur; numerorum autem seu sortitionis per numeros traditur hoc symbolum:

דרוש החכמה
באשר אטומה
גלויים אלה אטומה
בערכי בניים
גזרת אבנים
בר בבר אחרונים:

Similis ferè sortiendi inter capita damnata processus fit in decimatione, olim Romanis usitata: si enim sint triginta homines, quorum pars altera Christiani, altera Judæi vel Turcæ essent, supplicio quidem omnes obnoxij, at ex gratia dimidia pars salvanda, nimirum Christiani, posset Judex, Christianis benignus, hoc modo sortitionem instituere: 001000111100110000 101110110001: ubi 0 nota Christianorum capitum, 1 verò Gentilium. Aliter autem si alius numerus, ex. gr quadraginta, esset pœnæ vel mortis vel alius supplicij comdemnatorum nimirum hæc regula observanda: *Bella virum segnem non damnant, istane bella?* ubi iterum numerus vocalium attendendus, ut *a* sit 1; *e*, 2. *i*, 3. &c. qua arte callide usus dicitur Josephus, cum in antro quodam cum aliis 39. (ut omnium essent 40) Joppe in extremo vitæ periculo lateret. Videntes enim isti, spem salutis nullam superesse, con-

conveniunt in mutuam internecionem potius, quam ut hostibus vivos se permitterent. Josephus ergo, cui sortiendi arbitrium commissum, ita ingeniosè se sociosque collocabat, ut ex 40. viris solus ipse & alius quidam, quem præ cæteris amabat, vivi remanerent, reliquis, quos sors prehendit, mutuis vulneribus se interimentibus: se nimirum & amicum in locum constituit undecimum & duodecimũ. Sic Maximianus legionem totam Thebanam quæ Christiana erat, ducemq; Mauritium habebat, semel atque iterum decimatam, delevit, vide Pappi epitom. hist. Eccles. p. 135.

§. 4. Non multum ab hac sortilegij specie abludit sortitio per literas alphabethi: nam veteres sortitos fuisse per literas quasdam vocum initiales, supra jam notavimus, & infra quoque observabitur. Hic verò intelligo sortitionem per literas secundum ordinem alphabethi, ut h. m. essent pro numeris. Ita olim sortiti sunt Athenienses stationes decem in judicijs suis. Prima statio notata fuit litera α, secunda, literâ β, tertia γ, & sic deinceps usque ad κ. *Judices & suum & stationis nomen in pugillaribus scriptum habebant, & cum esset judicium instituendum, in forum omnes concedebant, & sortibus in urnam conjectis, qui sortitus erat literam α, ibat in eam stationem, quæ ea litera notabatur, cum β educebatur, eam occupabat fori conditionem, atq; deinceps*, ut Demsterus habet in paral. ad Ros. l. 9. vide infra c. 27. Alius ordo literarum erat, quando sortiebantur athletæ, quis cum quo pugnaret? tum enim in urnam mittebantur schedulæ, quibus inscriptæ erant literæ alphabethi, ita ut pro una litera sem-

per essent duæ schedulæ, quarum utraque habebat vel literam α, vel β vel aliam ex sequentibus, pro numero athletarum. Congressuri ergo trahebant schedulas, atque ijs, qui similes sortiebantur literas, erat confligendum, de quo infra c. 31. Alia iterum sortitio per literas fiebat in ἀλεκτρυομαχίᾳ, quæ à Mart. Del Rio ita describitur: *Quando definitus locus in partes æquales describitur, & unicuiq; singulæ alphabethi literæ inscribuntur, deinde singulis literis granum frumenti imponitur: postea ad hoc enutritus oscen gallinaceus introducitur, qui grana comedat. Deniq; notantur literæ, quarum primum grana depascitur v.g. literarum P. E. T. tunc creditur notari Petrus, Petronius, Petrucius, & quorum simili modo nomen inchoatur. Sic deceptus Valens Imper. de successore quærentibus philosophis: & quia Gallinaceus absumserat grana notata Θ. E. Ω. Δ. omnes occidi jussit Theodoros, Theodosios, Theodatos, Theodulos, &c. & tamen Magnus Theodosius in Imperio succesit.* De Geta, fercula secundum literas alphabethi apponi curante, vide infra c. 34.

CAP. XVIII.

De

Solennitate sortium per prævias preces & consultationem oraculorum.

§. 1.

UT hactenus visum, varia sunt fueruntque semper sortilegij genera, modi & ritus, pro varie-

varietate gentium, locorum, instrumentorum, personarum, &c. in primis etiam discrepant ratione objectorum & rerum, sorti subjectarum; nam aliæ circumstantiæ observantur circa res ludicras & exigui momenti; aliæ circa res graves, salutares & gloriam Nominis Divini Ecclesiæq; emolumentum concernentes. Majori ergò hæ religione & solennitate peraguntur, quam illæ. Sunt autem in primis duo ritus, qui in sortitione solenni adhibebantur, precatio & consultatio Oraculi, quas duas actiones sortibus solennibus adjunctas, hîc considerare ab instituto nostro non alienum duxi.

§. 2. Sortes non sine debita reverentia aut precibus ad Deum devotè factis esse adhibendas, exempla Sanctorum patrum & religiosorum hominum ipsaque insuper ratio recta suadent; solent enim, quæ sorte dantur, divinitus dari, & quod sorte legitur, humano judicio non comprehenditur, idcircò decentissimum est, ut quæ divina sunt, divina oratione studeamus impetrare, ut Divi Patres Augustinus & Ambrosius judicant. Fidelissimus Abrahami servus in Mesopotamiam ad quærendam Isaaco sponsam missus, & sorte usurus, ita precatur: *Domine, Deus Domini mei Abrahami, occurre obsecro, &c.* pòst sortilegium aliquod proponit, Deum precatus; ut illud voluntate sua confirmet. Gen. XXIV. 2. seqq. de quo exemplo infra plura dicentur. Pariter Saul Rex sortiturus Deum invocat, ut recta fieri concedat, 1. Sam. XIV. 41. vide etiam infra. Apostoli collegam novum vice collegæ perditi sortitò electuri, Deum

conjunctis precibus adorant, ut sortes ad divinum nutum cadant; *Tu Domine*, ajunt, *qui corda omnium nosti, ostende, quem eligeris, ex his duobus unum.* Autumat Stengelius, Petrum nomine omnium orationem peregisse, atque ad hoc exemplum inprimis idem faciendum esse monet, in electione Pastorum & Prælatorum; *Certe, quisquis scit, quam nihil ex nobis ipsis sine divina gratia possimus, multò magis orabit, ut sortes, quæ non sunt in nostra potestate, à Deo temperentur.* Quam solennis ritus fuerit precandi & sacrificandi in sortitione, historia cultus Levitici aperte monstrat; inprimis festo Expiationum, quo duo hirci sorte dividebantur, quorum alter Deo, alter Asaseli cecidit; de quo actu solenni infra agetur. Similiter quando terra sancta sorte fuit distributa, magna id reverentia factum, uti patet ex Jos. XIV. 2. seqq. & cap. XVIII. 6. seqq. quod & ipsum suo loco fusius explicabitur. Ita antequam Josua sorte sacrilegum inquireret, & auctorem inflictæ cladis, sanctificandus erat populus Israël, Deoque sistendus, Jos. VII. 12. seqq. quæ similiter exquisitius infra tractabuntur. Pari modo solenni celebritate coram Deo ipso administrata fuit sortitio, quâ Rex populo Israël erat præficiendus, 1. Sam. X. 19. seqq. Confer Jon. I. 6. 7. ubi quanta devotione & pietate ante & post sortes jactas nautæ Joppenses usi fuerint, recensetur, atque inde intelligitur, exteros etiam ante sortem orasse. Si Romani periculosis temporibus sortes consuluerunt, non sine votis precibusque factum; prisco enim instituto apud illos rebus divinis opera datur: *Cum aliquid commendandum*

dum est, precatione: cum exposcendum, voto: cum solvendum, gratulatione: cum inquirendum, vel extis vel sortibus impertito: cum solenni ritu peragendum, sacrificio, ut Val. Max. l. 1. c. 1. tradit. Hinc Cicero sæpius in scriptis suis, præsertim orat. 4. & 5. in Verrem vocat *sortis* vel *sortium religionem*: quam religiose enim sortes Prænestinæ, Lyciæ, Deliæ, Antiatinæ, Cereatinæ, &c. fuerint cultæ & tractatæ, ex ijs, quæ supra cap. 4. diximus, patere potest. Pertinet huc, quod quandoque urna, ex qua sortes trahebantur, Dijs sacrificata memoratur, ut ex Virgilio colligo, qui libro 6. Æn. de Dædalo ita canit:

Redditus his primum terris, tibi, Phœbe, sacravit
Remigium alarum, posuitq; immania templa.
In foribus lethum Androgeo; tum pendere pœnas
Cecropidæ jussi (miserum!) septena quotannis
Corpora natorum: stat ductis sortibus urna.

ubi Servius est varius in exponenda urna hac stante: placet autem ceu toti fabulæ conveniens nota Farnabij, ita se habens: *Filij Minois, quem in certaminibus victorem per invidiam interfecerunt Athenienses: hos itaq; bello attritos coëgit Minos quotannis (ut alij, nono quovis anno) mittere septem mares, & totidem fœminas, Minotauro devorandos, atq; hos sorte ductos.* Sic enim antiqui solebant instrumenta artis suæ, aut alia insignis alicujus operis vasa, Deo dicare & consecrare, cui se salutem, victoriam, & quodvis vase illo comparatum beneficium debere putarunt, atque hoc ritu solenniter profitebantur, instrumenta illa ceu æterna monumenta suspendentes. Ut ad preces redeam, illæ ante sortitionem

nem in castris quoque usurpari solebant antiquitus, cujus rei exempla supra vidimus in castris Trojanorum & Græcorum: domesticum autem subministrat Plautus in Casina, act. 2. scen. 5.

OL. *Quid si sors aliter, quam voles, evenerit?*

St. *Benedice. DIs sum fretus: Deos sperabimus.*

& scen. 6.

Ch. *Quod bonum atq; fortunatum sit mihi, tuum magnum malum:*

iterum ibid.

O. *Taceo, Deosq; quæso;* Ch. *tu ut quidem hodie canem & furcam feras,* &c.

unde ut preces essent efficaciores, pietate opus erat sortienti, ut ibidem Plautus:

O. *Tibi quidem edepol eveniet (sors) novi pietatem tuam.*

& mox ibidem:

O. *Pietate factum est mea, atq; majorum meum.*

vide supra cap. 4. plura in hanc rem adducta: atque id in N. Test. à Christianis observatum, crebra docent exempla.

§. 3. Altera actio, sortitionem sæpissime, præsertim in rebus arduis concomitans, erat consultatio Oraculi, tam apud Hebræum, quam exteros populos usitata. Pro oraculo autem serviebat arca fœderis, pectorale, & præprimis urim & thummim: confer Num. XXVI. 54. seqq. & aliquot capita ex libro Josuæ, maximè cap. VII. 12. seqq. id factum putant in electione Regis Saul, 1. Sam. X. 19. seqq. de quibus infra plenius. Confer Dissert. Buxt. de Urim & thummim. Notum est cuilibet in sacra historia versanti, Cœleste Numen

men singulari facilitate populo suo adfuisse, benevolentiamque suam quamplurimis externis signis exhibuisse, adeò ut inde audaces facti fuerint quidvis à Deo suo postulandi, non contenti sæpe uno voluntatis Divinæ testimonio, duo, tria, aut plura petentes, ut rei desideratæ essent certiores. Sic servus Abraham multas circumstantias & conditiones denominat, quibus Deus futuram Isaaci sponsam manifestare velit: confer exemplum Gideonis. Hac igitur ratione Deus Israëlitis respondebat non per sortes tantum, sed juxta illas etiam per urim & thummim, ut tutissimi essent de certitudine responsi, quomodo Moses non uno miraculo vocationis & libertationis Israëlitarum ex Ægypto fuit redditus certior. Quid vero fuerint urim & th. & quomodo responsa per eadem fuerint reddita, disceptatum est hucusque inter doctos, diversissimis sententijs, estque res non expediti laboris. Nos brevi digressiuncula quid de oraculo illo sentiamus, aperturi sumus, nam fusius argumentum hoc in opere vestiario sumus persecuti.

§. 4. Tradunt rerum antiquarum scriptores, Diodorus Siculus & Ælianus, Judices Ægyptiorum antiquitus gessisse in pectore de collo pendentem bullam quandam ex pretiosis gemmis confectam, quam vocabant *Imaginem Veritatis*, seu *Veritatem*; eamque pro tribunali sedentes partibus litigantibus applicasse, atque sic veritatem seu justitiam fuisse manifestam. Ejusmodi Judex erat Moses quoque, in omni Ægyptiorum sapientia educatus: ergo & ipse hujusmodi imagi-

nem

nem ex avito instituto gestavit in pectore, tunc inprimis ea usus, quando inter partes litigantes jus erat ei dicendum: tum enim accedebant illum, ut & alij, qui consilium in rebus gravibus à Deo petebant, Exod. XVIII. 15. erat autem tum temporis apud Ægyptios alioſque Orientales consuetum, ut qui Judex erat, esset simul Sacerdos. Postea verò, quam Israëlitæ ex Ægypto erant liberati, Deus plurimos ritus priscos immutavit, proprium & sibi acceptum cultum instaurans: tum & hoc factum, ut duo officia, judiciale & sacerdotale in duos distinguerentur ordines, inque duas distribuerentur personas, Mosen & Aaronem; quorum ille retinebat officium forense, hic fungeretur sacro; quapropter huic etiam insignia sumi sacerdotij fuerunt permissa, Exod. XXVIII. 30. *Intra pectorale immittas urim & thummim, ut sint super corde Aaronis*, &c. *atq; ipse* (Aaron) *portabit judicia filiorum Israël in suo pectore.* q. d. in posterum Urim & th. in Aaronis & cujusvis succedentis Pontificis pectorale gestentur, quæ hactenus in tuo, Mose, pectore fuerunt. ubi observandum, quod Exod. 28. dicitur: *Et indas in pectorale Urim & thummim*, Levit. VIII. 8. dici ita: *Et induit Moses Aaroni pectorale, & in pectorale indidit Urim & thummim:* erat enim pectorale duplicatum, Exod. XXVIII. 16. Moses ergo urim & thummim, oraculi Divini instrumentum, de suo pectore transplantavit in pectus Aaronis. Divinum verò hoc oraculum responsa dabat externo splendore gemmarum, quem & interius antiquum Urim & th. & exterius pectorale novum Aaronicum virtute Divina

Divina fundebat: erant enim hæ gemmæ pectorales quasi novum Urim & thummim, aut cum veteri Mosaico coalitum in unum, ut tam gemma veteris Urim & th. quam gemmæ Aaronici pectoralis colluceſcerent ad aperiendam veritatem: à quo ſplendore ſimul & munere ejus vocatur *Urim & thummim*, i. e. lucentia & recta: q.d. ſi lucent, recta quoque ſunt, quomodo ſæpe in S. Scriptura conjungitur *Lux & veritas*. Confer Pſal. XLIII. 3. ſi cauſa aliqua inter partes controverſa, & judicio humano imperſcrutabilis ad oraculum hoc deferebatur, ſplendore vel emiſſo vel denegato, bonitatem vel malitiam cauſæ denotabat. Confer 1. Sam. XXVIII. 6. ſic in reddendis oraculis ſplendor Urim & th certiſſimum erat & gratiæ divinæ, & dati reſponſi indicium. Quæ ſententia quanquam à nemine hactenus, quantum novi, quoad ſubſtantiam τῶν Urim & th. ſit aſſerta, quia tamen & ipſi S. hiſtoriæ, & veterum Judicum Ægyptiorum ritibus ſit conformis, ita mentem meam occupavit, ut vix credam quicquam ſolidi contra eam poſſe efformari. Quoad ſplendorem quidem plurimi ſunt conſentanei, inter quos & Stengelius, *ſi Deus*, ſcribens, *quidpiam ſuadere aut approbare volebat, externo atq; inuſitato quodam lapidum ſplendore internaq; luce menti Sacerdotis infuſa, reſpondebat*: & forſan ad hujuſce oraculi rationem accommodata eſt fabula, quam idem Stengelius ex Gregorio Turonenſi refert, de gemma quadam ex tribus guttis divinitus concreta, à Pontifice cruci, ex ſolido optimoque auro fabricatæ indita; quæ ſi adorata fuerit ab homine immuni

muni à peccato, prorsus clara apparuerit, atque si ad eam aliquid delatum fuerit criminis, obscurata sit, miramque præbuerit discretionem inter innocentem & noxium, cum uni atra, alteri splendida fuerit exhibita: quod factum (vel fictum potius) cum urbs Vasatensis dura obsidione Regis Gauserici liberaretur.

§. 5. Sed multò plura exempla suppeditat historia extera, de oraculis juxta sortes consultis, ut quidam existiment, sortes apud Poetas quandoque sumi pro oraculis: & quidem sæpius sortes ipsas pro oraculis usurpatas fuisse, manifestum est; docetque Demsterus ad cap. 7. lib. 2. Rosin. *quædam vaticinia*, inquit, *per sortes agebantur, id est, talis conjectis in mensam, cujus rei forma hujusmodi præscripta est, apud Pindari Scholiasten, ad oden 4. Pythior.* ἐὰν βάλλοντος μὲ τόδε ἀναδῇ, ἀποτελεσθήσεται τόδε, εἰδὲ μὴ, οὐκ ἀποτελεσθήσεται, *si me jaciente hoc ceciderit, eveniet, sin minus, non eveniet*: quæ vero ad sortes Herculeas pertinent, vide supra c. 10. ubi etiam verba Ciceronis adducuntur de æquatis sortibus, quæ similiter sortes Herculeas respiciunt, quamvis & alia ratio fuerit æquatarum sortium, Prænestinarum nempe, de quibus ex Cicerone supra jam aliqua adduximus. *Numerius* enim *Suffius illarum inventer disposuerat eas in excavatam columnam, unde quotannis Calend. Januarij magna celebritate eximebantur, eâq; qua eductæ erant, serie conjunctæ integra responsa absolvebant, quæ oraculi vim habere putabantur.* De sortibus oraculi Dodonæi, in vasculo quodam repositis, vide verba Ciceronis, de Divin. lib. 1. ubi de maximo portento Spartiatis facto, cum oraculum

à Jove

à Jove Dodonæo petiviſſent, de victoria ſciſcitantes, memorat. De hujuſmodi ſortibus, quibus operâ variorum inſtrumentorum oracula reddita, plura jam dicta ſunt, cap. 10. & c. 15. dicenturque infra de divinatorijs ſortibus, & conſultorijs, unde conſtat, ſæpiſſime authores veteres ſortes nominando intelligere oracula per ſortes facta. Hoc modo Tiberio tali in fontem projecti, alijs ſortes poeticæ, ſacræ, Apoſtolicæ, Joppenſibus nautis ſibi conſuetæ, oraculum erant. Sed quia hujuſmodi ſortes plerunque erant ambiguæ & obſcuræ, ſacerdotes illas, ceu interpretes Divini ſæpe per carmina exponebant: unde crebrò occurrit, ſortes & oracula fuiſſe cantata; ut Horatius de arte poetica: *Dictæ per carmina ſortes*, quod ad Apollinis oraculum referunt, verſibus Heroicis editum. Sic Claudianus lib. 2. in Ruffinum:

Has canit ambages, occulto fallitur ille
Omine.

Illi ergo vates ſimul & ſortilegi vocabantur, ut idem Horatius de arte poetica innuit: *Divina futuri*
Sortilegis non diſcrepuit ſententia Delphis.

Ovid. l. 2. Faſtorum:

Conſulitur Phœbus; ſors eſt ita reddita: Matri
Qui dederit primus oſcula victor erit.

Hiſtoriam plenius vide apud Liv. dec. 1. lib. 1 qui ubique in libris ſuis hac voce ita utitur, præcipue dec. 1. lib. 5. Val. Max. l. 1. c. 6. ſimile refert, *ſubito lacum Albanum, neq; cœleſtibus auctum imbribus neq; inundatione ullius amnis adjutum, ſolitum ſtagni modum exceſſiſſe: cujus rei explorandæ gratia legati ad*

Delphicum oraculum missi, retulerunt. præcipi sortibus, ut aquam ejus lacus emissam per agros diffunderent: sic enim Vejos in potestatem populi Romani venturos. Virgil. l. 4 Æn.

Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo,
Italiam Lyciæ jussere capessere sortes.

Suetonius cap. 1. in Domitiano: *Præneſtia fortuna lato imperij ſpatio annum novum commendanti latam eandemq; ſemper ſortem dare aſſueta, extremo triſtiſſimam reddidit.* Non tamen affirmaverim, omnia oracula per sortes, vel etiam semper sortes penes oracula, vel etiam seorsim sine aliis oraculis fuisse consultas: varii enim consulendorum oraculorum & redditorum responsorum fuerunt modi, unde vocabulum sortes quandoque generaliter accipitur, vel ambigue; sic Virgil. l. 6. Æn.

Hic ego namq; tuas sortes arcanaq; fata
Dicta meæ genti ponam.

& lib. 7. Æn.

Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem.

Et paulo post:

Est mihi nata, viro gentis quam jungere nostræ
Non patriæ ex adyto sortes, non plurima Cœlo
Monstra sinunt.

Sic Val. Max. l. 1. Cap. 1. in verbis superius modo §. 2. allegatis: *prisco, &c.* Sueton. in Vespasiano c. 5. *Apud Iudæam Carmeli Dei oraculum consulentem ita confirmavere sortes, ut quicquid cogitaret volveretq; animo, quantumlibet magnum, id esse proventurum pollicerentur.* Verum nihil opus est his æquivocis, cum passim in historia extera occurrat, sortes penes alia oraculorum genera fuisse consultas, qui so-

solum Livium legerit, ultro assentietur, magisque confirmabitur, si ritus populi Iudaici contulerit.

CAP. XIX.

De Divisione sortium & usu.

§. I.

MUltivariàm sortes distingui solent, pro varietate causarum; præcipua autem sortesque omnes comprehendens, distinctio est, quæ petitur ex usu triplici, dividendi, consulendi, & divinandi: unde distinctio vulgaris in sortes divisorias, consultorias & divinatorias nata; quam tenet etiam Stengelius in libello suo de sortilegio, & sane, quicquid in tota sortium historia obvenit, ad unum aliquod horum generum commode reducitur. Quandoque tamen latius uti solent vocabulis his, ut confundant iterum eas, quas ipsi dederunt distinctas sortium species; quomodo Stengelius sortem divisoriam extendit paulo liberius in præfatione scribens: *Cum aliquid fit, ut ejus eventu considerato aliquid occultum innotescat* (divisoria sors dicitur.) *Quare si indagetur judicio sortium, quid cui sit exhibendum, sive illud sit res possessa, sive sit honor, seu dignitas seu pœna, aut ratio aliqua, vocatur sors divisoria*: atque hanc distinguit in Civilem & Ecclesiasticam. *Sors* inquit, *divisoria politica, civilis, licita, & utilis, ac aliquando pene necessaria*

cessaria est. Licita, quia jure ac probis legibus recepta, & consuetudine optimarum Rerump. confirmata est. Hac forte usi sunt Romani (& Siculi, Atbenienses secuti) in judicibus legendis, provinciisq; assignandis, item in hereiscunda familia, in militia, & cum dubium esset, qui primi caussam in jure dicere deberent, aut cum de optione pluribus relicta, de hæreditate, & bonis dividendis, de servis manumittendis ageretur. Quæ omnia permittunt jura civilia, idcirco dixi, sortem divisoriam civilem licitam. Nam constat, nunc plane in Ecclesiasticis beneficiis dignitatibus, ac Episcopo eligendo, sortis usum perpetuo esse prohibitum. Sic toti disputationi inter Gisb. Voëtium & Thom. Gatakerum de distinctione sortium inter divisoriam, consultoriam, & divinatoriam, an legitima sit, hoc modo consulitur, si dicatur, terminos istos sumi vel late vel stricte: illi enim, qui distinctionem hanc tradunt & defendunt, in rigore accipiunt vocabula, intuentes rerum, sorti subjectarum conditionem; eæ enim sunt vel res naturales dividendæ in partes aut inter personas; vel actiones morales, officia, honores; vel res futuræ, quarum eventus dubius inquiritur. Hanc distinctionem damnat Gatakerus & in Voëtio refutat; *Sortes*, inquit *divisoriæ à consultoriis parum commodè distinguuntur. Quid est enim aliud sortem adhibere, cum dubitamus, cui aliquid sit adjudicandum, quam eandem adhibere, quando inquiritur, quid in rebus ambiguis judicandum aut faciendum? quid est enim dubitare nisi ambigere? quid alicui aliquid adjudicare, nisi aliquid judicare & facere? Male sortes consultoriæ à Divinatoriis dispescuntur, cum sub istis & illæ comprehendantur. Divina-*

a

vinatoriæ ad futurorum (de quibus & consultoriæ quærunt) prænotionem perperam restringuntur: Cùm latius multò pateant istis subjecta. Quæ vero facile solvuntur, si dicatur, habere omnino sortes divisorias, & consultorias & divinatorias conceptum & rationem aliquam communem; at ut quodlibet genus dispescitur in certas species, sic & hic se res habet; in rebus enim dubiis & ambiguis consulere & certam determinationem per medium aliquod inquirere, omni sortitioni convenit: at res eædem dubiæ sunt vel bona & res naturales possidendæ: vel actiones & functiones peragendæ; vel rerum futurarum eventus, felix aut infelix. Si nullum inter has res discrimen, sortium quoque tradita distinctio explodenda. Quis vero neget res naturales, bona, hæreditates, &c. discerni ab officiis & actionibus suscipiendis? & has utrasque iterum a rerum futurarum eventu? annon res naturales dividuntur in partes, & hæ deinde divisæ sorte distribuuntur in personas hominum? officium verò integrum sorte cadit in unam personam; toto vero cœlo distat eventus rei futuræ sorte cognoscendus.

§. 2. Salva ergo trina distinctione sortium, Divisoriæ usum dicimus esse longe frequentissimum apud omnes gentes, fuisseque jam antiquissimum. Eô enim dividebatur terra promissa ipsius cælestis Numinis jussu, ut infra suo loco plenius recensebo. Ægyptios constat, quos quisque coleret agros, viritim inter se sortibus divisisse, teste Stengelio. Id etiam Græcis

solenne erat, ut colonias sorte distribuerent, quas, ut & gentes, in colonias missas vocabant κληρεχίους, eum verò qui distributioni huic præerat, κλήρεχον, quo nomine etiam colonum appellarunt, eum scil. qui coloniam quandam, sortitus erat. Sic Præfecti post mortem Alexandri M. regna sorte inter se diviserunt, de quo infra, ubi de provinciis distributis sermo erit. Pariter populus Israël urbem Jerusalem & cæteras urbes sorte dividebant in habitacula Neh. XI. 1. Sorti quoque divisoriæ communissime subijciuntur hæreditates, ut divisio illarum majori inter hæredes & fratres concordia expediretur: *sors* enim *submovet contentionem, & inter fortes dirimit*, Prov. XVIII. 18. seu ut Munsterus reddit: *Dissensiones quiescere facit sors, & inter fortiter renitentes dividit*, h. e. qui utrinque pertinaces sunt componitur causa eorum per sortis projectionem. Communiter exponunt de pertinaci lite inter fratres, qua in se invehuntur irati, & incitati amore hæreditatis & contentione æmula qualibet: tum frater à fratre injuria affectus fortior est & durior urbe munitissima & insuperabili: contentiones & dissensiones eorum sunt instar repaguli palatij, ut sequens vers. 19. habet. ad quem R. AbenEsra notat: כלומר ובין עצומים וחזקים יפריד הגורל שלא ילחמו ואבילו יהיה אח יותר מקריב עוז הפושעים במלכם כענין תפשע לבנה ומדיני האח יהיו כעוז בריח ארמון הגורל יפריד ביניהם ואמר אח כי רוב התגרות הם על נחלת האחים, *Sensus est, & inter fortes & validos dirimit sors, ne adversus se pugnent, & quamvis frater magis fuerit offensus, quam urbs muni-*

ta-

ta contra regem ſuum rebellantium (ut vox hæc in iſto ſenſu ſumitur 2. Reg. VIII. 22. תפשע, *defecit Libnah) & quamvis contentiones fratris eſſent ſicut fortiſſimum repagulum palatij, ſors tamen dirimit inter illos. Nominat autem fratrem, quia plerumq; rixæ oriuntur ſuper hæreditate fratrum* Sic D. Dannhauerus problem. 1. de ſort: *Inter robuſtos, potentes, qui ſibi invicem cedere nolunt, juxta proverb. German.* Zwen harte Stein mahlen ſelten rein. Vult ergo rex ſapiens prædicare vim & efficaciam ſeu potentiam ſortium, etiam potentiſſimorum iras & rixas acerbiſſimas mitigantium, quas alias vix quispiam Judex, imo acerrimum bellum componeret.

§. 3. Eundem uſum diviſorium habent ſortes in caſtris quoq; in dividenda nimirum præda, ut indicat Virgilius l. 9. Æn. ubi Aſcanius ad Niſum:

Si verò capere Italiam ſceptrisq; potiri
Contigerit victori, & præda ducere ſortem.

Sic hoſtes Iſraëlitarum ſortem projecerunt ſuper captis Judæis, ut eos inter ſe dividerent. Joel III. 3. *Et ſuper populo meo projecerunt ſortem:* היו משליכים גורל בעיחם על ישראל זה יהיה שלך וזה יהיה שלי: *projiciebant inter ſe ſortem, ſuper Iſraelitis* (dicendo) *hic erit meus, & iſte tuus,* ut R. D. Kimchi annotat. Ita Edomitæ ſuper Jeruſalem civitate, à Nebucadnezare capta, projiciebant ſortem, quomodo illam inter ſe diſtribuerent, vel captivos ejus urbis cives, Obad v. 11 *Et ſuper Jeruſalem projicerunt ſortem,* כי' חשליכו גורל על שבי ירושלם בחלקם אותו שרי חיל האויבים: *projecerunt enim ſortem ſuper captivis Jeruſalem, cum illam dividerent duces exercitus hoſtilis,* ut iterum R. D. K. habet. Eodem modo Nah. III. 10. de Ni-

nive, civitate ab hoste capta, dicit DEus per Prophetam: *Et super honoratis ejus proijcient sortem.* In quo casu tamen ut alii aliâs, Duces quoque Imperatores quandoque ex jure dominij & authoritatis, si vellent, sibi partem aliquam reservabant ex præda quomodo Ascanius d. l. statim post adducta verba ad Nisum, promittit ei, si Patrem reduceret, spolia hostium in præmium:

Vidisti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus, ipsum illum clypeum, cristasq; rubentes
Excipiam sorti, jam nunc tua præmia Nise, &c.

i. e. *præter sortem dabo*, ut Servius notat. q. d. hæc non in sortes capiantur, ex quibus tu Nise etiam partem ut alius habebis, sed præter illas etiam ista tua erunt, præter sortem. Exemplum referunt ex Fl. Vopisco, in vita Probi: Imperator Probus, sub quo cum de præda sive ex Alanis, sive ex alia gente, incertum est, repertus esset equus non decorus neque ingens, qui quantum captivi loquebantur, centum ad diem milliaria currere diceretur, ita ut per dies octo vel decem continuaret, & omnes crederent, Probum tale animal sibimet servaturum, jam primum dixit: *Fugitivo militi potius, quam forti hic equus convenit.* Deinde in urnam militarem milites jussit nomen suum mittere, ut aliquis eum sorte ductus acciperet, & cum essent in exercitu quidam, nomine Probi, alij quatuor milites, casu evenit, ut primum emergeret, cui Probo nomen existeret, cum ipsius Probi Ducis nomen missum non esset. Sed cum quatuor illi milites inter se contenderent, ac sortem sibi quisque defenderet,

jussit

jussit iterum agitari urnam sed & iterum Probi nomen emersit, cumque tertiò & quartò feciſſet quartò Probi nomen effusum est. Tunc omnis exercitus equum illum Probo Imperatori dicavit, ipsis etiam militibus, quorum nomina exierant, id volentibus.

§ 4. Hujus generis sortes in privatis quoque locis sunt vulgatissimæ: olim cibos hoc modo divisisse, infra videbimus. Eodem usi sunt milites, Salvatoris nostri vestes in quatuor prius partes divisas, tunicam verò inconsutilem integram inter se distribuentes. Atque hæc sortitionis ratio præ cæteris optimo jure hodie quoque vulgato usu adhibetur, cum reliquæ sortes aut prorsus sint impiæ, aut caute usurpandæ.

CAP. XX.

De

Sorte Consultoria.

§. I.

SOrs Consultoria est, quâ in re incerta & dubia consulitur, quid agendum, & quo ordine? quò referri potest definitio D. Augustini in Ps. 30. *Sors non aliquid mali est, sed res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem*: scil. in rebus gravibus, quando cardo salutis vel publicæ vel privatæ vertitur. Male, ut proxime dictum, Gatakerus eam confundit cum divisoria

& divinatoria, quod & Stengelius facit, nec non alii, adscribentes illi, quod huic proprium est, arcanorum nimirum revelationem facti alicujus vel autoris ejus detectionem, aut eorum, quæ eventura sint, manifestationem. At ut longe differunt consulere, quid nobis agendum sit, & quid ab aliis factum, aut quid futurum, inquirere: ita non eadem sors est consultoria & divinatoria. Est igitur sors consultoria ampliſſimi fori, & ad omnes fere actiones humanas applicatur, sacras, forenses & civiles, castrenses, navales, domesticas, &c. ut sequentia docebunt capita, quæ vero simul indicabunt, frequentiorem sortis hujus usum fuisse apud paganos, quam Ecclesiam Dei sinceram V. Test. nec enim hæc opus habuit sortibus consultoriis, cum habuerit alia consulendi media, Vaticinia, Urim & Thummim, & similia. Nihilo minus sortibus quoque usi sunt sancti viri, intra & extra sanctuarium. Sacerdotes primitus sorte virgarum electos fuisse, Num. XVII. legimus: post à Mose, Davide, Esra in certas classes sorte distinctos, itidem sacra historia meminit, quam infra exponemus. Tum ordines quoque isti iterum munia sacra sorte distribuisse, similiter infra adducemus ex Talmude. Divos Apostolos Matthiam sorte in suum recepisse Collegium Act. I. recensetur. Eosdem deinde singulas terras, in quas quisque abiret prædicatum Evangelium Jesu Christi, sortitò invicem designasse, historia Ecclesiastica fidem facit, ut supra jam adduximus. Extra sanctuarium, si exemplum electionis

ctionis Saulis excipias, vix aliud in populo Israel suppetit: sed & de isto dubium est, ut suo loco videbimus. At de externis populis plura prostant exempla, Hamani, Nebucadnezaris, & plurima alia ubique obvia in historiis Romanorum, Græcorum, Germanorum, aliorum, qui bello & pace, in foro & castris, sortes consuluerunt, quis vel rebus sacris, vel reipubl. vel militiæ præesset, quomodo expeditiones militares suscipiendæ, quæ uxor ducenda, &c. quis in quibuslibet rebus ordo observandus, quod vitæ genus eligendum, &c.

§. 2. Huic itaque tam Theologiæ quam Iuris peritis variæ exortæ sunt quæstiones, de nonnullis casibus, an sortes consulendæ nec ne? inprimis quoad vocationem Ministrorum: ubi respondendum omnino affirmativè, ob adducta jam ex sacris exempla, & testimonia S. paginæ, quibus sortes ceu divinæ commendantur. Cum vero plures sæpe concurrant circumstanriæ vel circa personas vocatas, vel vocantes, vel alia, ideo non æquè ad omnes responderi potest: quodsi vocatorum eadem sit conditio quoad dona requisita & virtutes dignas Ministro, seu, ut Logici loquuntur, cæteris paribus, nullum dubium est, quin sortitioni locus sit, maxime si ambitio, altercatio, æmulatio & invidia, indignatio & odium præcaveri possit, concordiaque & bonus ordo stabiliri? quæ ratio valet tempore pestis, ubi quæstio est, quinam pastorum Ecclesiæ manere, quinam secedere debeant? vide da hac quæstione Casustas, Bald. de Cas. Consc.

l. 4.

l. 4. c. 5. cas. 6. & l. 3. c. 6. cas. 9. D. Dannh. de sorte problem. 2. ubi in eundem sensum adducit verba Brentij, ex hom. 5 in Act. I. Confer D. Gerhardum de vocatione Ministrorum, nec non Pruknerum, in Manuali M. quæstionum, cent. 4. q. 8. Atque vocationem istam per sortem factam pro tam divina judicant, quam quæ à Christo ipso immediatè facta ad Apostolos: Ego sane hujusmodi electionem longè prætulerim illi, quæ alicubi locorum soli rudis plebis suffragiis committitur, quibus multoties semidocti cujusdam Magistri statura corporis conveniens, elocutionis gratia, familiæ splendor, alia hujusmodi, anteponitur exactæ alterius eruditioni, & cæteris Pastore dignis virtutibus & donis.

§. 3. Quod idem judicium locum habet in electione Magistratuum, in qua omnino probitas vitæ, prudentia, virtutesque politicæ sortitioni prævalent, uti Helvidius Priscus olim apud Romanos non inique est arbitratus. Cum enim Legati ad Principem mittendi essent & eligendi, alij Romanorum votis & nominatione Magistratuum, alij sorte legendos existimarunt, horum partes agebat Marcellus Eprius, illorum Helvidius, qui acri jurgio contendebant. Hic eligi nominatim à Magistratibus juratis, ille urnam postulabat, cujus vero studium proprius rubor excitabat, ne alijs electis posthabitus crederetur: Helvidius quærebat, quid ita Marcellus judicium Magistratuum paveseeret? esse illi pecuniam & eloquentiam, quibus multos anteiret, ni memo-

ria

ria flagitiorum urgeret. Sorte & urna mores non discerni, suffragia & existimationem senatus reperta, ut unius cujusque vitam famamque penetrarent, &c. Tandem tamen *vicit pars, quæ sortiri legatos malebat, etiam mediis patrum annitentibus retinere morem: & splendidissimus quisq; eodem inclinabat, metu invidiæ, si ipsi eligerentur:* Tacitus, l. 4. hist. Egregius in hanc rem locus est Philonis, initio libri de creatione Principis, omnino huc transferendus; *Quibusdam* enim *placere* scribit *sortitò creari principes, nullo sane subditorum commodo: sors enim ad felicitatem, non ad virtutem attinet. Itaq; sæpe accidit, ut ad principatum sors eveheret, quos vir bonus non ferret in subditorum numero; nam & minores Principes, qui ab aliis vocantur Domini, non omnes vernas emtitiosve assumunt ad famulitium, sed solos morigeros obsequentesq;: cæteros refractarios & incorrigibiles gregatim interdum hastæ auctioniq; subjiciunt, ut indignos, qui vel serviant in viri boni familia. Quanto minus decet dominium principatumq; integrarum civitatum gentiumq; sorti committere, ludicræ rei, pendenti à fortuna instabili. Certe in ægrotis curandis sortium nemo meminit; nec enim sorte capiuntur Medici, sed peritissimus quisq; eligitur. Item, cum de prosperitate saluteq; navigantium agitur, non sorte decernitur, qui gubernaturus puppim ascendat, ne forte aliquis imperitus, vel in tranquillitate ac serenitate asciscat naufragium; sed quæritur aliquis, qui artem gubernandi à juventute didicerit, h. e. qui sæpe navigavit, perlustravitq; aut omnia aut plurima maria, qui bene novit emporia, portus, stationes, receptacula, quæ vel in continente sunt, vel in Insulis, qui in mari quoq; callet invenire semitas; ex observatione siderum peritus stellarum, & suos cursus ad illorum*

rum motus dirigens, ita ut per invia viam expediat, & novo more maria terrestri animanti aperiat, reddatq; trajectu facilia, & postea civitates magnas, populosas, plenas habitatoribus, earumq; administrationem & curam rerum privatarum ac publicarum, sacrarum & profanarum, quam meritò quis artem artium, & scientiam scientiarum dixerit, committemus incertæ rei fortuitæq;, rejecto veritatis examine. Id alius Divus Pater, Ambrosius, lib. 5. Hexaem. c. 21 eleganter exemplo apum docet, *quæ ipsæ sibi regem ordinant, ipsæ sibi populos creant, & licet positæ sub rege, sunt tamen liberæ: nam & prærogativam judicij tenent, & fide devotionis affectum: quia & tanquam à se substitutum diligunt, & tantæ honorant examine. Rex autem non sorte ducitur, quia in sorte eventus est non judicium, & sæpe irrationabili casu sorte melioribus ultimus quisq; præfertur, neq; imperitæ multitudinis vulgari clamore signatur, quæ non merita virtutis expendit, nec publicæ utilitatis emolumenta rimatur, sed mobilitatis nutat incerto, neq; privilegio successionis & generis regalibus thronis insidet, &c. apibus autem rex naturæ clarus formatur insignibus, ut magnitudine corporis præstet & specie.* Observarunt hoc olim Persæ, quorum principes occisis Magis ita virtute & nobilitate pares erant, ut difficilem ex his populo electionem æqualitas faceret. Ipsi igitur viam invenerunt, qua de se judicium religioni & fortunæ committerent; pacti nimirum inter se, cujus equus inter solis ortum hinnitum primus edidisset, is Rex esset. Historia ex Justino & Herodoto Halicarnasseo nota est, ut hic transcribi non necesse habeat. In hujusmodi casibus sors idem facit, quod in libra, duobus ponderibus prorsus æquis onusta,

onusta, adjectus alterutri ponderi exiguus lapillus. Quis verò usum hunc sortium damnaret? aut quis unquam Romanos veteres hactenus reprehendit, quod sorte Imperatores, Duces exercituum, Consules, Prætores, Judices, Censores, Legatos, Consiliarios, &c. legerint? aut ubi lex Rupilia improbata, quâ dicas & judices sortiri antiquis jam temporibus cautum est?.

§. 4. Atque sic res se habet fere in actionibus omnibus humanis, de quarum successu consuluntur sortes: quod quum per se licitum sit, vitiosum redditur, quando actio ipsa vitiosa est & impia, & modus consulendi non legitimus. Sic impia fuit sortitio Hamani non per se, sed quod intenderet populum Dei extirpare, sortes in auxilium adhibens. Ita sortitionem peccaminosam facit injusti belli causa, quomodo sors quoque nunquam recta & pia esse potest, quâ quis in ordinem Franciscanorum, Jesuitarum, &c. ascisciturcum ordines isti non sint legitimi. Peccatur etiam sortitione, quâ quis Ethnicas sortes consuleret, & sic innumera seges quæstionum. Quanta verò contra commoda præstet sortitio in omni vitæ usu, vix digne & satis explicari potest; præsertim quando negotium præsens moram non patitur, ut fit in militia; sic in officinis & distribuendis laboribus domesticis aliisve, expeditissima methodus est, quâ sortium consilium adhibetur: quomodo Virgilius inducit l. 8. Æn. Ætnæos Cyclopes, fabros Vulcani in officina laborantes,

— *At*

— — *At illi*
Ocyus incubuere omnes pariterq; laborem
Sortiti.

Idem l. 3. Æn. de nautis:

Sternimur optatæ gremio telluris ad undam
Sortiti remos.

per sortem divisi ad officium remigandi, quis esset proreta, quis pedem teneret; in quos enim sortes ceciderant, hi remos servabant, ut Servius & Christoferus annotant. Sesostrem Ægypti Regem tam superbum fuisse produnt ut annis quibusque sorte Reges singulos sè subjectis jungere ad currum sit solitus, sicque triumphare, vid. Plin. l. 33. c. 3. atque idem mos hodie admodum est vulgaris, ut munia officiorum sorte distribuant: In Academiis sortiuntur Canditati honorum Academicorum, quem quisque gradum occupet, si quoad eruditionis ornamentum pares censeantur, vel quod quisque thema resolvendum adipiscatur, immisso in librum stilo, ad modum sortium sacrarum vel Virgilianarum: imò & in ludicris sortiuntur, ut vulgò videmus. Plura ejusmodi genera sortium pro ordine dignitatum, officiorum, laborum, infra nominabimus. Unde phrases natæ, sortiri laborem, honorem, officium, munus, &c.

CAP.

CAP. XXI.

De

Sorte divinatoria, cujus aliquot exempla ex sacris afferuntur, cum judicio de sorte ista.

§. I.

SOrs divinatoria est, cujus ope arcana & menti humanæ alias incognita, sive præterita fuerint sive futura, à Deo vel Dæmone aliquo postulantur & inquiruntur. Ex quibus, quomodo differat sors ista à prioribus, intelligitur: quod discrimen D. Dannhauerus breviter his ostendit verbis, sortitionem terminatam esse *ad vel lucrum boni temporalis, vel decisionem dubij, vel revelationem arcani.* Atque hæc cùm singularem cum Deo (vel quasi Deo) familiaritatem involvat, religiosè ab hominibus semper est habita, ceu medium, quô Deus ex peculiari gratia cum hominibus agat, & quasi loquatur, aperiens illis in occulto patratum, hominis menti imperveſtigabile, aut inposterum demum eventura. Quorum manifestatio arguit amicum Numinis cum homine commercium; pio nempe, religioso, publicæ authoritatis & officij sacri viro. Res exemplis fiet illustrior.

§. 2. Severum occultorum scelerum indicem & vindicem Deus se exhibuit in proditione sacrilegij Achanæi per sortes facta, Jos. VII. 12. seqq. *Surge* (inquit Deus ad Josuam) *sanctifica populum, & dic: Sanctificate vosmet in crastinum, nam sic dicit Dominus Deus Israël anathema est in medio tui ô Israël, non poteris consistere coram hostibus tuis, donec removeatis anathema de medio vestrum. Et appropinquetis mane secundum tribus vestras, & erit tribus illa, quam deprehenderit Dominus, appropinquet secundum domus, & domus, quam deprehenderit Dominus, appropinquet secundum viros, & erit, qui deprehensus fuerit in anathemate, comburetur igne,&c. Et Josua summo mane surgens adduxit Israëlem secundum tribus suas, & deprehensa est tribus Juda, & accedere jussit tribum Juda, & deprehendit familiam Serachitanam, & accersivit familiam Sarachitanam secundum viros, & deprehensus est Sabdi, & adducta domo ejus viritim, deprehensus est Achan, filius Carmi, filij Sabdi, filij Serach, tribus Juda.*

§. 2. Non hîc disertis verbis sortitionis fit mentio, res tamen ipsa non obscurè indicat, ejusdem operam fuisse hîc adhibitam, non abnuentibus interpretibus, quorum præcipui consentiunt, juxta oraculum Urim & Thummim consultas fuisse sortes. Mentem illorum Münsterus ita exprimit: *Secundum Hebræos singulæ tribus transierunt ante arcam Dei, & deprehensa fuit indicio quodam tribus Juda. Vel secundum alios, per pectorale, quod Summus Sacerdos gerebat, in quo continebantur Urim & Thummim, & duodecim lapides, cum duodecim nominibus filiorum Israël, deprehensa est tribus Juda: Cognationem*

tionem verò, domum & personam ajunt per sortem deprehensas. Audiamus Hebræorum ipsorummet verba: R. Sal. ad h. l. לגברים לראשי גולגלותם כל אנשי הבירה יבואו לגורל ויקרב את ישראל לפני החשן מקום שהשבטים כתובים ומסר לו הקב"ה פנים שהשבט שחטא אבנו כהה וכהתה אבנו של יהודה: ויקרב את משפחת יהודה' לגורל אח' קרב ראשי המשפחות אדם אחד מכל המשפחות והטילו גורל על מי יפול ואחר כך על כל בתי אבות של אותה משפחה ובא אדם אחד מכל בית אב לגורל ואחר כך באו כל אנשי אותה בבית שיש בא כבוד' התחיל להוציא לעז של הגורל אמר לו בגורל אתה בא עלי אתה ואלעזר הכהן גדולי הדור אתם הטל גורל על שניכם ויפול על האחד אמר לו שים נא כבוד בבקש ממך אל תוציא לעז על הגורלות שבו עתידה הארץ ליחלק: Viritim, *secundum capita personarum, omnes nimirum viri familiæ alicujus debent venire ad sortem,* & advocavit Israëlitas *ante pectorale, ubi tribus scriptæ sunt; dederat enim D. O. M. signum, nempe, tribus illius, quæ rea est, lapidem obscuratum iri, atq; tunc quidem obscuratus est lapis tribus Juda.* Tum adduxit tribum Juda, *nim ad sortem:* postea accedere jussit capita familiarum, sc *unum aliquem hominem ex singulis familiis, & projecerunt sortem, super quem casura sit: postea verò super singulis domibus patrum, ejusdem familiæ, & tum accessit unus aliquis ex singulis domibus patrum ad sortem, & tum accesserunt singuli viri ejusdem domus.* Da quæso gloriam, *inceperat* (Achan) *sannas & ludibria evomere adversus sortem, dicens ad ipsum* (Josuam) *Per sortem tu adversus me insurgis procedere, Tu & Eleasar Sacerdos, estis primores ætatis hujus, projice sortem super vosmet ambos, & cadet super unum: Cui*

Josua, da, inquit, gloriam, obsecro te, ne sortes ludibrio habeto, aliquando enim terra sancta dividetur per illas. Brevius paulo & aliter R. Levi ben Gerson: זכרו רבותינו ז"ל היצה"ר לומר שכבר הירה עכן ומשפחתו מוציאין לעז על הגורל כשהיו אומרי' שאם יפילו הגורל על שני אנשים צדיקים הנה יפול בלי ספק על אחד מהם עם היותו בלתי חוטא בזה ולפלק זה התרעומת והמחלוקת שיה"ר אפשר שיתחדש מזה התחכם יהושע להשתדל שיספר עכן וזה, Memorant Rabbini nostri p. m. Achanum nimirum prius, & familiam ejus sanris voluisse eludere sortem, quasi dicerent; quodsi projicerent sortem super duobus viris justis, tum sane sine dubio caderet super alterutrum, etiamsi fuerint innocui: propterea & ad declinandam hanc murmurationem & dissidium, quod facilè potuisset denuò exoriri, Josua prudenti consilio usus, persuasit Achano, ut rem ipsam profiteretur, &c. Similiter ferè R. D. Kimchi, אשר יגלנו יי' אמרו העבירם לפני הארון והנלכד הוא שהיה הארון וכו', Quem deprehendit Deus, ajunt, Josuam transire jussisse eos ante arcam, quem verò deprehenderit, fuisse eum, quem arca ita detinebat, ne potuerit illinc recedere. Porrò ajunt, jussisse eum consistere omnes tribus coram urim & th. & lapidibus pectoralis, in quibus scripta erant nomina tribuum: cujus tum lapis obscuraretur, is esset deprehensus. obscurabatur autem lapis Jehuda. ut autem familias & viros cognosceret, id expediverunt per aeculam seu urnam, per sortes. Rogavit eum, ut consiteretur peccatum suum, duas ob causas; alteram, ut iniquitas illius expiaretur, dum mors illius esset expiatio per confessionem iniquitatis suæ, &c. alteram, ut Israëlitæ consiterentur, convicti vel per sortem vel detentionem arcæ, dicerentq3, vera esse hæc, atq3 sic Doctores

res noſtri tradunt, Achanum dixiſſe ad Joſuam: Tu Joſua, per ſortem agis contra nos, &c.

§. 4. Deſumta hæc videntur, ait Buxt. de Ur. & Th. p. 305. ex libro antiquiore Pirke Elieſer, in quo Cap. 38. hæc leguntur: ראה יהושע בשנים עשר אבנים של כהן גדול שהן כנגד י"ב שבטים וכל שבט שהיה מצוי בידו היתה מגיחה אורה וכל שבט שהיה בידו דבר עבירה לא היתה מגיחה אורה וידע ששבט יהודה מעל בחרם והפיל גורלות ונלכד עכן שנאמר וילכד עכן בן כרמי, *Inſpexit Joſua duodecim lapides Sacerdotis M. reſpondentes duodecim tribubus: in cujus manu erat præceptum* (penes quos erat cauſa ſalva) *ejus lapis lucem emittebat: in qua verò tribu erat tranſgreſſio, illius lapis nullum edebat ſplendorem: atq; hoc modo cognovit, tribum Juda peccaſſe anathemate. Cumq; projicerent ſortes, Achan deprehendebatur, ut dicitur: Et deprehenſus eſt*, &c. Sed eadem quoque leguntur in Talmude, ad quem forſan potiùs reſpexerunt commentatores iſti: ita enim Gemariſtæ tradunt in Sanhedrin cap. 1. f. 11 & cap. 6. fol. 43. 2. תר נא אין נא אלא לשון בקשה בשעה שאמר הקב"ה ליהושע חטא ישראל אמר לפניו רבונו ש"ע מי חטא א"ל וכי דילטור אני לך הפל גורלות הלך והפיל גורלות ונפל הגורל על עכן אמר לו יהושע בגורל אתה בא עלי אתה ואלעזר וכו *Tradunt Doctores noſtri de* נא, *nunquam uſurpari hanc voculam niſi in obſecratione. Cùm Deus O. M. Joſuæ diceret, peccavit Iſraël, reſpondebat Joſua coram ipſo, Domine mundi, quis peccavit? Cui Deus, Egone delator ſum? abi, projice ſortes, abijt ergo & projecit ſortes, cecidit q; ſors ſuper Achan: hic verò dicebat ei, Joſua, per ſortem tu adverſus me veniſti*, &c. Sic Hebræi

de negotio isto, quibus fides pro lubitu habeatur. Potius id sciri desideratur, quo sortitionis genere modóve res ista fuerit transacta? quod verò cum ipsa S. pagina non referat, pluresque sortium sint species, vix liquidò definiri poterit; unde ex ingenio quisque suo aliquam commodam sortiendi rationem hîc sibi formet. Commodum erit reliqua sortium exempla in sacris memorata referre, atque idoneam quandam speciem huic processui judiciali applicare.

§. 5. Occurrit autem statim ex 1. Sam. X. 19. seqq. electio Saulis: *Et nunc* (ait Samuel ad populum) *consistite coram Domino secundum tribus vestras, & secundum millia vestra: Et accedere jussit Samuel omnes tribus Israël, & deprehensa est tribus Benjamin: & accersita tribu Benjamin secundum cognationes suas, deprehensa est cognatio Matriana: & deprehensus est Saul filius Kis, & quæsiverunt illum, sed non inventus est. Et quæsiverunt porrò Dominum: Num adhuc veniet vir ille?* &c. Per hoc insinuari ait Munsterus, tribum Benjamin & Saul filium Kis, fuisse judicio Urim & Th. deprehensum. Alij verò dicunt, quod projectione sortis fuerit electus. Ex illis quæ per oraculum Urim & Th. factum putant, est Kimchi: התיצבו לפני י"י ולפי שאם היה אומר להם שמואל וכו' *state coram Deo; quodsi enim Samuel eis dixisset ita nude & simpliciter, Saul regnabit super vos, reliquæ tribus ipsi invidissent:* אם לא היה נלכד באורים ותומים: *si non fuisset deprehensus per Urim & Thummim, quæ consulebant.* Hoc sibi vult, quod dicitur, coram Domino שהיה שם כהן ואורים ותומים והיו שואלים בהם: *adfuit enim ibi Sacer-*

Sacerdos cum Urim & Th. quæ consulebant. Similiter Medrasch Tanchuma, quam Radak allegat ad 1. Sam. X. 22. & Jalkut idem recenset, ad h. l. part. 2. fol. 6. col. 2. num ק"א Cùm enim Saulem accessissent Israëlitæ, nunciantes ei quod ad regnum esset electus. Respondit eis, non sum idoneus ad regnum; אלא שאלו באורים ותומים אם ראוי אני ואם לאו הניחו אותי מיד וישאלו עוד מיד החביא עצמו עד ששאלו באורים ותומים ויאמר יי' הנה וכו', *Veruntamen interrogate Urim & Thumm. an idoneus sim: quodsi non idoneus ero, è vestigio me omittite, illi ergò iterum interrogarunt: Ipse verò se abscondit ilicò, donec consuluissent Urim & Th. & dixit Deus: ecce post vasa se abscondit*, &c. Confer Buxt. in hist. Ur. & Th. cap. 3. sub finem. Abarbenel vult, utrumque fuisse junctum, eodem modo ut in divisione terræ sanctæ. R. Salomo verò per sortem Saulem requisitum fuisse & ad regnum electum putat, ita rem pulchrè declarans: אף על פי שלא היה שם נפל הגורל עליו שהיו כתובין שמם באיגרות ונוסנין בקופסא והנביא מכניה ידו ונוטל אגרת אחת: *Etiamsi Saul tum non aderat, nihilominus sors cecidit super ipsum: quia nomina illorum scripta erant in schedulis, quas capsæ* (vel urnæ) *injiciebant, & Propheta tum immissa manu producebat schedulam aliquam.* Sic R. Levi ben Gerson: ויקרב שמואל והנה על פי הגורל נפלה המלוכה לגורל שאול: *Et accersit Samuel, & ecce per sortem cecidit regnum in sortem Saulis.* Atque sic ferè plerique, qui de sortibus scripsere, electionem hanc ijsdem attribuunt, confer Stengelium, Neuhusium, &c. Fateor interim exemplum hoc potius ad sortem

consultoriam referri posse, adductum autem hîc, ut superius, de proditione Achani, exponeret. eatenus tamen ad sortem divinatoriam reducitur, quatenus occultum per eam est manifestatum, nimirum, quem Deus ipse arcano suo consilio Imperio Israël pridem assignasset, 1.Sam.IX. 17. imò jam esset unctus, cap.X 1. clàm scilicet, quod sors nunc revelabat. Confer Gen.XXIV. 14. deprehensionem autem istam Saulis per sortem potiùs quàm per Urim factam fuisse, ideo verisimile est, quia in Urim & th. neque nomen Saulis neque familæ ejusdem continebatur.

§. 6. Clarius exemplum sortitionis divinatoriæ est, quod historia Jonathanis subministrat, 1.Sam.XIV.40. *Et dixit (Saul) ad totum Israël: Vos estote à latere uno & ego cum Jonathane filio meo ero à latere altero. Et dixit populus ad Saulem: Quod bonum est in oculis tuis, fac.v.41. Et dixit Saul ad Dominum Deum Israël: Adduc rectitudines. Et deprehensus est Jonathan & Saul: at populus exiverunt* (innocentes) v.42. *Et dixit Saul: projicite inter me & Jonathan filium meum. Et deprehensus est Jonathan.* Manifestum est, proditionem istam factam fuisse sorte. hujus enim propria quasi dictio est ותפילו, & projecerunt: scil. sortes; nec hactenus occurrit aliter exponens, at in eodem textu & de eodem actu dicitur quoque וילכד, & deprehensus est, quod in præcedentibus duobus exemplis etiam adhibitum: unde de eodem deprehendendi seu capiendi modo meritò accipiendum erit. Nam Deum per Urim & Th. Sauli respondisse,

disse, versus 37. diserte negat: *Et interrogavit Saul Deum, num descendam? Sed non respondebat die illa.* postea verò vers. 41. *& deprehensus est*, &c. ergò non per Urim, sed sortes. Atque ita commentatores; Munsterus verba textus: הבה תמים reddit, Da (sortem) integram: & annotat; Est hîc הבה תמים, idem quod תן גורל באמת, *da sortem justam & veram, sicut Hebræi exponunt. Sic quod sequitur: projicite inter me, subaudiendum est, sortem.* Ex Hebræis, quos innuit, maximè est R. Salomo, scribens: לעבר אחד להפיל גורל בין כולכם ובינינו · הבה תמים' תן גורל אמת והעם יצאו נקיים מן הגורל: *In latere uno, ad projiciendam sortem inter vos universos, & inter nos, Cedò rectitudines, da sortem veram & infallibilem; & populus exivit salvus à sorte.* R. Levi; שאלו באלהים ולא ענהו ביום ההוא על דבר חטאת יונתן לפי מדת שנתברר על פי הגורל: *Interrogaverunt Deum sed non respondebat ei die illo, propter peccatum Jonathanis, quemadmodum ex sortis judicio manifestum factum.* R. D. Kimchi: לעבר אחד' בגורל שהיו כל ישראל בקלף אחד יונתן ושאול בקלף אחר: הבה תמים' גורל תמים ואמת וי"ת איתינים בקושטא כלומר חבה הגורל באמתי הפילו' פי' הפילו הגורל וכ"ת רמז עדבין וכו' וכאשר לא נענה שאול באורים ותומים הוצרכו להפיל גורלות על מי היה החטא ונפל על יהונתן: *In latere uno, in sortitione, quia Israëlitæ universi erant in urna una, Jonathan autem & Saul in urna altera. Cedo rectitudines, i. e. sortem rectam in veritate. Projecerunt, sc. sortem, quomodo & Jonathan reddit*, &c. *Cùm verò Saul nullum responsum accepisset per Urim & Thummim, necessario projiciendæ eis erant sortes, super eo,*

quis esset ille qui peccavit? cecidit autem super Jonathan.

§. 7. Restat aliud sortis divinatoriæ exemplum, ex S. historia producendum: Jon. I, 7. *Et dixerunt quilibet ad proximum suum, accedite, & projiciamus sortes, ut cognoscamus, propter quem malum hoc nobis accidat? & projecerunt sortes, & cecidit super Jonathan.* Diversis sententiis de facto hoc judicare solent docti. Difficultas oritur 1. ex diversitate personarum sortitarum, quæ sunt vir Judæus atque propheta ab una; & viri gentiles, nautæ, Joppenses, 2. authores sortitionis hujus sunt hi increduli, non propheta, nisi dicere malimus, nautas istos proselytos fuisse factos, & circumcisos, quod Hebræi statuunt. vid. Leusd. Jon. illustr. p. 141. 3. nihilominus Deus voluntatem suam hoc medio patefecit. 4. videntur sine necessitate sortiti, atque sic Deum tentasse; non enim hunc actum suscepérunt vel expresso mandato divino, vel monente propheta, vel jubente Magistratu, nec §. Cardo reip. & communis salutis vel ardui negotij vertebatur. 6. Recta tamen sortitio videtur fuisse, quia propheta consensit, resque cecidit juste, & cum eventu exoptato. *Fugitivus* enim *Jonas sorte deprehenditur non viribus sortium, & maxime sortibus ethnicorum, sed voluntate ejus, qui sortes regebat incertas*, ut Hieron. ad h. l. habet: & videntur circumstantiæ omnes θεὸν ἢ spirare, impetus ventorum, terror nautarum panicus, sortium infallibile judicium. B. Luth. in Comment. ad h. l. Tom. 3. Jen. cum actionum humanarum varia posuisset genera, sortitionem hanc nautarum ad

eas

eas refert, quæ, si ex bono fine & animo fiant, non damnentur, atque liberat hoc modo nautas ab omni culpa & temeritate. Verba prolixa sunt, unde huc transcribendis iis supersedemus. Confer D. Dannh. in problematibus de sortitione, aliosque plures. Sane, si res accuratè pensitetur, nulla satis evidens ratio apparet, nautas criminis accusandi: quod ut obtineatur, sequentia suppono: 1. status Ecclesiæ priscæ in V. T. probe est considerandus, qui erat, quod Deus O. M. ex singulari indulgentia in aperienda voluntate sua variis modis fuerit usus, Hebr I. 1. seque ad votum precesque piorum facilem præbuerit, media externa & conditiones aliquando ab ipsis hominibus acceptando; 2. id verò à pura Dei Ecclesia ad vicinos quoque populos emanavit, ut à Judæis edocti, vel ab antiqua & primitiva Ecclesia per avitam propagationem informati, simili ratione Divinam investigarent voluntatem circa res gerendas, aut ancipites & arcanas detegendas; quæ vero consuetudo ab infernali impostore multis modis fuit depravata. 3. quanquam nautæ gentiles fuerint idololatria forte imbuti, magna tamen Numinis Israëlitici, Hierosolymis culti & ubique celebrati, 1 Reg. VIII. 42. tacti erant reverentia, quod ex ipso textu patet: quamvis enim non erant puri, venerabantur tamen Deum cœli, terræ & maris, quem etiam postea devote adorarunt, & sacrificiis precibusque vel supplicatione prosecuti sunt, si forte irâ candesceret, reconciliare eum satagentes. Erant etiam civiliter justi, non mali nec frivoli, nolentes Jonam, etiam voluntarium,

rium, mari obruere; extremas potius vires tentante, ut salvarent, nec ejicientes nisi coacti, timidi, ne sic quidem criminis se obstringerent. 4. Notoria est Optimi Numinis facilitas, qua plus pactorum suorum fidem, quam indignorum hominum conditionem consuevit attendere, ratam habens mediorum, quibus nobiscum agit, & fœderum vim. 5. Sortes vel ex instituto divino, & expresso mandato, & inspiratione divina, antiquissimæ praxios usu, & nunquam mentito responso, externa erant symbola & media, quibus utebantur veteres & in dividendo, & consulendo, & divinando, Prov. XVI. 33. Cap. XVIII. 18. de sortitione piorum non ambigitur: de impiorum vero & gentilium, Saulis, nautarum, &c. manet quæstio. Ajo ergo, sortes valuisse virtute sua, si rite tractarentur, & res esset alicujus ponderis, si vel Ecclesiæ communem concerneret salutem, vel privatorum etiam, sed piorum hominum interesset multum, & sortes administrantes essent non impij. Sic Saul haud equidem erat puræ pietatis, rex tamen Israël & supremum sancti populi caput, nec res levis momenti, de qua sortes poscebat. Nautæ Joppenses gentiles quidem fuerunt, & forsan non sine labe idololatriæ: at aliâs pij & religiosi, non de ludicra re, sed seria, sortes solicitantes. Nebucadnezar pariter gentilis erat, sed de Israëlitarum sanguine ludens: hinc sortes illorum Deus pro suo arbitrio, non fortunæ temerario lusu, direxit, divinoque interventu compescuit; nolens religionem sortium hactenus sacrarum & religiose usurpatarum, impiorum indigni-

dignitate elevari & profanari. Sortitio ergo ipsius Saulis, impij, nautarum gentilium, & Nebucadnezaris idololatræ rata fuit, non fallens, non falsa; non pio etiam Jonathani parcens; ut justitia fieret, & mundus periret; recta indicans, ipso etiam Oraculo Urim & th. silente; in occulto patrata peccata detegens, ut ad pœnam justam & vindictam in apricum protrahantur. Ex quibus etiam quid de Hamani sortibus judicandum, innotescit.

§. 8. Veruntamen res longe alia est cum sortibus divinatoriis in N. Testamento, quo prophetiæ & vaticinia desierunt, & cum umbris Vet. Test. expirarunt, ut sine speciali Dei jussu non sint adhibendæ, nec iis adeo opus est, postquam omnis Dei patris voluntas & consilium circa salutem nostram est manifestatum. *Eorum* enim, *quorum vel nulla in lumine seu ordinario seu extraordinario extat revelatio explorabilis: vel sufficiens præsto est in libro Scripturæ naturæve indago per intensionem ingenij, judicij, acuminis; illic divinare velle, est Dei jus invadere, tamq; agere stolide, quam acturi fuissent Chaldæi, si Nebucadnezaris somnium investigare voluissent. Humana humanis consiliis, prudentiaq; quoad licet, semper sunt tractanda, nec ei rei committenda, quæ cæca est, quæ temere hoc vel illud agit, nullam certam rationem habens, cur hoc potius, quam illud pronunciet*, ut loquitur non nemo Theologorum, & sic judicant omnes, quicunque cerebrum non gestant in calcaneo, aut diabolicis præstigiis, anilibusque superstitionibus contaminatum; inprimis ij, qui argumentum hoc ex industria pertractarunt. Quin & gentiles ipsi ejusmodi

modi sortes divinatorias contemserunt, quamvis Diis suis aliâs attributas, ut ex Catonis disticho discimus:

Quid Deus intendat, noli perquirere sorte:
Quid statuat de te, sine te deliberat ipse.

maximè authoritas illarum sub tempora adventantis Domini Jesu, qui patris sui Verbum, λόγος, & nostrum verissimum Oraculum est, de loco suo deturbata legitur, ut Cicero ipse lib. 2. de Divin. non cunctetur ita scribere: *Jam ad te venio, ô sancte Apollo, qui umbilicum terrarum certum obsides, unde superstitiosa primum sæva evasit vox fera. Tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione sæpissime, partim flexiloquis & obscuris, ut interpres egeat interprete, & sors ipsa referenda sit ad sortes, partim ambiguis; & quæ ad dialecticum referenda sint. Nam cum illa sors edita est, opulentissimo Regi Asiæ, Crœsus Halyn penetrans magnam pervertet opum vim; hostium vim sese perversurum putavit, pervertit autem suam: utrum autem accidisset, verum oraculum fuisset.* Et talia plura ibidem infert Cicero de incertitudine sortium fatidicarum, partem supra jam adduximus, cap. 2. §. 1. vide insuper Demsterum de eodem argumento, ad Ros. antiq. l. 2. c. 7. Cum nihilominus in ipso Christianismi orbe sint, qui satanica ista oracula & diaboli ludibria laudant, defendunt, usurpant, magno in precio habentes ceu rem divinam, divinare; & cum diabolicis artibus dediti divinos se arbitrantur, procul à divinitate abscedunt. *Neq; hic sufficit dicere, ego Dæmonem non invoco; non invocas verbo, re tamen ipsa uteris illius ope, sine qua talia*

fieri

ſciri non poſſunt, Deo jam dudum extraordinarios ejusmodi modos deteſtato, ut ingenuus eſt judex Jeſuita Stengelius, quem audire deberent fratres ejus variorum ordinum, rudi plebeculæ ſanctitatem ſuam & vaticinandi donum hoc modo jactantes; quorum *pleriq; dicunt, ſe pactum cum orco non habere: implicita tamen hæc ſunt pacta cum patre mendacij útiq; non ineunda*, ut iterum Stengelius non obſcure vates hujuſmodi monaſticos & ſortilegos religioſos caſtigans. vide & Peucerum cap. de ſortibus. Non tamen negamus inter noſtræ Confeſſionis homines reperiri hujuſmodi farinæ vates, futurorum mendaces ſciolos, ſequioris notæ prophetas, Sibyllinorum librorum interpretes, planetarios impoſtores, &c. quò vix non referendi, qui tempore à nativitate ſalvifica ſacrô vel ex ſerie duodecim dierum obſervata, vel cepis nocte natali Domini Jeſu poſitis, menſium ſingulorum totius anni tempeſtatem vaticinari norunt. Gravius eſt, quô homicidij ſuſpectum authorem inquirunt ducendo eum ad cadaver interfecti, atque num ſanguinem emittat, בזיבנין. ad vertendo. Quem proceſſum illegitimum judico, quippe quô ſignum de cœlo poſcitur, quod Filius Dei damnat in Phariſæis: alium proceſſum lex Divina imperat, ut per teſtes duos treſve omnis cauſa tranſigatur, Deut. XXI. 1. ſeqq. nec enim ad ſortes recurrendum in dubio facti, ſed juris: non per ſortes inveſtigandum, quis hoc fecerit, ſi factum certum, author autem incertus: in dubio juris vero, ex. gr. cuinam hæc vel illa pars hæreditatis competat, ſortitio eſt legitima. Conf. Stengel. c. 3. §. 4. at ten-

tentatio est Dei temeraria, nec periculo carens, si occulta hominum facta, quæ naturaliter nequeunt sciri, per haruspicia, auguria, sortes, inquiruntur: quum quæ Deus non revelat, necessum sit dæmonis ope, stygia suspicione & scientia, talia cognoscantur, & preces in hoc actu nefando abusu profanantur. Memorat Stengelius quendam variis chartis varia genera mortis inscripsisse, ut extracta aliqua cognosceret, quâ mortis specie ipse esset interiturus, in lecto, campo, fune an ense? extraxit semper funem. Ergo infamiam patibuli quod sibi imminere ducebat, horrens, seipsum domi suspendit, ne id carnifex foris faceret. Simile fere est quod idem affert ex Chronicis Scotorum, de Nathaloco, Rege XXX. illum enim ipsum, qui missus erat ad divinos, ut de victoria, de vita Regis, ac Regno ejus percontaretur, responsum à quadam anu accepisse, Regem non diu victurum, nec periculum ei ab hoste, sed à familiaribus instare cum ille urgeret, à quo? anum, à te subjecisse. Ille ergo anum quidem primò execratus, postea tamen variis cogitationibus agitatus, statim ubi donum rediit, subministrata occasione, Regem interficit, duodecimum imperij annum jam ingressum, patriam hoc modo servitio eximens. Eodem modo mulierculæ seu matres liberorum, quæ die fidelium animarum (ut iterum Stengelius refert) cereos tot, quot sunt liberorum, accendunt, ut ex illis vel cito vel tarde extinctis, de morte & vita cujuslibet prolis judicare possint. facili via divinationis hujus veritatem confirmarent, si eo ordine, quo cerei extinguuntur, liberorum

rum colla abscinderet. Novi anum quandam, in hanc rem artificiosam, quæ cum haberet filium jam aliquot annos peregre absentem, dubia, an adhuc esset in vivis, tres sumsit spicas siligineas, paniqúe ex massa farinacea instar cæterorum, formato, & clibano jam immittendo infixit, observans, num vel exarescerent vel manerent incolumes, sic de vita filij divinatura. Cujusmodi artes plurimæ sunt apud vulgum, qui eos eò diviniores judicat, quo artificiosiores divinando, cum tamen pleræque sint vel ethnicæ vel prorsus diabolicæ. Pythagoram ajunt speculo concavo literas humano sanguine temperatas inscripsisse, & ex eo, lunæ opposito, divinasse, ac nonnullos stolidos juvenes somniare, naturaliter fieri posse, teste Stengelio, cap. 3. §. 11. ubi vide de speculo in æde Cereris, ex cujus inspectu & imaginibus divinant, an æger periturus sit nec ne? Hujusmodi speculi divinatorij meminit Spartianus in Juliano, & hodie frequentissimum est magis, ut specula hujusmodi divinatoria furtis aliisque rebus arcanis detegendis adhibeant: non dubito, quin diabolus ex vetusto cultu Aaronico, in quo erat Urim & thummim, artem hanc suffuratus ad idololatricos istos usus transtulerit. Et quis omnes ejusmodi magicas scientias enarrando exhauriat? quas melius ex ipso vulgaris plebeculæ, præsertim mulierculârum, consortio cognoscens.

§. 9. Quamquam vero nusquam magis inter Scyllam & Charybdim navigetur, quam cum de sortibus, præsertim divinatoriis, est di-

ſputatio, cùm utrimque ſint ſcopuli, ut qui omnes ſortes damnat, malus ſit judex, & qui omnes abſolvit, impius uſurpator, ut Stengelius cap. 2. §. 1. loqui amat; attamen liquido aſſero, plerasque has ſortes, vix ullis exceptis, non eſſe à Deo; quia ſi divinæ eſſent, Deus ad eas regendas ad votum divinantium, concurreret vel gubernatione ſpeciali vel generali. Hoc non eſt, quia per generalem concurſum creaturæ manent in naturali motu & ſtatu, quod in ſortibus divinatoriis non fit; ſed nec illud eſſe poteſt, quia ſi Deus ſpeciali præſentia ſortibus divinatoriis adeſſet, ut voto divinantis reſponderent, ejus beneficij divini in S. literis extaret promiſſio, ſicuti cætera, quæ ſingularem Dei aſſiſtentiam & gratiam involvunt: at vero talis promiſſio de ſortibus divinatoriis verbo Dei, inprimis N. Teſt. eſt incognita; imò ſubtracta potius; olim enim, ait Apoſtolus Hebr. 1. 1. πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως locutus eſt Deus ad patres: fruſtra ergò ad exempla Vet. Teſt. provocatur: quod ipſum etiam Jeſuita Stengelius ex Hieronymo, Beda, & Gratiano docet, & DelRio etiam, *Sane*, ſcribens, *cum Salvator, qui fallere non poteſt, nec falli, cuncta promittat orantibus, ſtultum & abſurdum eſt, relicta oratione, quæ promiſſionem habet, confugere ad ſortem, cui ſe adfuturum Deus, in Novo Teſt. non repromiſit*; unde nihil eſt quod laudet in ſanctis ſuis Stengelius, S. Bennone, S. Mauritio, S. Ignatio Lojola, &c. qui ſortibus divinatoriis uſi ſunt, ſiquidem vera ſint, quæ de illis Stengelius narrat: verum potius judico, quæ idem

Jeſuita

Jesuita inimiscet: *Sanctos non semper ab infantia fuisse sanctos, neq; omnia, quæ unquam fecerunt, sancta arbitranda esse, cum homines fuerint, & subinde ut homines errarint.* Sed neque sancti vere fuerunt quos Sanctos prædicant in regno Pontificio: arte ergo Sinonia vera falsis miscet Stengelius, ut citius persuadeat. Facilè ex his patet, sortes divinatorias vim vaticinandi futura aut occulta patefaciendi non habere ab Angelis, neque ab astris, neque ex aliis naturalibus causis. Cum enim sortes divinatoriæ sint contra verbum Dei, absit, ut sancti isti Nuncij ministeria sua ad eas conferant, Ps.CIII.20.21. temerariæ ergo idololatriæ & impietatis est consortium sortium istarum divinatoriarum solicitare. Neque astris virtus est hæc à Deo indita primitus, ut per sortes divinantes adjuvent; alius finis & usus eorum à Mose est consignatus: & quanquam influant in res terrestres virtute sua, eorum tamen non est futura præscire, quæ vero nesciunt, aliis prænunciare nequeunt: quod idem de tota natura & causis naturalibus pronunciari poterit: quis enim talis, tesseris, speculis, chrystallis, tribris, &c. futurorum præscientiam indidit? aut eorum, quæ ab homine, sensu & ratione prædito, sunt abscondita, notitiam rebus inanimatis, sensu & ratione destitutis apetuit? anne lux à tenebris lumen cognitionis petat? longum foret si rem istam accuratè vellemus excutere; multisque acribus disputationibus immiscendum, in primis verò spinosis & execrandis effatis Benedicti Spinosæ cujusdam athei, qui

in blasphemo tractatu Philogico-politico de libertate philosophandi omnia miracula naturalibus causis it attributum, nullum discimen relinquens divinis, prophetis & viris θεοπόροις à gentilium haruspicibus, extispicibus, auguribus, Persarum magis, Gallorum Druydis, Romanorum Græcorumque Sibyllis, Diaboli vatibus & hariolis; ut vero prolixam disputationem contra impia dogmata atheistica, succidamus, dicimus, divinationes hujusmodi omnes ex orco esse, non cœlo, ex malo, non bono Dæmone; atque ideo contra clara Legis divinæ monita, inprimis Deut. XVIII. 11. quem locum Munsterus h m. exponit: *Prohibentur hîc omnium superstitionum & divinationum genera: chiromantia, augurium, geomantia, magia, necromantia, sortilegium, pythia, præstigium, & quibuscunq; nominibus exprimi possunt hæ Diabolicæ artes. Per* קסם *quidam intelligunt* בודק *experimentatorem, qui sortilegio aut stipulatione investigat, num bonum sit iter arripere, aut opus aliquod inchoare. Alij putant esse generale vocabulum, ad omnium divinationum species. R. Sal. intelligit de* ῥαβδομαντείᾳ: אי זהו קוסם האוחז את מקלו ואומר אם אלך אם לא אלך וכן הוא אומר עמי בעצו ישאל וגו' *Quis nam est Kosem? qui prehenso baculo suo ait: an abeam an non abeam? unde dicitur* (Hos. IV. 12.) *populus meus consulit lignum suum, baculus illius indicat ei.* Orta sine dubio est fortium hæc divinatio ex veræ & divinæ divinationis æmulatione & κακοζηλίᾳ: sic enim olim viri enthei divinarunt adhibitis externis & naturalibus organis seu mediis, quemadmodum Joseph divinavit operâ scyphi,

scyphi, Gen. XLIV. 5. *Nonne hic scyphus est, ex quo bibit Dominus meus,* והוא נחש ינחש בו, *& ipse* (Josephus) *divinando divinat illô?* Darmit er weissagt/ Luth. Pariter quando David cithara ludebat, bonus Dei spiritus furias Saulis expellebat, animumque illius inquietum sedabat, 1. Sam XVI. 23. quomodo Elisa quoque vaticinaturus de exitu belli utebatur citharædo, 2. Reg. III. 15. Moses baculo suo grandia perpetravit, Aaron pectorali indutus, divinæ voluntatis secreta manifestavit, Elias pallio fecit divina opera; quem quidem usum externorum mediorum servamus etiam sub N. Testam. sed non extra dictum Dei mandatum, in divinis nimirum Sacramentis: extra quæ cum nulla sit promissio de virtute tanta Symbolorum externorum & naturalium, peccant omnes, qui illa ad supernaturales usus accommodare satagunt; atque hinc omnes divinatoriæ sortes ceu impiæ damnantur.

§. 10. Sed forte dicet aliquis: *Quid facimus? quia auguria ista vel characteres vel divinationes frequenter nobis veritatem annunciant?* Sic dubium movet D. Augustinus, qui statim hac responsione occurrit: *De hac re Scriptura nos contestatur & monet dicens: Etiamsi vera dixerint vobis, nolite credere. Tentat enim vos Deus vester, utrum eum timeatis, an non.* Salvator certe cavere monet à prophetis in nomine Divino vaticinantibus, nec Diabolos etiam vera loquentes audiri vult, sed jubet obmutescere. Quis ideo calendario secure credat, quod vera nonnunquam prænunciet?

Quid amentius potest esse quam credere hosti? quid stultius, quam adhibere fidem ei, qui in veritate non stetit, quia non est veritas in eo? imò, qui etiam cum vera loquitur, mentitur: loquitur enim ut fallat. Nempe sicut lignea sagitta non penetraret, nisi cuspis ferrea præfixa viam aperiret; sic multi Diabolo mentienti non crederent, nisi vel vero, vel specie veri deciperentur, ait benè Stengelius. Rarissima sunt exempla sortium divinatoriarum, censuræ huic non obnoxia; idque ideo, si talia sint, laudanda & admiranda, non imitanda. Tale est, quod ex Leoncl. pandect. Turc. referunt: superiori seculo factum à Patriarcha Joachimo, qui vixit An. 1581. & anno ætatis 113. fidem Christianam admirabili fato illustravit. Cum enim Judæus aliquis Rabbinus coram Sultano principe post molesta verborum certamina ipsi in probationem veri Messiæ Christi poculum veneni exquisitissimi plenum hauriendum detulisset, forti & pio animo id evacuavit, sine ulla læsione, nisi quod facies palloris aliquantum contraheret. Cum autem idem Judæo in eventum fidei aquæ poculum deferret, ille quidem parato animo id hausit, at protinus rupto ventre coram omnibus exanimis concidit. Rem admiratus Sultanus summa imposterum benevolentia Christianos amplexus est, Judæis autem ex animo exosus, quod vero factum non admodum benè sorti divinatoriæ annumerandum quis æstimet, cum poculum veneni Patriarcha non elegerit, sed oblatum acceperit. Commodius aliud recensetur, quo vero sortes divinatoriæ accusantur potius

quam

quam excusantur: Cum enim sub Andronico Palæologo Imper. Ecclesia esset scissa, convenerunt, ut quælibet pars sententiam suam chartæ inscriptam igni committeret, ut quæ salva maneret, cognosceretur vera: aliis enim Beco, aliis Josedho, aliis Arsenio adhærentibus, Imperator natura mitis, ut tolleret scandala, Gregorium Cyprium provexit ad Cathedram, sed eo consilio dissidia haud conciderunt. Tandem Adramyttij Synodus acta, placuitque post multa verborum certamina cujusque opinionem libro consignatam in ignem mitti, divinumque de ea experiri judicium. Cujus charta incolumis transiisset, ea pars vinceret. At ignis chartas omnes redegit in cinerem, non sine derisu eorum, qui Ecclesiam alieno tempore nullamque ab sufficientem causam turbarent. Itaque omnes Gregorio Cyprio assensi interque se uniti Becum & reliquos pontificiarum partium exilio & dignitatum amissione damnarunt, ut refert Cluverius in vita Andron. Palæol.

CAP. XXII.

De
Sortitione super duobus hircis sacris.

§. I.

DE usu sortium in genere hactenus diximus, nunc ad Historiam illarum plenius per-

texendam, in specie videbimus earundem usum in sacris, foro, castris, & ædibus privatis. In sacris autem primò occurrit sortitio illa solennis & sacra, quâ festo Expiationum duo hirci distribuebantur, alter Domino, alter Asaseli, descripta Levit. XVI. 7. seqq. Non quidem totum negotium istud, mysteriis plenum, vacat excutere, fecerunt id alij nominatim D. Sebast. Schmidius in Disp. de Hirco apopompæo: verum ea duntaxat delibabimus, quæ sortes nostras attinere & illustrare videntur, adhibitis Talmudistarum, præsertim Mischnicorum traditionibus; quarum authores partim tempore stantis adhuc templi secundi vixerunt, cultumque sacrum illius coram inspexerunt, præcipuos tamen Commentatores Hebræorum non negligemus.

§. 2. Personæ sortes istas sacras administrantes, in S. historia nominantur disertis verbis, Aaron nimirum Pontifex M. cui verò Talmudici alios principes Sacerdotum adjungunt, unum à latere dextero, alterum à sinistro. Sic enim tradunt in tractatu Joma, cap. 3. fol. 37. 1. בא לו למזרח העזרה לצפון המזבח הסגן מימינו וראש בית אב משמאלו ושם שני שעירים וכו׳. *Cùm venerit, Sacerdos Magnus, in partem atrij orientalem quæ est latus altaris septentrionale, Segen* (Sacerdos Pontificis Vicarius, dignitate Sacerdoti M. secundus) *erat à latere ejus dextero, & Princeps familiæ à sinistro ejus, ibidemq; erant duo hirci nec non capsula*, &c. De Segen isto egimus peculiari capite in opere nostræ vestiario, lib. 2. nec hîc repeto.

repeto. Princeps familiæ erat caput familiæ alicujus, & Patriacha. Totus populus Israel distinguebatur in tribus: tribus in familias seu domos: quælibet familia habebat Principem aliquem primatem, אבא, Abbatem, &c. Quæ cujusvis fuerit functio seu ministerium in sortitione hac, sequentia monstrabunt. Diversæ autem quæstiones hic se obvias offerunt, veluti, quâ veste fuerit indutus Pontifex M. cum sortitionem istam faceret? notum est, multoties Sacerdotem M. festo expiationum vestes aureas & albas permutasse; quando vero aureas, octo, induerit, & quando albas, quatuor, succinctâ regula docet Majemonides in Jadh chass. part. 3. hilch Ministerij diei Expiationum cap. 2. §. 1. כל מעשה התמידין והמוספין של יום זה כהן גדול עושה אותן והוא לבוש בבגדי זהב: ועבודות תמיוחדות ליום זה בבגדי לבן. *Omnia opera, quotidie alias fieri solita in Sanctuario, & quæ hoc quoq; die non omittenda, Sacerdos M. facit, indutus vestibus aureis: ministeria autem huic diei propria, vestibus albis.* Quibus statim subjungit: ועבודה המיוחדת ליום זה היא מעשה הפר של כהן גדול ושני השעירים שאחד מהן שעיר המשתלח: והקטורת הקטורת בקדש הקדשים: כל אלו בבגדי לבן הם נעשים. *Ministerium huic diei proprium est apparatio juvenci Sacerdotis M. & duorum hircorum, quorum alter est emissarius. & suffumigatio suffimenti in Sancto Sanctorum. Singula hæc fiebant in vestibus albis.* Vide de hac re disputationem, in Tract. Talm. Kidduschim. fol. 14. 1. in Tosephos. Difficultas aliqua videtur inde esse, quod sortitio ista facta fuerit exterius; dicunt

autem in Tosephos d. l. לא כתיב חק אלא בדברים הנעשים בבגדי לבן בפנים והגרלה הוי בדברים הנעשים בבגדי לבן בחוץ: Non scribitur vox Chok (quæ extat Lev. XVI. 29.) nisi de rebus, quæ factæ sunt in vestibus albis interius: sortitio autem erat ex illis rebus, quæ fiebant in vestibus albis exterius. R. Salomo videtur contrarium statuere, ad vers. 23. ubi quæ cum hirco acta sunt, refert inter ea, quæ facta בחוץ בבגדי זהב, exterius in vestibus aureis; Sed loquitur R. Sal. de hirco eo, cujus mentio fit vers. 15. non de eis, super quibus sortitio facta; manemus ergo in regula Majemonidis. Locus, in quo sortitio facta, vocatur Janua tentorij sacri, vers. 7. quod in antiquo libro Siphra, ad h. l. ita exponitur: מעמידו בשערי ניקנור אחוריהם למזרח ופניו למערב: statuit illum in portis Nicanoris, quarum pars posterior est versus Orientem, & anterior versus Occidentem. Quem locum vide expositum in commentario R. Aharonis Aben Chajim, nec non Sheringhamio, & aliis pluribus.

§. 3. Instrumenta sortitionis hujus sacræ erant urna & sortes, urna vocatur Hebræis קלפי, ut in Mischna tractatus Joma habetur: ושם שני שעירים וקלפי היתה שם ובה שני גורלות של אשכרוע היו וכו' Atq; ibidem erant duo hirci, & urna quoq; ibi erat, in qua erant duæ sortes, buxinæ fuerunt. קלפי generaliter vas omne significat, in quod sortes conjiciuntur. Aquinas קלפי' הארגז שמונחים בו הפתקין להפיל, Calpi arca est, quæ tabellas projiciendis sortibus imponant. Dictio Græca est, Græcis enim κάλπη & κάλπις urnam significant, cui sortes injicere solebant, si quid forte sortibus commissuri erant. Lucianus in Hermot. καλ-

Κάλπις ἀργυρᾶ τεθεῖσα ἱερὰ τῷ Θεῷ, ἐς ταύτην ἐμβάλλουσι κλῆροι μικροί, ὅσον δὴ κυαμιαίους τὸ μέγεθος, ἐπιγεγραμμένοι. *Argentea urna Deo sacra in medio posita est, in illam sortes parvæ, fabæ magnitudine conjiciuntur, literis inscriptæ,* &c. ut Sheringham commentatur. vide supra Cap. 12. In Lex. Talmud. vertitur vox hæc arcula, pyxis. R. Mos. Majem. in perusch hammischn. exponit esse צלי עץ חלול, vas aliquid ligneum concavum; glossa interpretatur vernaculè אש"קורן, quod divino esse *scrinium*, quasi scribendum sit אש"קרינין: non dubium est, quin significet urnam sortitioni vulgarem. De materia nec non capacitate ejus disputant in Gemara Joma fol. 39. 1. אמר רבא קלפים של עץ היתה ושל חול היתה ואינה מחזקת אלא שתי ידים מתקיף לה רבינא בשלמא אינה מחזקת אלא שתי ידים כי היכי דלא ליכוין ולשקול אלא של חול נקדשים א"כ הוה לה כלי שר' של עץ וכלי שרת דעץ לא עבדינן ונעבדי' דכסף ונעבדי' דזהב דתורה חסה על ממונן של ישראל: *Rabba dixit, arculam ligneam fuisse, & profanam* (אינה מקדשת, non consecratam) *nec plus comprehendisse capacitate sua quam duas manus. Cui regessit Rabena, id quidem bene se habere, non capaciorem fuisse quam duarum manuum, ne scilicet Sacerdos* (sortes trahens) *potuerit attendere & dignoscere* (sortes) *At illud minus congruum videtur, quod h. m. profana sanctificantur ad usus sacros, cùm vasa ministerialia hac ratione essent lignea; at verò vasa sacri cultus non solent fieri ex ligno, sed potius vel fiunt ex argento vel auro;* (quod autem urna ista ex ligno facta, inde est) *quia Lex parcit facultatibus Israelitarum.* Breviter Majemon. in Jadh d. l. ומניחין שני הגורלות

הגורלות בכלי אחד המחזיק שתי הידים· כדי שיכנים שתי ידיו ולא יתכוין· וכלי זה חול הוא· ושל עץ היה· וקלפי שמו· *Duas sortes immittebant vasi uni, capienti duas manus, ut duas manus immittat, nec attendere possit vel deligere sortes. Vas hoc erat profanum, nec non simul ligneum, vocatum Calpi.* Per errorem factum est, quod in Lex. Talmudico scriptum est: *Arcula ista scribitur primo fuisse ex buxo, quam postea Jehosua ben Gamla, cum esset Pontifex Maximus fecit ex auro.* At non de arcula seu urna, sed de sortibus intelligendum esse locum Talmudicum, ipse textus evincit, ut mox porrò fiet manifestum. Commune ergò hoc habuerunt vetustissimi Hebræi cum alijs gentibus, ut ex urna traherent sortes, eique præfectum aliquem peculiarem assignarent, non in profanis tantùm, sed sacris etiam locis, ut supra ostendimus.

§. 4. Sortes erant primò ligneæ, deinde verò aureæ, ut Talmudici tradunt. Sic enim legitur in Jona d. l. ובה שני גורלות של אשכרע היו ועשאן בן גמלא של זהב והיו מזכירין אותו לשבח· *In illa urna duæ erant sortes ex asceroa, cedro vel buxo: Filius Gamla autem fecit eas ex auro, quod cum laude de eo prædicabant.* אשכרוע diversimode exponere solent: Lex. Talmudicum ait cedri esse speciem, & legi pro Hebræo תדהר, quod alij ulmum, fagum, pinum, alij arborem oleosam interpretantur. Jes. XLI. 19. alij abietem, quæ Talmudicis שאגא sit: alij ajunt esse buxum, unde Ezech. XXVII. 6. דפין דאשכרוע, tabulæ abieginæ vel buxeæ. Confer Jes. LX. 13. Incerta igitur est significatio vocis istius. Sheringhamius

mius quidem per buxum reddit, Majemonidem secutus, sed nec ipse certum se esse profitetur. In Chaldæo Jes. XLI. usurpatur pro תאשור, ut & Jes. LX. atque in Ezechiele similiter Jonathanem usurpasse inde patet, quod cum in Hebræo sit בית אשורים, ipse legit pro una voce בתאשורים, ut Schindlerus observat, forte ex R. Sal. & R. D. Kimchio. Quid verò est תתאשור Buxt. in Lex. Hebr. reddit Buxum: & ibidem ex telammedenu affert, esse cedri optimam speciem, q. d. מאושר מכל מיני ארזים, felicissima & præstantissima inter omnes cedrorum species. Schindlerus myrtum, buxum, interpretatur. R. Salomo in genere recenset inter arbores סרק, inanes, steriles, quæ usurpari solent ad ædificia, ut & R. AbenEsra generaliter תדהר & תאשור ait esse arbores, quæ crescunt circa fluvios, &c vide Kimchium ad h. l. ubi ait, doctores suos exponere per שור"בינ sorbena. Ut & R. Jonam, Arabicè ישור'בין. Baal Aruch per ב'קס, vernacule per בו'סו, Buchs/ buxus. Majem. similiter in perusch hammisch: Jom. 37. 1. אשקרוע קורין אותו בערבי ב'קס והוא בלשון עברי ברוש, Esceroa vocari Arabice Baks, Hebraicè Berusch. Retineamus ergò communiorem significationem istam. Cùm itaque extra dubium sit, ligni vel arboris speciem fuisse, atque in textu S. nulla certa materia sortibus sit determinata, Doctores Hebræorum statuunt, potuisse sortes illas fieri ex qualibet materia, dummodo ad vitandam fraudem fuerint sibi similes. Sic Rambam in Hilch. Jom Hakkip. c. 3. §. 1. והן כשרין מכל דבר • בין מן העץ • בין מן

מן האבן· בין מן המתכת· אבל לא יהיה אחד גדול ואחד
קטן· אחד כסף ואחד זהב· אלא שניהם שוין· ושל עץ היו:
Sunt autem illæ rectæ ex quacunq; licet fuerint materia, ſive lignea, ſive lapidea, ſive ex metallo: non tamen una debet eſſe major, altera minor. uno ex argento, altera ex auro: ſed utraq; ſimilis. olim autem erant lignea, quæ ex Gemara tractatus Joma collecta ſunt, ubi ajunt Talmudici: מרה ת"ל גורלות שיהיו שוין
שלא יעשה אחד של זהב ואחד של כסף אחד גדול
ואחר קטן גורלות של כל דבר פשיטא לא צריכא
לכותניא לפי שמצינו בציץ שהשם כתוב עליו והוא של
זהב יכול אף זה כן ת"ל גורל גורל ריבה ריב' של זהב ריב'
של אגוז ריבה של אשכרוע: *Quando dicitur ita ſimpliciter goraloth, ſortes, innuitur, quod debeant eſſe ſibi ſimiles, non una facta ex auro, altera ex argento, una magna, altera parva; ſortes ex qualibet materia ſimpliciter; nec opus habet doctrina tali, ut de Lamina ſacra legimus, cui nomen divinum inſcriptum erat, eaq; fuit aurea; quaſi & hîc ita debeat eſſe in ſorte, cui nomen Dei inſcribendum fuit, ac ſi debuerit ex auro eſſe: propterea hîc tantùm nude dicitur, ſors, ſortemq; includit quamlibet, includit ſortem ex olea, includit ex nuce, includit ex buxo.* Vult dicere, de lamina ſacra dicitur clare, auream debere eſſe, hic verò tantùm generaliter dici ſors. Confer Siphra, ad Lev. 16. fol. 167. 2. His ergò ſortibus duabus inſcripta ſunt nomina, alteri quidem nomen Dei, alteri nomen Aſaſelis; ſcil. nomen Dei, uti vocatur, ineffabile, tetragrammaton, יהוה: nam ut Rambam in peruſch hammiſch. docet: כל מקום
שזכר בזו המסכתא שם רוצה בו שם המפורש רוצה
לומר יוד ה"א וי"ו ה"א: *Ubicunq; in hoc tractatu memora-*

moratur nomen, indicat nomen expositum scil. יהוה ipsis nimirum his literis, cum vocula præfixa ל sic nim. ליהוה alteri verò sorti seu schedulæ inscribebantur לעזאזל Quid verò Asasel sit, disputant Commentatores, quos videat, qui plura desiderat. Ego cum R. Salomone existimo, esse nomen montis duri, asperi, præcipitis, contigui monti Sinai, ut AbenEsra nomine alicujus adducit.

§. 5. Forma sortitionis hujus solennis à R. Mose Majem. hoc modo recensetur, in Jadh Chasf. part. 3. hilck. Jom Hakkipp. c. 3 §. 2. היכן מגריל במזרח העזרה בצפון המזבח מניחין שם הקלפי ומעמידין שני השעירים פניהן למערב ואחוריהם למזרח וכהן גדול באלשם והסגן מימינו וראש בית אב בשמאלו ושני השעירים לפניו אחד לימינו ואחד לשמאלו ג טרף בקלפי והעלה שני הגורלות בשתי ידיו לשם שני השעירים ופותח ידיו אם של שם עלה בימינו הסגן אומר אישי כהן גדול הגבה ימינך ואם בשמאל עלה ראש בית אב אומר לו אישי כהן גדול הגבה שמאלך ונותן שני הגורלות על שניהם של ימין על ימין ושל שמאל על של שמאל, id est, *ubinam & quomodo sortitio fiebat? In parte orientali atrij, à parte meridionali altaris, ibidem collocabant urnam, sistebantq; duos hircos, quorum facies versa erat erga occidentem, & posteriora versus orientem. Tum accedebat illuc Sacerdos M. & Vicarius ejus illi stabat à dextra, & Princeps familiæ à sinistra: §. 3. Concutiebat urnam*, ut sortes miscerentur; *educebatq; duas sortes duabus manibus, propter duos hircos* (quibus imponendæ erant sortes) *aperiebatq; manus suas. Si sors Dei* (cui nomen יהוה, erat inlignitum) *ascendit*

dit in dextra ejus: Vicarius dicebat, mi Domine Sacerdos Magne, attolle in altum dextram tuam. Sin in manu siniſtra aſcendit (ſors Domini) *Princeps familiæ dicebat ei, mi Domine Sacerdos M. attolle ſiniſtram tuam: tuncq; duas ſortes ſeu ſchedulas imponebat duobus illis* (hircis) *dexteram* (ſortem in manu dextera) *hirco dextero, & ſiniſtræ manus ſortem ſiniſtro.* Excerpta ſunt hæc ex Miſchna Talm. tom. 39. 1. ubi etiam additur, Sacerdotem M. imponendo ſortem dixiſſe: *Hoc eſt expiatorium Domini pro peccato.* R. Iſmael autem ſtatuere, non opus eſſe addere חטאת, ſed ſufficere dixiſſe: *Domini* (hæc eſt ſors) atque tum poſt Sacerdotem ſtantes reſpondiſſe: *Benedictus ſit Deus, gloria regni ejus eſt æterna.* In Gemara alia diſputatio & ſententia narratur, nimirum R. Jehudam, nomine R. Elieſeris dixiſſe, & Vicarium & Sacerdotem M. manus ſuas immiſiſſe urnæ, & ſi ſors Domini educta fuerit dextera Sacerdotis M. Vicarium dixiſſe, Domine Sac. Magne, attolle dexteram tuam, &c. quod ſi autem dextera Segenis ſeu Vicarij aſcendiſſet, Principem familiæ dixiſſe ad Sacerdotem M. Loquere verba tua (Hæc eſt expiatio Domini pro peccato) &c. Sed hæc traditio ſeu ſententia non eſt recepta; nam Vicarij Sacerdotis, Segen dicti, officium tantùm erat in caſu eo munus ſacrum obire, ſi Sacerdoti M. caſus aliquis, quo eſſet contaminatus, accidiſſet; quomodo R. Salomo in gloſſa h. l. ait, *ſe audiviſſe ex Rabbenu Jizchak, filio Jehuda; Cur Segen conſtitutus eſt? ut ſi accideret aliquid profani* (vices Sacerd. Magni ageret) *At quandiu talis caſus ei non accideret, Segen nullo mini-*

niſte-

nisterio unquam fungi debuisse; ignominiæ hoc fuisset Sacerdoti M. si sors non ipsius manu ascendisset, potuisse etiam Vicarium varia in Sacerdotem M. minus congrua effutire, &c. uti est in Gemara d. l. Non possum quoque hic præterire, quin tangam animadversionem Sheringhami in Buxtorffium, quem lapsum hic scribit, quod verbum טרף reddiderit in Lex. Talm. per disrupit, in voce קלפי: non veretur autem idem in tractatu suo Joma, in præfatione ad Lectorem aperto ore pronunciare: *Pauca quædam ex his notavit Buxtorffius, sed ubiq; ferè lapsus, ut in Commentariis nostris ostensum est.* Quam vulpeculæ adversus Leonem gloriolam ego non magni existimo. Quoad verbum modo adductum, ipse Buxtorffius in Lex. Talm. exponit per quatere, conquassare, miscere, discerpere, disrumpere, &c. & in dissertat. seu historia Urim & Thummim per miscuit reddidit, ut hâc Sheringhamij castigatione non haberet opus: quod verò Vir Magnus Buxt. per *disrupit* transtulit, videtur respexisse ad Gemaram, & gloss. Talm. ad Jom. 39. 1. ubi ita legitur: למה ליטרף בקלפי כי היכי דלא ידעי ליכתין ולישקול, *Cur rapiendum raptim, furtim quassandum est in urna? ideo, ut hoc modo non posset attendere, deligere & dignoscere sortes*, quænam esset Domini & quænam Asasel, atque hac ratione sortem Domini dextera producere, & fraudulenter agere. Gloss. ad Mischnam: טרף פתאום בטריפה ובחטיפה, *disrupit, vel miscuit, diremit* (urnam) *subito & per suffurationem quasi*: שלא ימשמש להבין במשמושו איזה של שם ויטלנו בימין לפי שהוא סימן

יפה כשהוא עולה בימין, *ne contrectet & palpet, ut cognoscat contrectando sortes, quænam sit Dei, atq; eam apprehendat dexterâ: erat enim hoc signum & omen auspicatum, si illa* (sors Domini) *dexterâ ascenderet.* Quem locum Sheringhamius non satis perpendit, aut non intellexit. Convenientissima igitur est significatio vocis טרף per furtivam, & celerrimam manus immissionem & sortium extractionem ex urna. Non tamen me latet, alibi glossam Talmudicam per mistionem exponere verbum idem, nimirum in historia divisionis terræ S. de quo infra suo loco. Sic ergò, si sacerdotis M. manu dextera sors Domini, i.e. schedula, nomine Divino notata, adscendisset absque ulla humana industria & fraude, magnæ lætitiæ & ovationis causa extitit, quippe certo benignissimi & reconciliati Numinis signum id erant interpretati: unde ut ibidem legitur, tradiderunt Magistri veteres, quod quadraginta annis ante destructionem domus seu Templi non fuit sors (Domini) ascendens in dextera, nec fuit lingua splendoris in albedinem conversa, &c. vide Galat. l. 4 c. 8. arc. Cath. Ver. revel. ubi etiam addit, In Talmud Hierosolymitano sic legi: *Omnibus diebus, quibus fuit Simeon justus ministrans, erat sors nominis Dei ascendens in dexteram, & lingua splendoris albescens, lumenq; vespertinum semper ardens. Quadraginta verò annis, antequam domus Domini destructa esset, extinguebatur lumen vespertinum, & lingua splendoris rubefiebat ut sanguis, & sors Nominis Dei in sinistra ascendebat,* &c. De lingua splendoris seu coccinea vide etiam alibi in Talmude, Schabb.

Schabb. fol. 86. 1. in Miſchna. Roſch haſchſchánah. fol. 31. 2. & qui Talmudem non habeat, videat Abbrev. Buxt. in recenſ. operis Talm. nec non Sheringh. annotata in Joma; Quando ergo ſors tam auſpicate cecidit, Sacerdote M. palam manu ſua dextera ſortem Domini exhibente, magna adſtantium & ſpectantium exorta eſt lætitia, ſolenneſque & gratulabundæ Deum laudantium voces; triſtes verò querimoniæ & ſuſpiria, ſi minus auſpicate ſortes eveniſſent. Quid verò poſtea cum ſingulis hircis actum fuerit ſortitione peracta, vide in Talmude, & Rambam in Jadh, d. l. & Commentatoribus, Petro Cunæo de Rep. Hebr. l. 2. c. 6. Hugone Grotio ad Lev. 16. D. Seb. Schmid. de hirco apopomp. & pluribus alijs.

§. 6. Quemadmodum vero in puro & divino cultu ſacrificia hæc expiatoria pro peccatis, & placando Numine ſorte ſunt ſelecta: ſic eundem ritum cacodæmon ſuo impuro cultui induxit, ut ipſos etiam homines Diis ſuis immolarent idololatræ, ſorte lectos. Id intendit Poëta, l. 6. Æn. his verbis:

In foribus lethum Androgeo tum pendere pœnas
Cecropidæ juſſi (miſerum) ſeptena quot annis
Corpora natorum, ſtat ductis ſortibus urna.

Super quibus Tiraquellus ex Servio notat: *ob mortem Androgei, Minois filij, ab Athenienſibus illatam, Minos illis devictis eam pœnam indixit, ut ſingulis annis ſeptem filias totidemq; filias Minotauro edendos darent, quos illi ut commune omnium eſſet periculum, ſorte accipiebant: tandemq; tertio anno id Theſeo Ægei Regis filio*

sorte evenit. Nam & id prope omnibus sollenne erat, ut sorte ad pericula vocarentur. Videantur de fabula hac, quæ prolixa est, siquidem fabula sit, alij authores. Idem Tiraquellus in eandem rem adducit versus ex Pausania, l. 3. istas:

Κορὴν ἄχραντον νεοτέροισι δαίμοσι
Κλῆρῳ λαχέσαν Αἰπυτίδων ἀφ' αἵματος
Θυηπολεῖτε νυκτεροισιν ἐν σφαγαῖς.

i. e. *Puellam intactam inferis diis sorte acceptam ab Æpytidarum sanguine mactate nocturna mactatione.* Meminit idem Pausanias l. 3. loci, in quo Dianæ Orthiæ id est, erectæ, sacellum fuit, ubi antiquitus homines ex oraculo sorte ducti mactabantur. Sic & Eubœa à Callisthene patre, pro salute Patris, & Colophonia ab Erichtæo quoque patre pro Athenienſibus ex sortibus mactatæ sunt, ut prodit Julius Hyginus, fabularum c. 238. Et olim apud Phœnices & Carthaginenses diu observatum fuit, ut infantes, principum filios, sorte ductos regio ornatu Saturno immolarent, & quas sors morti destinaret subtrahere non licebat, ex quo Imilce Hannibalis uxor, cum Aspar ejus filius ex sorte mactandus esset, dolenter hæc dicit apud Silium, ad fin. l. 4. Punicorum.

Quæ porro hæc pietas, delubra aspergere tabo?

Allegat deinde Lactantium, lib. 1. c. 21. Euseb. l. 4. præp. Ev. nec non Pausaniam, qui parall. c. 66. recenset, cum pestilentia Lacedæmonem vexaret, relatumque esset oraculum ex Apolline, finem mali fore, si quotannis virginem quampiam generosam immolarent, sorte eam virginem

nem assumebant. Ex eodem, cap. seq. adducit, de Phalerorum pestilentia, ut scilicet in sortem vocarent, quam immolarent. Simile fere est, quod Justinus refert lib. 21. c. 3. de Dionysio tyranno, *qui cum rapinæ alia accasio deesset, universam Locrensium civitatem callido commento circumvenit. Cum Rheginorum tyranni Leophronis bello Locrenses premerentur, voverant, si victores forent, ut die festo Veneris virgines suas prostituerent. Quo voto intermisso, cum adversa bella cum Lucanis gererent, in conditionem eos Dionysius vocat: hortatur, ut uxores filiasq; suas in templum Veneris, quam possint, ornatissimas mittant: ex quibus sorte ductæ centum, voto publico fungantur, religionisq; gratia uno stent lupanari mense: omnibus ante juratis viris, ne quis ullam contaminet: quæ res ne virginibus, voto civitatem solventibus, fraudi esset, decretum fecerunt, ne qua virgo nuberet, priusquam illæ maritis traderentur. Probato consilio, quo & superstitioni & pudicitiæ virginum consulebatur, certatim omnes fœminæ impensius exornatæ, in Templum Veneris conveniunt, quas omnes Dionysius immissis militibus spoliat, ornamentaq; matronarum in prædam suam vertit.* Egregia scil. vata, pulchra concepto animo erga Deum gratitudinis pignora! filiorum & filiarum charissimarum mactationes & immolationes, Virginum prostitutiones ad stupra. His nimirum sacrificiis Deus ille gentilium placatur, huic grata sic fiunt sacrificia. De horrendo nefando more isto τεκνοθυσίας plura scripserunt docti, quæ non attinet hîc recensere. Id saltem obiter hîc monendum, non prorsus absimile votum nuncupasse Jephtam, vovendo in debitam Deo

pro parta victoria gratitudinem, ut, quicquid primum ei obvium esset, consecrare aut immolare velit Deo: occurrit autem filia unigenita, quasi sorte ita eveniente: virginitatem ergo deplorat, mactatur, immolatur: Cui? Deo, Jud. XI. 30. seqq. Confer 2. Reg. III. 27. & plurima ejusmodi loca ex sacris de immolatione filiorum, vide de hoc voto Seld. de Jure N. l. 4. c. 11. Huc referri potest exemplum suspensorum septem filiorum Saulis, 2. Sam. XXI. 1. seqq. de quo Talmudici in Jebh: fol. 79. 1. scribentes: electionem illorum factam esse coram arca: quos enim hæc prehendebat & detinebat, ad mortem; quos dimittebat, ad vitam fuisse destinatos divinitus, &c. atque hoc modo famem in Israel expiatam & ablatam, &c.

CAP. XXIII.

De

Distributione Sacerdotum in certas classes per sortes.

§. I.

SUpra explicavimus sortitionem, qua Aaron cum posteris & tota familia in Sacerdotij summi jura non tam electus, quam confirma-

firmatus est : pridem enim eidem Deus rerum omnium humanarum veriſſimus Dominus & arbiter, dignitatem iſtam ptæ aliis aſſignavit: quemadmodum autem ferè fieri ſolet, ut conſtitutiones novorum Magiſtratuum aliorumque honorum in rebus civilibus & Eccleſiaſticis impedita habeant principia ; ſic in populo Iſrael recens ex Ægypto liberato multi livore & invidia æſtuantes malignis oculis intuebantur gloriam iſtam ſacerdotalem, maledicis quoque linguis eandem allatrabant. Hos ut compeſceret Deus, ad ſortitionis judicium litem hanc detulit, ut ejusdem religione, quâ vulgo pollebat, ſeditioſi caſtigarentur, litesque componerentur. Inde factum, ut Aaron quiete jura ſua obtineret: ſed indies creſcente populo, muniisque ſacris ſimul auctis, ne quotidianæ inter ſacerdotes æmulos ſuborirentur rixæ, inprimis ſtante jam templo ſecundo, à ſummis Magiſtratibus pie & prudenter factum eſt, ut ſtationes & officia ſacra in familias, perſonas, tempora, loca, diſtinguerentur, quod opus, quæ cura iterum ſortibus demandata fuit, præſertim tempore templi primi & ſecundi. Eſt enim aliqua diverſitas inter tempora Sanctuarij Moſaici & utriusque templi. Quantum ad inſtitutum ſufficere putamus, ipſam hiſtoriam ex probatis authoribus recenſebimus, quomodo ſcilicet diſtributio claſſium ſacrarum ſingulis temporibus peracta, & extremò fuerit obſervata.

§. 2. Quomodo Moſes claſſes ſacerdotales diſtribuerit, in ſacris literis clarè non memora-

tur, nisi quod Aharon duos habuerit filios, Eleasarum & Ithamar, atque sic duæ tantum fuissent classes. Sed Hebræi ajunt Mosen octo constituisse ex his duabus, nimirum ex singulis quatuor: sententiam horum Petrus Cunæus l. 2. c. 8. sic refert: *Fuere sacerdotes ex Levitis selecti, uti oblationes & sacrificia facerent, earumq; erant VIII. stationes à Mose constitutæ, è quibus quatuor ab Eleazare, totidemq; ab Ithamaro gentem suam deduxere.* fusius hæc tractat Seldenus de succeff. in Pontif. l. 1. c. 1. ubi adducit, quosdam tradere, Mosen in octo, alios in sedecim, ut singulæ familiæ distribuerentur, divisisse. Sed plures sunt, qui in octo statuunt. Diversimodè rem enarrant Talmudici in Taanith f. 27. 1. אמר רב משרת תקן להם לישראל שמונה משמרות ד' מאלעזר וד' מאתמר בא שמואל והעמידן על שש עשרה בא דוד והעמידן על עשרים וארבע וכו' *Rabh dicebat, Mosen Israëlitis ordinasse octo custodias, quatuor ex Eleasar, & quatuor ex Ithamar: Venit Samuel, constituens in sedecim: venit David, disponens in viginti quatuor, &c.* Et sic in Talm. Hieros. quod vide in Seldeni loco allegato. Sed statim traditio ista aliter recensetur, Mosen octo custodias seu classes, Davidem autem & Samuelem viginti quatuor ordinasse: atque iterum aliter Mosen 16. scil. 8 ex Eleasaro, & 8 ex Ithamaro: cum verò filij Eleasari magis quam Ithamari augerentur, constituisse 24. &c. Rambam in Iadh, part. 3. hilch. Kele hamikdasch, C. 3. §. 9. de Mosis distributione nihil meminit, sed Samuelis tantum prophetæ, & Regis Davidis. R. Salomo ad 1. Paral. XXIV. 4. scribit

scribit, Mosen feciſſe 16. claſſes, poſt ubi poſteri Eleaſaris multiplicarentur præ filiis Ithamari, geminaſſe claſſes filiorum Eleaſari, ut fierent 16. quæ cum octo claſſibus Ithamari fecerunt 24. Sic etiam R. D. Kimchi ad h. l. recenſens aliorum quoque in hunc ſenſum ſuffragia. Videtur ergo vix certi aliquid de numero claſſium haberi poſſe ſub & à Moſis tempore uſque ad Davidem. Inſuper nec hoc invenitur, quomodo Moſes eas ordinarit, per ſortes an aliter? probabile tamen eſt, Moſen ſorte uſum, quippe commodiſſima erat & certiſſima diſtribuendi ratio, atque in eodem quoque David & Eſras Moſen ſecuti ſunt, ſorte utentes in ſacrorum ordinum diſpoſitione.

§. 3. Liquidior res eſt diſtributio claſſium ſacrarum à Davide facta, utpote ſatis aperte in S. hiſtoria conſignata. 1. Paral. XXIV. (XXV.) 4. 5. Succinctè Carolus Sigonius de rep. Hebr. L. 5. c. 3. totam rem complectitur: *Primi ſacerdotes Nadab, Abihu, Eleazar, & Ithamar, filij Aharonis ex mandato Dei veſtiti & conſecrati. Extinctis verò Nadab & Abihu, quod ignem alienum, non ſacrum, ſacrificiis intuliſſent. Remanſere Eleaſar & Ithamar, qui Pontificum & Sacerdotum progeniem prodiderunt. David autem cum ætate ſua ſexdecim eſſent familiæ ab Eleaſaro profectæ, octo vero ab Ithamaro, omnes ſacerdotes in 24. claſſes deſtinavit, atq; eis nomen impoſuit ab eo, qui tum illius familiæ principatum gerebat. Ordo vero eadem ſorte ductus eſt, ut una diceretur prima, altera ſecunda, & ſic deinceps, unde viginti quatuor ſortes à S. Eucherio dictæ. Nomina vero eorum, qui familiarum principes nomen claſſibus dederunt,*

derunt, hæc atq; hoc ordine fuerunt, ut scriptum est Cap. XXIV. primi paralip. Exivit sors prima Joaribh, secunda Jedei, tertia Charim, & quæ sequuntur hoc modo: 1. Joaribh. 2. Jedias. 3. Charim. 4. Seorim. 5. Melechias. 6. Benjamin. 7. Accos. 8. Abias. 9. Jesus. 10. Sichimas. 11. Eliasibh. 12. Jacim. 13. Epha. 14. Jesbaal. 15. Blega. 16. Emer. 17. Jetthi. 18. Aphisses. 19. Phettias. 20. Jeziel. 21. Achin. 22. Samuel. 23. Dalias. 24. Jebeli. Vide vero si plura petis, Seldenum, l. c. & D. Wagens. Sot. p. 944. seqq. Cunæum etiam l. c. qui ad Josephum Scalig provocat, *qui omnia divinè pertractaverit in Isagogicis Canonibus, quos in Eusebium publicavit*: qua laude eum quoque mactat D. Wagenseil. Quæ omnia cum Hebræorum unanimi consensu concordant, nec opus ut quicquam addatur. Hic ordo à Davide constitutus permansit ad tempora combusti templi primi, per secula quatuor & dimidium: quot etiam ferme duravit ordo à Mose institutus.

§. 4. Hæc distributio in classes 24. per sortes facta expresse memoratur ab autore paralipomenorum: scil. l. 1 cap. XXIV. 5. 6. 7. 31. cap. XXV. 8. 9. cap. XXVI. 13. 14. &c. Præsides & Inspectores sunt ex utroque ordine maximi ex populo, Rex, Pontifex, Principes, Sacerdotes, &c. Administrator sortium erat Schemajah, filius Nethanel, Notarius publicus. Materia erant schedæ scriptæ, & urnæ injectæ: unde dicuntur projectæ, sc. in urnam, & inde exiviſſe; ex quibus ipsa forma & modus sortitionis istius patet; hinc R. D. Kimchi ad c. 24. 1. paral. וכתבם שמעיה בן נתנאל הסופר שרים וארבעה משמרות ובית ראש׳

ראשי הגבורים ונתנם בקלפי ויצא וכו׳, *Et scripsit eas Schemajah fil. Nethanel, Scriba, nimirum 24. custodias, & familiam primatum, misitq; illas in urnam, unde exiit sors prima,* &c. Quod quomodo intelligendum, postmodum ex R. Salomone exponam. Personæ, pro quibus sortes jactæ, erant Sacerdotes omnes & Levitæ, excepto solo Pontifice: *Soli* enim *Pontifici omnia sacra, & omni tempore obire jus fasq; fuit,* ut Cunæus ex R. Majemonide cap. 5. Kele hammikdasch docet: hic enim l. c. scribit: ואינו עובד בפ״ס אלא כל עת שירצה להקריב מקריב כל מה שירצה׃, *Neq; ipse* (Sac. M.) *cultum administrat per sortem: verum quovis tempore, quò volupe ipsi fuerit sacrificare, sacrificat quicquid voluerit:* cæteris autem Sacerdotibus omnibus, magnis & minoribus, ordines sui & munia sorte designanda, ut nulla esset inter eos æmulatio. Sic Kimchius: כי לא נתן מעלה׃ לאחד מהם על חברו כי כולם היו שרי קודש ושרי האלהים מבני אלעזר ומבני איתמר לפיכך לא נתן להם מעלה׃ זה׃ על זה׃ להיות זה׃ קודם לזה׃ אלא כמו שעלה׃ הגורל להם כן היו לבד הכהון׳ הגדולה׃ שהיתה׃ מבני אלעזר׃, *Non enim David quenquam illorum altero superiorem constituit, cum omnes æquè fuerint principes sanctuarij & divini, ex filiis Eleasar, & filiis Ithamar; ideo non unum alteri antetulit & præfecit, ut alter altero esset major, sed quemadmodum sors unicuiq; eorum ascendit & assignavit, ita etiam se habebant: excepto solo Sacerdotio summo, quod erat ex filiis Eleasar oriundis:* Sic ergo divisi sunt inter se in certos ordines, quod vers. 5. innui volunt interpretes phrasi אלה׃ עם אלה׃, ut quælibet domus seu familia intelligeret, an prima, an secunda, an tertia, & sic deinceps esset,

esset, ut R. Salomo annotat: quæ tamen locutio posset etiam hoc modo exponi, scilicet scriptas fuisse 24. schedulas, & in singulis schedulis singula nomina familiarum sacrarum: iterum in aliis 24. schedulis nomina seu numeros custodiarum, prima, secunda, tertia, &c. hæ schedæ in duas urnas conjectæ, nomina sc. familiarum in unam, & nomina custodiarum in alteram: qui sortes trahebat, unam extrahebat ex illa, & unam ex hac: verbi gr. prima scheda seu sors scripta ex urna educta exhibebat nomen Abia: & deinde prima schedula numero 8. insignita, ascendebat ex altera: quæ duæ sortes collatæ constituebant familiam Abia in classem octavam; atque sic in cæteris omnibus 24. ordinibus & familiis: hac sortiendi ratione usus dicitur ab Hebræis Josua, ut suo loco videbimus. Sic ergo גורלות אלה עם אלה, notat, sortes eductas sibi fuisse adhibitas seu collatas, atque classes istas constitutas fuisse *æquatis sortibus*, ut Cicero loquitur alibi, quod supra allegatum. Non nego potuisse sortitionem fieri modo simplici, si nimirum ei familiæ prima ἐφημερία, assignata dicatur, cujus nomen prima sors extracta monstrasset; sed illa mihi probabilior hâc videtur. Existimat autem R. Salomon, vocem ויכתבם intelligendam non de scriptione sortium, sed Schemajam, Notarium publicum protocollo sacro inscripsisse ordines ut sorte ascenderunt לזכרון in memoriale perpetuum, monumentum publicum, fastos sacros, ut in ultima tempora reservaretur; ut vero de re hac ipsa non dubito, sic tamen per ויכתבם potius scri-

ſcriptionem ſortium innui exiſtimo, quia modo præceſſerat vox גורלות, ſortes: quomodo etiam Kimchius interpretatur.

§. 5. At cum per exercitum Nebucadnezaris templum prius, Salomonis dictum, fuerit funditus everſum, flammiſque extinctum, totuſque cultus ſacer miſere diſturbatus, ordo quoque iſte 24. claſſium à Davide conſtitutus, non modo per 70. annos captivitatis interruptus fuit, ſed ita ſublatus, ut ſacerdotes è captivitate reduces genealogiam ſuam indicare atque docere nequiverint, Eſr. II. 61. 62. magna igitur & accurata ſane operâ opus fuit, collapſa reſtituere, ut plurimi ſint valde dubitantes, num Eſra potuerit ordinem Davidicum ſecundum omnes claſſes reſtaurare; alij vero dicunt, feciſſe omnino illud Eſram: utraque pars ſuis nititur rationibus, quas breviter ponderabimus. Qui ajunt, Eſram hoc præſtitiſſe ut omnes ordines ſecundum nomina & numeros ſuos ad priſtinas familias & claſſes redierint, & ad extrema templi ſecundi fata permanſerint, producunt potiſſimum locum Luc. I. 5. Ἱερεύς τις ὀνόματι Ζαχαρίας ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά. v. 8. ἐγένετο δὲ ἐν τῷ ἱερατεύειν αὐτὸν ἐν τῇ τάξει τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ ἔναντι τοῦ Θεοῦ. vers. 9. κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας ἔλαχε τοῦ θυμιάσαι. Conferenda hæc cum 1 Paral. XXIV. 10. Et exiit לאביה השמיני, Abiæ ſors octava. adde 2. Paral. XXIII. 8. & Eſr. VI. 18. Nehem. XII. 24. ubi ordinem à Moſe & Davide introductum, ab Eſra denuo reſtauratum legimus. Accedit teſtimonium Joſephi, qui l. 7. c. 11. expreſsè ait, καὶ διέμεινεν οὕτω ὁ μερισμὸς ἄχρι τῆς σήμερον ἡμέρας, &c. diſtributionem à Davide factam intelligens. Idem Joſephus,

sephus alibi meminit familiæ seu classis Jojaribh, omnium ut vidimus primæ: nam in vita sua se oriundum gloriatur ex familia omnium præcipua & prima: similiter lib. 12. antiq. c. 7. ex Jojaribh scribit fuisse Matthatiam, Assamonæi nepotem, quod & lib. 1. Maccab. cap. II. 1. cap. XIV. 29. legitur. Talmudici quoque, quorum verba deinde proferemus, templi primi & secundi vastationem contigisse scribunt tum, cum classis Jojaribh administraret, quod ceu singulare aliquod & notatu dignum memoriæ posterorum tradiderunt. Quibus vestigiis insistentes Josephus Scaliger, Carolus Sigonius, & clarissimi quivis viri, eundem ordinem fuisse ἐφημερίδων templi secundi asseverant, & D. Wagens. in Sota hoc tanquam certum & extra omne dubitationis periculum positum sibi sumit, non falli Scaligerum & Calvisium, classes sacras ita statuendo, ut inde ceu ex principio liquido ad tempus nativitatis salvificæ concludant. vide etiam Drusium in præteritis ad Luc. I.

§. 6. Sed huic sententiæ alij nolunt suffragari. Nam Petrus Cunæus, solertissimus rerum Judaicarum scriptor, quum lib. 2. c. 8. Josephi testimonium, stationes omnes incolumes usque ad Hierosolymæ eversionem fuisse, nunquam ut permixta earum successio sit, allegasset, continuo subjungit: *Quod tamen verum est, si ab Enceniis Maccabæi per insequentia tempora retro descenderis. Atq; id profecto vel sic etiam incredibile fere est, in tanta rerum Judaicarum sursum ac deorsum euntium mutatione. Sed penes autorem fides esto.* In quibus autem Cunæus de nun-

nunquam interrupto ſucceſſionis & adminiſtrationis ordine dubitat, non negat ordinem ipſum 24. claſſium à Davide conſtitutum, ab Eſra autem reſtitutum. Cl. Seldenus ordinem eundem in iiſdem familiis, templi ſecundi temporibus permanſiſſe adeo negat, ut miretur id aſſerentium confidentiam: *Jam vero*, inquit, *quod obiter monendum, viderint interea viri Magni, qui ex diſtributione Davidica orbem ſeu cyclum hieraticum ſub templo faciunt ſecundo, adeoq; ex Enceniis Judæ Maccabæi, Jojaribi in diſtributione illa veteri, loco primo, atq; Maccabaica jugis ſacrifi ij inſtauratione, Abiæ apud D. Lucam memorati, ephemeriam octavam fuiſſe, quemadmodum in paralipomenis reperitur, fidenter admittunt.* Rationes, quibus nixus Seldenus virorum tam Illuſtrium authoritati non cedit, ſunt ſane ad perſuadendum maxime idoneæ, quæ ex l. 1. de ſucceſs. in Pontif. cap. 1. & XI. collectæ iſtæ ſunt: Neh. VIII. 39. quatuor tantum recenſentur ex primis claſſibus 24. à Davide ordinatis, familiæ aſcendiſſe ex Babylonia, quod porrò patet ex Neh. XI. 10. c. XII. 1. ſeqq. ubi capita tantum enumerantur, appoſito ſimul numero eorum, quos quiſque princeps familiæ ſecum adduxerit ad reparandum cultum, & templum ſecundum extruendum: quamplurimi vero ex Sacerdotali & Levitico genere non minus ac ex plebejo ſtatu remanſerunt in Babylonia. Firmatur & declaratur idem luculentius ex Talmude Hieroſolymitano, quod verbis Seldeni adducemus: *Familiæ illæ quatuor, ne claſſium numerus alius, quam qui ſub templo primo obtinuerat, haberetur, in viginti quatuor itidem (ſic illi Talmudic,) ſorte tributæ*

tributæ sunt, statuto etiam, ut jam dignitatis atq; ordinis prærogativa non ex vetustiori illa omnino, sed ex hac tantum distributione penderet. Gemara Hierosolymitana ad tit. Tajnoth. seu de jejuniis, fol. 68. col. 1. ארבע משמרות עלו מן הגולה ידעיה חרים פשחור ואמר והתנו עמהן הנביאים שבניהן שאפילו יהוריב עולה מן הגולה שלא יחזה את המשמר שלפניו אלא יעשה טפילה לו ועמדו הנביאים שבניהן ועשו כ"ד גורלות והטילום בקלפי ובא ידעיה ונטל חמש והוא הרי שש ובא חרים ונטל חמש והוא הרי שש והתנו עמהן הנביאים שבניהם שאפילו יהוריב עולה מן הגולה שלא יחזה את המשמר שלפניו אלא יעשה טפילה לו: quatuor classes ascendebant è captivitate, Jedajah, Harim, Paschur, & Immer: Pactum autem cum eis inierunt Prophetæ, qui inter eos (viri inter eos præstantiores) nec quidem Jehojaribum, si è captivitate ascenderet, prærogativam habiturum præ classe (jam sorte) ante eum constituta, sed ei tantum fore adjungendum. Ex authoritate igitur prophetarum, qui inter eos, fiebant sortes viginti quatuor, membranulis educendæ. Venit Jedajah, & eduxit præter se ipsum quinq;, ita fiebant etiam sex. Et venit Charim, & eduxit præter seipsum quinq;, ita fiebant etiam sex. Venit similiter Paschur, & eduxit præter seipsum quinq;, unde & sex fiebant. Quod itidem fecit Immer. Et pacti sunt cum eis prophetæ, nec quidem Jehojaribum, si è captivitate ascenderet prærogativam habiturum præ classe ante eum constitutam, sed ei fore adjungendum.

§. 7. Lubet rem istam, in gratiam loci Lucæ I. modo adducti, & quæstionis de tempore anni, quo Christus natus est, paulo accuratius indagare, & evolvere, quanquam difficilem sane & intricatam. Fatemur ergo, si Esræ & Nehemiæ capita

capita diligentius investigentur, non omnes familias sacras 24. ascendisse ex Babylonia, nec omnes, qui ascenderunt, sacerdotes, potuisse tuto asserere, ex quanam familia originem trahant? sed primitus quatuor duntaxat, modo ex Seldeno seu Talmude potius enumeratæ, familiæ reduces accesserunt. Hæ cum iis omnibus, qui simul ascenderunt, in 24. classes disponebantur, quæ recensentur Neh. XII. ordine sequenti: 1. Serubabel. 2. Jesua. 3 Seraja. 4. Jeremia. 5. Esra. 6. Amaria 7. Malluch. 8. Hattus. 9. Sechanja. 10. Rehum. 11. Meremoth. 12. Iddo. 13. Ginthoi. 14. Abia. 15. Mejamin. 16. Maadiah. 17. Bilga. 18. Semajah. 19. Jehojaribh. 20. Jedajah. 21. Sallu. 22. Amok. 23. Hilkiah. 24. Jedajah. Hi quidem fuerunt principes & capita familiarum sacerdotalium, sed non nomina classium seu ordinum 24 quæ ἐφημερίων dicuntur: quia Paschur, Charim & Immer hic prorsus non memorantur, quæ tamen erant familiarum sacrarum primariæ, secundum Talmud. Jedajah contra bis extat. Cùm ergò in S. historia non exprimantur ordines 24. suis disertis nominibus, aliunde, si potest fieri, illi erunt eruendi & nominibus certis notandi: quod vix nisi à Talmude, sperandum: in utroque autem Babylonico & Hierosolymitano unanimiter refertur, classes sacerdotales Esræ tempore primo constitisse ex quatuor Principibus, Jedajah, Charim, Paschur, & Immer: deinde ex se fecisse 24. classes; sic Talm. Babylonicum, in Taanith f.27. 1. 2. & Erach. f.12. 2. ת"ר ארבע משמרות עלו מן הגולה ואלו הן ידע"ה

יהויריב פשחור ואמר עמדו נביאים שביניהם וחלקום והעמידו על עשרים וארבע בללום ונתנום בקלפי בא ידעיה ונטל חלקו וחלק חבירו שש בא יהויריב ונטל חלקו וחלק חבירו שש וכן פשחור וכן אמר וכן התנו נביאים שביניהם שאפילו יהויריב ראש משמרת עולה לא יחזה ידעיה ממקומו אלא ידעיה עיקר ויהויריב טפל לו, i. e. *Tradunt Doctores noſtri, quatuor claſſes ſeu cuſtodiæ* (ex 24. quas David conſtituit olim) *aſcenderunt ex captivitate* (Babylonica, in templo ſecundo, reliquis non aſcendentibus, cùm multi Iſraëlitarum remanſerint Babyloni, nolentes aſcendere) *quæ ſunt iſtæ: Jedajah, Jehojaribh,* (ſic in Taanith, melius Charim, ut eſt in Erachin & Talm. Hieroſol.) *Paſchur & Immer* (in templo primo Jedajah erat ante Charim, cuſtodia verò Charim ante Paſchur, & Paſchut ante Immer: cæterum Paſchur in 24. claſſibus Davidicis plane non habetur) *Surrexerunt prophetæ qui tum vivebant, & diviſerunt eos* (quatuor in viginti quatuor cuſtodias, qui ignorabant, qualis ipſorum eſſet ordo, quis præ altero cultum adminiſtraret, & diſpoſuerunt in 24.) *Miſcuerunt eos & conjecerunt in urnam* (Scripſerunt eorum nomina in membranas, ſeu ſchedulas 24. Capita nimirum cuſtodiarum, quas ex ſe quatuor antè exiſtentibus fecerunt) *Venit ergo Jedajah, accepitq; portionem ſuam & portionem collegæ ſui* (in Erachin eſt חבירו, collegarum, ſociorum ſuorum, atque ipſe Jedajah, ſeu unus ex claſſe Jedajah, primam ex ſex ſchedis primis ſchedulam, in qua ſcripta erat claſſis omnium prima: pergens, immiſſa iterum manu, extraxit ſchedam, donec

ſex

sex h. m. exiviſſent: & quo ordine ſchedulas extraxit, eo etiam familiæ miniſteria ſua obibant: cui primi numeri ſcheda cecidit, is primo ſtatim ſabbatho adminiſtravit, cui ſecundi, ſecundo, & ſic deinceps, unus poſt alterum) *Tum accedens Jehojaribh* (Charim) *eduxit ſchedam ſuam, & tum etiam collegij ſui, ut ſic fierent ſex, & ſic porrò Paſchur & Immer: atq; ſic Prophetæ, quos ſecum habebant, pactum fecerunt, quod ſi etiam Jehojaribh ipſe, qui primus erat* (antea in claſſibus à Davide conſtitutis) *aſcenderet, non tamen depelleret Jedajam de ſtatione ſua, ſed Jedajah eſſet Principalis, Jehojaribh autem ſecundarius, ei adjunctus & ſubordinatus* (propterea, quod non initio aſcendit Jehojaribh, eique omnes ordines ex Jedajah facti antecederent, in functione ſacra & Jehojaribh illos ſequeretur in alio ordine & cuſtodia, atque tum ex ſex cuſtodijs Jedajah feciſſent quinque, ne ſi Jehojaribh etiam ſingularem ordinem aſſignarent, ſic 7. ordines fierent, & in univerſum 25. ordines,) quæ parentheſibus incluſa ſunt, gloſſæ Talmudicæ ſunt expoſitiones.

§. 8. Intricata res eſt, nec hactenus ab ullo, quod ſciam, ſatis explicata: imò ferè à doctiſſimis in dubio relicta. *Certe*, ait Seldenus, *ſi Talmudicis credendum, ita novata eſt, ut vides, diſtributio, ut quemnam in ea locum jam teneret Epheme. ria ſive Abhiæ, ſive alius cujuscunq;, familiis jam dictis ſacerdotalibus quatuor in claſſes viginti quatuor tributis poſtmodum immixta adjunctaq;; non omninò conſtet.* Cujus notæ fere ſunt, quæ idem habet in reſponſione ad rationes ex Joſepho allatas: *Tametſi*

Josephus distributionem Davidicam usq3 ad suum tempus mansisse ajat, ipsumq3 se ex prima viginti quatuor classe oriundum in vita sua asserat, cum nihilominus Talmudici tradant, classes seu stationes alias viginti quatuor factas, veteresq3 ita tantum in posterum dignitatem locumq3 sortitas, quatenus novatæ distributionis classibus singulæ accederent, fieri potuit, ut accedentibus postmodum veterum aliis, aliis verò earum minime accedentibus, saltem non ita accedentibus, nomina, partim distributionis veteris, partim novæ in orbe illo hieratico, ut viris magnis nuncupatus, comperirentur; quod in primis advertendum est eis, qui de orbe illo ac Abiæ loco octavo tam fidenter pronunciant. Quin forte Josephus non tam ipsas familias Davidicæ distributionis, quàm similem numerum ad sua tempora durasse intellexit. Videtur autem mihi (ut meam hac de re mentem aperiam) posse hæc non difficulter expediri, si dicatur, Esram ordinem 24 classium ad exemplum 24. classium à Davide constitutarum innovasse ita, ut quamvis nesciret, qui sacerdotes, reduces ex captivitate, & ad quam classem veterem pertinerent, ad certam aliquam novam reduxerit, retinuisse autem & numerum, & nomina, & ordinem veterum classium: ita ut quæ classis dicta fuit prima & Jehojaribh, quæ octava & Abia, &c. etiam templi secundi tempore hoc modo fuerit appellata, per omnes 24. ephemerias. Sic Jedajah, sorte nactus primam stationem, primam cum collegis classem, quæ antiquitus Jehojaribh erat nuncupata, constituit, retento nomine prisco: & sic porrò, ut si ipsissimus Jehojaribh, qui tempore Davidis vixit

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn784953996/phys_0328
DFG

xit, redivivus esset, non posset Jedajam loco movere, sed ei potius fuisset adjungendus & subordinandus. Id inde statuo, quia ex N. Test. Luc. I. aperte constat, fuisse tum temporis classem aliquam Abia dictam; ex veteri scil. cognomento. Sic Josephus disertim facit mentionem familiæ Jehojaribh, cujus & Talmudici meminerunt in Taan. fol. 19. 1. & Etach. f. 11. 2. his verbis: מגלגלין זכות ליום זכאי וחובה ליום חיוב אמרו כשחרב בית המקדש בראשונה אותו היום ערב תשעה באב היה ומוצאי שבת היה ומוצאי שביעית היתה ומשמרתו של יהויריב היתה והלויים היו אומרים שירה ועומדין על דוכנם ומה שירה היו אומרים וישב עליהם את אונם וברעתם יצמיתם ולא הפסיקו לומר יצמיתם ה' אלהינו עד שבאו נכרים וכבשים וכן בשניה: quæ D. Wagenseilius ita reddit: *Eventus prosperi* (qui mortalibus accidere solent) *devantur in diem ipsis faustum, cladesq; in diem illis fatalem* (ejus rei templum Hierosolimitanum exemplum luculentum præbet) *Primi enim* (à Salomone conditi) *destructio incidit in nonum diem mensis Abh finem sabbathi, finemq; heptaemeridos & ephemeriam Jehojaribh. Stabant tum Levitæ, officio fungentes, cantatesq;. Quid vero cecinere.* (Scil. ex Psalm. XCIV. ult.) *Et convertit contra eos iniquitatem ipsorum, & malitia ipsorum excindet eos. Atq; priusquam subiiciendo absolvere poterant: Excindet ipsos Dominus Deus noster: impetum facientes hostes templum occuparunt. Omnes hæ circumstantiæ ita pariter acciderunt, cum secundum templum vastaretur.* Ex quibus ita ut credo se habentibus colligo, classem Jehojaribh templi primi fuisse eandem, quæ templi secun-

di, saltem nominetenus; quod ex eo magis firmatur, quia Josephus attestatur, ut supra vidimus, hanc distributionem à Davide factam permansisse ad sua usque, i. e. templi secundi vastati tempora. Porro ex his constat, quando illi, qui Babyloni remanserunt, post autem, auditâ structura templi, ordinum sacrorum restitutione, & cultus Divini restauratione, ascenderunt quoque Hierosolyma, recipiebantur quidem in classes sacerdotales sed si genealogiæ suæ & avitæ originis documenta possent exhibere, tum in eam classem, in qua olim majores earum erant referebantur; ex. gr. Si qui essent, qui stirpem suam ex Abia docerent, in stationem quoque eam sunt recepti, sic & nomen & numerum in eam referentes: erant deinde qui genealogiæ suæ plane nulla habebant vestigia, illi prorsus removebantur, Esr. II. 63. Neh. VII. 65. atque ita existimo difficultates omnes facile posse superari. De electione sacerdotum per sortitionem apud gentiles, vide cap. sequenti.

CAP. XXIV.

De

Distributione officiorum sacrorum per sortes.

§. I.

SOrtes, quibus classes Sacerdotij Levitici distributæ erant, semel tantùm, à Mose, Samuele,

muele, Davide, & Esra adhibitas fuisse audivimus, at illæ, quibus ipsa ministeria seu functiones sacræ, & res aliæ in sanctuario dispensabantur, quotidie consulebantur: cujus consuetudinis indicia tum in sacris literis, tum aliis vetustissimis Hebræorum monumentis plura habentur. Neh. X. 34. והגורלנו הפלנו על קרבן העצים הכהנים הלוים והעם להביא לבית אלהינו: *& sortes projecimus super oblatione lignorum, Sacerdotes, Levitæ & populus, ad apportandum domum Dei nostri, juxta domum patrum nostrorum, temporibus statis, singulis annis, ad incendendum super altari Domini Dei nostri, sicut scriptum est in lege, &c.* sortiti ergo inter se sunt, quis stato tempore ligna ad incendenda sacrificia, aut alios ignes in sanctuario fovendos, afferret, finderet in domo lignorum, de qua vide Jom. f. 11. 1. templo inferret, accenderet, &c. de tempore isto pro lignis faciendis, legitur in Talm. Megill. f. 5. 1. atque ibidem in glossa dicitur, in Nedarim describi illud tempus fixum. Munus suffimenti faciendi per sortem destinatum esse sacerdotibus notum est ex Luc. I. 9. Sic ergo in templo secundo solenne erat varia sacerdotum munera sortitò distribuere, quod ex Hebræorum documentis lubet amplius exponere, ut modus veteris sortitionis melius innotescat.

§. 2. Sic ergo Talmudici rem istam nobis prodiderunt ex antiquis traditionibus: בראשונה כל מי שרוצה לתרום את המזבח תורם ובזמן שהן מרובין רצין ועולין בכבש כל הקודם את חבירו בא רבע אמות זכה ואם היו שניהן שוין

המונה אומר להן הצביעו ומה הן מוציאי אחת או
שתים ואין מוציאין אגודל במקדש מעשה שהיו שניהן
שנין ורצין ועולין בכבש ודחף אחד מהן את חבירו ונפל
ושברה רגלו וכיון שראו בית דין שבאין לידי סכנה
התקינו שלא יהו תורמין את המזבח אלא בפיס ארבע
פיסות היו שם וזה הפיס הראשון: *Antiquitus quicunq; volebat altare decinerare, decinerabat:* (gloss. omnis sacerdos, si modo fuerit ex ea familia, cujus tum erat ἐφημερία, & voluerit decinerare cinerem matutinum, decinerabat, neque de ulla re sors adhibebatur) *cum vero multiplicarentur* (sacerdotes, atque cum his lites & æmulationes, cum quilibet altero dignior & prior esse vellet) *currebant ascendentes per scalam* (ad decinerandum properantes, dicentesque, meum est decinerare, &c. hæc tum erat eorum consuetudo, scala autem erat longa triginta & duos gradus) *quicunq; tum collegam suum antevertebat cubitis quatuor, is etiam dignus æstimabatur* (ut prior administraret; quicunque alteri præveniebat ingrediendo quatuor cubitos supremos scalæ, summitati altaris proximos, is potior erat jure decinerandi, atque hæc erat sors illorum) *quando vero pari gradu incedebant ambo, tum præfectus Sacerdotum dicebat ipsis:* (quando ambo pares erant incedendo, neuter illorum legitimus erat ad dicinerandum, sed tunc omnes sacerdotes illius ordinis conveniebant: ut sortes jacerent: quâ vero sorte utebantur? Præfectus dicebat ipsis) *micate digitis; quos autem digitos tollebant? unum aut duos:* (producite digitos vestros, quilibet vestrum exhibeat digitum suum, quod faciebant con-

consistendo in orbem: tunc accedens præfectus sumebat pileolum de capite alicujus illorum, & ab eodem incipiebat sortem numerare; singuli autem digitum suum extendebant ad numerandum; præfectus autem statuebat, ut in quocunque numerus desierit, foret idoneus ad decinerandum, seu opus primum sacrum faciendum) ipse autem præfectus ore suo nominabat certum aliquem numerum, centum, sexaginta, &c. ita ut numerus ille determinatus longè superaret numerum sacerdotum ibi consistentium, & uti dictum, ab illo incipit numerare, à cujus capite pileolum sumserat: atque ita orbem istum circumibat, iens & rediens iterum, donec numerus destinatus esset finitus, & is tum, in quo numerus desinebat, dignus erat ad decinerandum, atque sic in omnibus sortitionibus fiebat.) *Pollicem autem non extollebant in sanctuario* (propter impostores, qui quando numerus definitus jam exiturus erat, fraudulenter observato, in quo numerus desineret, si staret ante hunc, duos digitos posset proferre, ita ut ipse numeretur pro duobus, atque sic è vestigio numerus in ipso desineret, cùm si fraus ista abfuisset, sors in proximo sacerdote cecidisset; non observante præfecto impostoris astutiam & velocitatem decipiendi: potest enim homo pollicem ab indice digito late extendere, ita ut appareant duorum hominum digiti.) *Accedit aliquando, cùm duo per scalam pari gressu ascendentes accurrerent, ut alter alterum de scala deturbaret, ita ut pedem frangeret. Consistorium ergo videns, hac ratione periculum esse, ordina-*

vit, ne quisquam postea decineraret, nisi fortitò id ei obtigerit. (In Gemara recensetur, fuisse aliquando duos sacerdotes, qui æmulantes scalam ascenderunt, & cùm ambo pares essent, & in eodem gradu, ut neuter alterum præcederet, tum unus eorum acceptô cultro, pectus æmuli sui effodiebat, ergo constitutum postea, ut sortirentur sacerdotes, ad cavendas rixas & contentiones. Disputant autem etiam ibidem de numero digitorum attollendorum, inprimis ratione habita sanorum & infirmorum.) *Fuerunt quatuor ibidem sortes, quarum hæc erat prima.* (Quater quotidie sortiebantur, seu ad sortiendum conveniebant, atque hæc, decinerationis sortitio erat prima.) Dilucide & succincte ut solet Rambam in Peruſch hamiſchn rem h. m. recenset: *Historia sortitionis, hîc enarratæ, ita se habebat, ut jam tibi exponam: Notum est, apud nos non licere numerare homines Israëlitas ullo modo, ne quidem in re lege nobis præcepta: exemplum enim Regis David satis est manifestum; sed si quis illos velit numerare, hoc modo facere debet: nimirum de singulis sumit rem aliquam, atq; res illas omnes collectas numerat. Hinc quando plures sacerdotes ad altare accedebant, præfectus dicebat illis: micate digitis, q. d. debere extendere digitos, quod fiebat, si jam in ordinem eos collocasset, interq; ipsos esset conventum, à quonam numerare inciperet. Quomodo hoc? excogitant certum aliquem numerum, ex. gr. trigintà, quadraginta, quinquaginta, aut quemcunq; ex aliquo numero velint eligere; quo facto, quilibet digitum unum extendebat, si fuerit infirmus aut ægrotus: vel duos digitos, si fuerit firmæ valetudinis. Tum præfectus incipit numerare illos digitos erectos, unus, duo,*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn784953996/phys_0334
DFG

duo, tres, &c. secundum ordinem, donec exiverit numerus antè præfinitus. Tunc vir ille, in quo numerus præfixus definit in digito ejus extenso, primas tenebat in administrando munere illo: pollicem verò non numerabant inter digitos extendendos, quia is facile latius ab indice protendi potest, faciléq; retrahi, ne forte aliquis, animadvertens numerum jam prope finem esse, illum extendat, atq; h.m. sors ipsi eveniat. Atq; hoc ritu expediebantur omnes sortitiones quatuor in sanctuario. Probe igitur disce & cognosce hoc, quia ante nos nullus doctorum nostrorum sortitiones istas ita exposuit. Atque idem adhuc plenius hoc negotium illustrat in Jadh, part. 3. hilch. Kele hammikd. c. 7. §. 8. & in Themidim Vemusaph. c. 4. ex quo sortitionis primæ munia huc ponenda: הפי"ס הראשון מי תורם את המזבח הפיסו וזכה מי שזכה לתרום: והוא מסדר את המערכה והוא מעלה שני גזרי עצים למזבח והוא מכנים מחתה מלאה אש מן המזבח החצון למזבח הזהב להקטיר וכו', *Sors prima erat quisnam decineraret altare, sortiti sunt, & quem sors dignum judicavit, is quoq; dignus erat decineratione.* *Ille idem quoq; disponebat ordine struem lignorum* (ordine disponebat in altari disponendam) *ipse etiam apportabat duo segmenta lignorum* (2. Scheiter) *in altare, atq; inferebat thuribulum plenum igne ab altari exteriori in altare aureum, ad suffitum faciendum super eo.*

§. 3. Mischnah secunda ibid. in Joma fol. 25. 1. הפי"ס השני מי שוחט מי זורק מי מדשן מזבח הפנימי ומי מדשן את המנורה ומי מעלה אברים לכבש הראש והרגל ושתי הידים העוקץ והרגל והחוה והגרה ושתי הדפנות והקרביים והסלת והחביתין והיין שלשה עשר כהנים זכו בו אמר בן עזאי לפני רבי עקיבא

עקיבא משום רבי יהושע דרך הלוכו חיה קרב: *sortitio secunda erat, quis mactaret* (sacrificium juge matutinum) *quis spargeret* (sanguinem) *quis cinerem removeret in altari interiori, & quis decineraret candelabrum, quis afferret ad gradus altaris membra agni* (sacrificandi) *caput, pedem, duos armos, extremum spinæ dorsi* (caudam) *& pedem* (sinistrum) *pectus, guttur, duas costas cum contiguis, similam, sartaginem, vinam? Tredecim sacerdotes designabantur in hac sortitione secunda: Filius Asai coram R. Akiba, nomine R. Jehoschuah ajebat, agnum offerendum esse eo ordine membrorum, quo incedebat vivus.* Confer Tamid cap. 3. ubi fere eadem leguntur. אמר להן הממונה בואו והפיסו מי השוחט וכו' *præcipiebat ipsis* (sacerdotibus in conclavi Gosith, medio inter locum templi profanum & sacrum, congregatis, idque summo mane ante auroram, tum enim dicebat præfectus sacerdotum, exite, videte, an tempus mactandi, aurora advenerit, &c.) *adestote, & sortimini, quis vestrum mactet,* &c notandum autem, sortitionem non ad quemvis actum repeti, sed sufficere, sorte aliquem notatum, qui esset primus & mactet, tum enim ordine quisque è consortibus noverat, quæ functio ipsi peragenda, ut in Joma & Tamid, in Gemara & glossa habetur, & R Majemonides in perusch suo exponit; qui etiam rem istam in jadh d. l. plenius & planius h. m. recensет: הפ"ס השני זוכין בו שלשה עשר על סדר עמידתן כיצד הממונה אומ' להם הצביעו ומונה כדרך שבארנו וזה שיצא בפ"ם ראשון הוא וכל

Sorte secunda tredecim sacerdotes eligebantur secundum ordinem stationis suæ. Quomodo hoc fiebat? Præfectus dicebat

tebat illis, micate digitis; atq; is tunc numerabat modo quo exposuimus. Qui verò sorte prima erat designatus, is mactabat juge matutinum. Secundus, qui primo huic à latere stabat, accipiebat sanguinem jugis sacrificij & spargebat illum. Tertius, secundo proximus, cinerem removebat in altari interiori, quod erat altare suffitus. Quartus, à latere tertij stans, decinerabat candelabrum, & aptabat (seu parabat rectè) *luminaria: quintus apportabat caput jugis sacrificij & pedem ejus dextrum ad gradum altaris. Sextus afferebat duos armos. Septimus afferebat spinam dorsi & pedem sinistrum. Octavus afferebat pectus & guttur. Nonus duas costas. Decimus contiguas. Undecimus similam & libamina. Duodecimus sartaginem. Decimus tertius tandem vinum libaminum.* Paulo aliter ordo hic enarratur quam in Tamidh. vide Sheringh.

f. 4. Mischna 3. fol. 26 1. ita habebat: הפ"ם השלישי חדשים לקטורת באו והפיסו · והרביעי חדשים עם שנים מי מעלה אברים מן הכבש למזבח: *Sors tertia erat; novi ad suffitum venerunt & sortiti sunt. Et quarta sors erat, qua novi cum priscis venerunt,* (sortientes) *quis ex iis offerret membra à gradu altaris in altare.* Plenius iterum Rambam in Jadh. הפ"ם השלישי אומר להן הממונה לכל אנשי בית אב של אותו היום מי שלא הקטיד קטורת מימיו יבוא ויפיס· יתקבצו אצל הממונה ויפיסו· ומי שיצא בפ"ם זה ראשון הוא שיזכה להקטיר קטורת · הפ"ם הרביעי מתק בציץ כולן ומפיסין לידע מי מעלה אברים מן הכבש למזבח· הפיסו וזכה מי שזכה: *Sors tertia erat, quando Præfectus dicebat ad omnes collegas familiæ, cujus eo die erat ministrare; Qui nunquam adhuc per vitam suam adolevit suffitum, veniat ut sortiatur! Tum convenerunt ad Præ-*

Præfectum & sortiebantur. Et quem sors tum designabat, is erat primus & dignus suffitu faciendo. Sors tertia erat, quando congregabantur omnes ad sortiendum, ut cognoscerent, quis illorum membra de gradu in altare offerret, & quem sors judicavit dignum, dignus erat. Fol. 25. 2. in Gemara & glossa docetur, suffitum hunc requirere duos sacerdotes: alterum, qui suffimentum templo inferret & adoleret: alterum qui caperet prunas de altari exteriori, & templo inferret, poneretque super altari interiori, ut super illis fieret suffitus. Hîc verò eum tantùm sortiri oportuisse, qui suffitum ipsum accendebat, alterum verò huic adjunctum, sortitione non habuisse opus, quum utrunque fuerit unus cultus, neque omnes partes cultus sacri singulari sorte fuisse distributas, sed præcipua tantum quasi capita, & partes principales: forsan hic adjunctus erat his, qui in sortis primæ consortio comprehendebatur. Huic sacerdos suffitum faciens dicebat: *Tu mecum dignus esto* administrando suffitu *per thuribulum*, curando thuribulum. Quod verò dicitur, novos oportuisse accedere ad sortiendum super suffitu faciendo, id ubiq; docent veteres Hebræi, nullum sacerdotem bis hoc ministerio fuisse defunctum; docent hoc in Gemara h. l. תנא מעולם לא שנו אדם נר מאי טעמא אמר רבי חנינא מפני המעשרות אמר ליה רב פפא לאביי מאי טעמא אילימא משום דכתיב ישימו קטורה באפך וכתיב בתריה ברך ה' וגו', *Traditur, nunquam ullum hominem iterum suffire: quæ verò est ratio hujus? dicit R. Chanina propter divitias. Rabh Papa dicebat ad Abhai, quæ verò hujus rei est causa & sensus? forte,*

forte, quia (Deut. XXXIII 10.11.) *scriptum est; ponent suffitum in naribus tuis; cui statim subsequitur: Benedic Deus opibus ejus.* Novi ergo semper accedere debuerunt & adolere suffitum, ut benedictio ista ad universos derivaretur. Id Rambam in perusch suo h. m. exponit: היו הכהנים מתברכין בהקטרת הקטורת והיו אומרים כל מי שמקטיר קטורת היה מתעשר וממונו מתרבה למאמרו השית ישימו קטורה באפך וכתיב ברך ה' חילו וגו' ולפיכך כל מי שהקטיר לא היו מניחין אותו לחקטיד פעם שניה שישאר זולתו מן הכהנים שלא יקטירו ולא היו אוספין לפיס הקטורת אלא למי שלא הקטיר קטורת מימיו ולפיכך יאמר חדשים לקטורת באו והסיפו, *Sacerdotes per id, quod suffitum faciebant, benedicebantur, dixeruntq; quidam, quod quicunq; suffitum adolebat, dives factus sit, & opes ejus auctæ, ex eo quod dicitur: Domine, ponent suffitum in facie tua; & statim post scriptum legitur: Benedic Domine facultati ejus, &c.* Deut. XXXIII. 10. 11. *propterea illi, qui semel adolevit, non permittebant iterum adolere, quia præter eum sunt alij sacerdotes, qui non adoluerunt; neq; congregabant ad sortiendum de suffitu faciendo, nisi propter eum, qui nunquam adhuc à vita sua adolevit, propterea etiam dicebatur: Novi ad suffitum faciendum accedant & sortiantur.* Sed de suffitu isto postea Cap. seq. plura dicentur ob locum Luc. I. 9.

§. 5. Erant autem in sanctuario præter recensita ista ordinaria ministeria alia quoque quæ similiter sortibus subiiciebantur; unde Rambam in jadh, part. 3. hilch. de jugi sacrif. & cultu quotidiano & iis, quæ accedebant ad illum, cum per tria capita ennarrasset sacra munia C. 4. §. 1. scribit: כל העבודות המלו שעושין בכל יום

יום בפיו היו עושין אותן, *Omnes sacras istas functiones, quas quotidie faciebant, sortium operâ sunt exeuti*: quemadmodum jam ab antiquissimis populi Israël temporibus id observatum legimus: ut 1. Par. VI. (VII.) 54. urbes sacerdotales memorantur sorte distributæ: pariter Levitis & Cantoribus sacris stationes certæ assignatæ, 1. Par. XXV. 8. seqq. nec non Janitoribus, Cap. XXVI. 1. 13. &c. De ordinibus istis vide Bonaventuram Corn. Bertr. de polit. Jud. Carol. Sigon. & Petr. Cunæum, de Rep. Hebr. Huc referendum ministerium sacerdotum circa mulierem Sota, seu adulterij suspectam, de quo pariter disputant Hebræi, quinam Sacerdotum eo munere perfungi debuisset? Sacerdotis enim officium requiri, ex divino mandato Num. V. 15. seqq. constat; hic enim præcipitur, ut mulier hujusmodi ad Sacerdotem ducatur in templum, ejusque portam, ut Hebræi vocant, Nicanoris, & tum processus per sacerdotem fiat. Petrus Cunæus lib 1. c. 12. tribuit hoc munus Sacerdoti, qui pars esset Senatus, quod D. Wagenseil ex eo refutat, quod non semper sacerdotes Synedrij essent assessores, & nulla idonea authoritate cum dicat hoc Cunæus, vix fidem meretur. Eodem D. Wagenseilio referente, in annotationibus quibusdam M.S. super comment. R. Salomonis in legem, asseritur, has partes relictas לכהן שבאותו משמר, Sacerdoti τῆς ἐφημερίας, quem ordo ministerij sacri eâdem septimanâ tangebat, qua processus iste cum muliere Sota fieret. Verum id quidem omnino dicendum est,

at

at cum custodia illa iterum multos comprehenderit sacerdotes & actus, siqúe Talmudicis fidendum, una tantùm ex quatuor sortibus, tredecim fuerit complexa, ut paulo ante vidimus, denuò quæritur, quis ex illa ἐμφημερία hoc munere functus fuerit? optimè ergò in Jalkut fol. 206. col. 4. traditur: כהנים מטילין גורלות ביניהם וכל מי שעלה גורלו אפילו כהן גדול יוצא ועומד בצד סוטה ואוחז בבגדיה: *Sacerdotes projiciebant sortes inter se, & cujuscunq; sors ascenderit, etiamsi esset Sacerdos M. is expeditur, & stat ad latus mulieris Sotah, & prehendit vestes ejus*, &c. Atque hanc etiam sententiam D. Wagenseil cæteris præfert, quando nulla causa appareat, quare cum cætera omnia sacra peragerent statis suis temporibus cujusque classis Sacerdotes, ad solam Sotæ explorationem quisque, ex quocunque ordine, extra legitimum ministrandi tempus potuerit admitti. Inter ipsos verò divinis officiis fungentes ἐφημερίας Sacerdotes, quis circa Sotam occupari deberet, sorte exploratum fuisse, libens concedit: etenim ista ratione divisa esse munera ex Joma Cap. 2. & ex Tamid passim constat, &c. Certum est, eos sacerdotes provinciam istam exornasse, quorum tum erat ἐφημερία: nam cæteri tum non erant Hierosolymis, sed in suis domiciliis. Jadh, Kelehamm. c. 4. §. 3. Sed an Sacerdos M. numero sortientium se adjunxerit, valde dubito, quum Talmudicorum sententiâ is nunquam sortitus fuerit, sed omnes functiones sacræ in ipsius arbitrio & libertate erant, quod & Rambam in Jadh confirmat, in Kele

hammikd, c. 5. §. 12. quomodo nec ipse sorte electus erat, verum succedebat vel jure hæreditario, vel suffragiis. Unicum, quantum constat, exemplum habetur Sacerdotis M. sorte electi, sed infeliciter. Historiam recenset Josephus lib. 20. c. 8. & de bello l. 4. c. 5. Seldenus allegat cap. 12. cujus etiam verbis, ex l. 1. c. 11. de success. in Pontif. num. 26. Josephi locum huc transferimus: *Phannias, Phanesus item dictus, Samuelis F. à populo tumultuante, seu zelotis, sorte electus, cujus in Pontificatu urbis & templi sub Vespasiano excidium. Obtensus etiam est tunc mos antiquus, sed falso, sorte creandi Pontifices.* Josephus ipse signantius loquitur: μεταπεμψάμενοι, inquiens, μίαν τῶν ἀρχιερατειῶν ψυλὴν, Ενιακὶμ καλεῖται, διεκλήρουν ἀρχιερέα, λαγχάνει δὲ ἀπὸ τύχης ὁ μάλιστα διαδείξας αὐτῶν τὴν παρανομίαν, Φαννίας τὸν ὄνομα, υἱὸς Σαμουήλου κώμης Ἄφθας, ἀνὴρ οὐ μόνον ἀνάξιος ἀρχιερεὺς, ἀλλ' οὐδ' ἐπιστάμενος σαφῶς, τί ποτε τὴν ἀρχιεροσύνη, δι' ἀγροικίαν. Accita una generis Pontificij tribu (cui nomen Eniakim) Pontificem sorte eligebant, casuque sors exit Phanniæ, Samuelis filio, ex vico Aphthas, unde maxima eorum legum violatio indicabatur, cum vir fuerit non solum indignus Pontificatu, sed & qui ob rusticitatem omnino ignorabat, quid Pontificatus esset. Præter hunc ergò alius nusquam Pontifex legitur vel stationem, vel functionem suam sacram sorte adeptus.

§. 6. Restant paucæ quædam quæstiones circa sortes sacras, quibus sc. vestibus & quo in loco sortitio hæc sacra fuerit peracta? De priori disputant in Joma c. 2. fol. 24. 2. 25. 1. במה טפיסין רב נחמן אמר בבגדי חול ורב ששת אמר בבגדי קדש רב נחמן

נחמן אמר בבגדי חול דאי אמר' בבגדי קדש איכא בעלי זרועות דחמסי ועבדי רב ששת אמר בבגדי קרש דאי אמרת בבגדי חול אגב חביבותיה מיקרו ועבדי אמר רב נחמן מנא אמינא לה דתנן מסרן להזנין והיו מפשיטין איתם את בגדיהן ולא היו מניחין עליהן אלא מכנסים בלבד: *In quibus sortiebantur? Rabh Nachman dicebat, in vestibus profanis; sed Rabh Schéschet dicebat, in vestibus sacris. Quod R. Nachman in vestibus profanis statuit sortitionem factam, est, quia si in vestibus sacris facta esset, tum fuissent quidam robusti, qui* statim ac vestes sacras induissent, non expectantes sortitionem, *vi irruissent, &* non sortiti *cultum s. peregissent. Rabh Schéscheth autem regerebat, si in vestibus profanis* sortitio fuisset facta, tum facile *aliquis ex nimia aviditate & gaudio honoris accepti,* statim à sortitione in vestibus profanis quasi sui oblitus *sacra fecisset; Rabh Nachman dicebat, quid ad hoc mihi dicendum? nimirum quod tradunt, æditui tradidisse illas* (vestes profanas, ad quas, & sacras, induendas & exuendas æditui præsto erant, qui sacerdotem hunc, si forte obliviscere-tur vestium profanarum exuendarum, monuisset) *& hi exuebant illos* (Sacerdotes) *vestibus suis, neq; reliquisse in ipsis ullas, nisi femoralia.* De hac disputatione ἐπίκρισιν habet R. Joseph ben Karo in Késeph hammischnah ad ladh, tractatu de quotidianis Ministeriis & quæ iis accedebant, c. 4. §. 1. ומה שכתב ומלובשים הם בבגדי כהונה שם פלוגתא דרב נחמן ורב ששת ופסק כרב ששת: *In eo, quod scribit* (Rambam hic) *fuisse indutos vestibus sacerdotalibus* (sortiendo) *de eo est diversa sententia R. Nachmanis & R. Schéscheth, sed decisio est secundum R. Schéscheth.* Unde h. l. Rambam ita habet: וכיצד

היו עושין · כל כהני בתי אבות של יום נכנסין ללשכת הגזית אחר שישלה עמוד השחר ומלובשין הן בבגדי כהונה ·והממונה שעל הפיסות עמהן · והם וכו' *Quomodo vero administrabant* sortitionem? *omnes sacerdotes familiarum ejus diei, ingrediebantur conclave Excisionis* (de quo deinde) *postquam columna aurorae jam ascenderat, atq; ipsi induti erant vestibus sacerdotalibus. Et Praefectus sortium erat eum ipsis, ipsi autem stabant in circum, & Praefectus sortium sumebat pileolum de aliquo eorum*, &c. postea recenset, ædituos exuisse illis vestes sacras istas, usque ad femoralia, & induisse profanas eisdem; quibus inductis etiam femoralia sacra exuisse, &c. hæc intelligenda sunt præcipue de sortitione quotidiana quadruplici. Locum quod attinet, modo audivimus fuisse illum לשכת הגזית, Conclave excisionis, seu ex lapidibus cæsis, de quo in Joma fol. 25 1 תניא לשכת הגזית כמין בסיליקי גדולה היתה פיס במזרחה וזקן יושב במערבה והכהנים מוקפין ועומדין במין בכוליאר והממונ' בה ונוטל מצנפת של וכו' *Traditio habet, conclave excisionis fuisse ad formam basilicae magnae, sortes in parte ejus orientali, & senem quendam sedisse ad partem occidentalem, sacerdotesq; constitisse in orbem, tanquam in collari: tunc praefectum accepisse de uno eorum pileolum*, &c. Glossa ait, conclave hoc fuisse domum altam, supra ascensionem, seu locum, ubi ascendebant ad templum, & dimidium ejus in sanctuario, dimidium vero alterum in profano fuisse, habuisseq; duas januas, alteram apertam ad sanctuarium, alteram ad profanum: & quia nulli hominum licebat sedere in sanctuario, exceptis regibus ex stirpe Davidica, senex autem hic, qui fuit ex synedrio,

nedrio, docens rationem sortiendi, in hoc conclavi sederit, ergo partem ejus fuisse in profano. Quod vero tot sortitiones in templo fuerint peractæ, ajunt, cessisse in gloriam Dei. למה מפיסין וחוזרין ומפיסין אמר רבי יוחנן כדי להרגיש כל העזרה שנאמר אשר יחדו נמתיק וגו׳ *Cur sortitionem toties repetunt? Rabbi Jochanan ait, ut strepitus oriatur & resonet totum conclave seu atrium, uti dicitur: qui simul suave consilium habebamus, domum Dei ibamus cum strepitu conjunctim*, Psal. LV. 15. ubi glossa annotat: Cur conveniunt uno die quater ad sortes? ut in Mischna dicitur, sortiri eos super rebus singulis in conventu primo, quis dignus habeatur ad hoc, quis ad aliud? Tumultus autem & strepitus esse debet, ut percipiatur vox magnæ multitudinis, populi frequentis admodum, cum hoc sit gloria regis, ut in Psalmo adducto dicitur, in domum Dei, &c. sic sæpius Johannes in Apocalypsi refert se audivisse magnam vocem in templo Dei seu cœlo, quasi strepitum magnarum aquarum, &c. Adjicienda his sortitio super solvendis primogenitis Israëlitarum, Numer. III. Deus enim omnia primogenita Israëlitarum & animalium mundorum sibi vendicat, ex quo omnia primogenita Ægyptiorum una nocte percussit, primogenitis Israëlitarum illæsis, hinc omnia Israëlitarum primogenita sua esse voluit Deus, sibique offerri: ut autem solverentur ea, jussit Deus numerare & primogenita & Levitas: quo factô, repertus est numerus Levitarum 22000. primogenitorum autem, qui mensis unius & ultra fuerunt, 22273. Cum ergo numerus primogenitorum superaret

Levitarum numerum ducentis septuaginta tribus, jussit porro Deus, ut pro his abundantibus 273 primogenitis pecunia solveretur, nimirum pro singulis primogenitis quinque sicli, ut siclorum numerus esset 1365. Cum vero quilibet Israëlitarum primogenitum suum maluerit solvi per Levitam, quam quinque siclos, atque tot Levitæ non erant, ut sufficere possent, quæritur, quomodo causa ista fuerit expedita & transacta? R. Salomo existimat, sortium judicium fuisse consultum: אמר כיצד אעשה בכור שאומר לו תן חמשה שקלים יאמר לי אני מפדויי הלוים מה עשה הביא שנים ועשרים אלף פתקין וכתב עליהם בן לוי ומאתים ושבעים ושלשה פתקין כתב עליהן חמשה שקלים בולן ונתנן בקלפי אמר להם באו וטלו פתקיכם לפי הגורל: *Dixit* (Moses) *quomodo rem istam peragam? primogenitus, cui dicturus ero: solve quinq; siclos, regere mihi, ego sum ex illorum numero, qui Levitis solvuntur. Quid ergo fecit? attulit 22000. schedulas, quibus inscripsit: Filius Levi, & porro 273. schedulas, quibus inscripsit: quinq; sicli. Has omnes 22273. schedulas commixtas conjecit in urnam, dicens illis: Accedite, & educite quisq; schedulas vestras, more sortitionis, sortitò.* De sortitione super rebus aliis sacris, vide infra Cap. 35.

§. 7. Ex his hucusque de antiqua in Sanctuario usurpata sortitione dictis facile constat, non tantum sortiendi genus per schedulas urnæ injectas, sed etiam micationem digitorum esse vetustissimam; quod simul ex eo confirmatur, quod hoc posterius etiam exteris gentibus vetustissimis frequentatum; ejus enim Cicero tanquam moris antiquissimi crebro meminit; dicens (ut supra

jam

jam allegatum) *Quid enim sors est? idem propemodum quod micare.* Et lib. 3. officiorum: *Hoc nonne turpe est dubitare Philosophos, quod ne rustici quidem dubitant, à quibus natum est id, quod contritum est vetustate, proverbium. Cum enim fidem alicujus bonitatemq; laudant, dignum esse dicunt quicum in tenebris mices: i. e. ei liberum est, si velit, fallere: proinde dignus, quicum in tenebris mices, dicitur, qui sit usq; adeo certa fide, ut nec si tuto possit, velit quempiam mendacio fallere,* ut Erasmus exponit. Sic ex Varrone allegant, *Micandum erit cum Græco, utrum ego illius numerum, an ille meum sequatur;* vetustate ergo contritum erat jam Ciceronis ætate micare digitis & hoc modo sortiri: ex quo forsan mansit in Italia idem mos, ut repente porrectis digitis, certantium uterque numerum divinet, ut ajunt: sumitur autem metaphora à micatione ignis aut stellarum; ut enim hæ radiis quasi emissis micant, sic digiti extensi & elati instar radiorum emittuntur: Græcè vocant ἐπαμφάτλειν τὸς δακτύλους. quæ sortitionis vel lusus potius consuetudo nostris quoque pueris nota, ut numerando digitos, vel certa verba pronunciando, eum digitum sorte captum putent, in quem ultimus numerus vel verbum cecidit. Ut vero sortitionis hujus modus antiquitus exercebatur, ita res ipsa, ut in sacellis, templis, & de rebus sacris sortirentur, non minus crebro usurpata legitur, non, ut audivimus, solummodo apud Israëlitas & in cultu divino seu Levitico, sed pagano etiam & ethnico, in quo non sacerdotes tantum & personæ sacræ, sed officia quoque sortibus deligerent & distribuerent. Virg. lib. 2. Æn. de Trojanorum infaustis

fauſtis ſacrificiis, extremum excidium minitantibus, refert ſacerdotem quendam ſorte electum eſſe:

Laocoon ductus Neptuni ſorte ſacerdos.

Ex quo apud gentes quaſdam veterem morem fuiſſe, ut ſacerdotes ſorte eligerent, colligit Hugo Grotius ad 1. Sam. X. 20. & idem annotat Servius ad Virg. d. l. *Diſcedentibus Græcis cum vellent* (Trojani) *ſacrificare Neptuno, Laocoon Thymbræi Apollinis ſacerdos ſorte ductus eſt, ut ſolet fieri, cum certus deeſt.* Syracuſis ſacerdotes ſortito fuiſſe electos, ex eleganti loco Ciceronis act. 4. in Verr. diſcimus: *Nolite exſpectare, dum omnes obeam oratione mea civitates, hoc uno complectar crimine omnia: neminem iſto* (Verre) *prætore Senatorem fieri potuiſſe, niſi qui iſti pecuniam dediſſet. Hoc idem transfero in Magiſtratus, Curationes, Sacerdotia: quibus in rebus non ſolum hominum jura, ſed etiam Deorum religiones immortalium omnes repudiavit. Syracuſis lex eſt, de religione, quæ in annos ſingulos Jovis Sacerdotem ſortito capi jubeat: quod apud illos ampliſſimum ſacerdotium putatur. Cum ſuffragiis tres ex tribus generibus creati ſunt, res revocatur ad ſortem. Perfecerat iſte imperio, ut pro ſuffragio Theomnaſtus familiaris ſuus in tribus illis renunciaretur. In ſorte, cui imperare non poterat, expectabant homines, quidnam acturus eſſet. Homo, id quod erat facillimum, primò vetat ſortiri, jubet extra ſortem Theomnaſtum renunciari, negant id Syracuſani per religiones ſacrorum ullo modo fieri poſſe: fas deniq; negant eſſe. Jubet ille ſibi legem legi; recitatur: in qua ſcriptum erat, ut quot eſſent renunciati, tot in hydriam ſortes conjicerentur: cujus nomen exiſſet, ut is haberet ſacerdotium. Homo ingenioſus & peracutus, optime, inquit, nempe ſcriptum ita eſt,*

quot

quot renunciati erant. Quot ergo sunt renunciati? nihil moratus conjici jubet tres, in quibus omnibus scriptum esset nomen Theomnasti. Fit clamor maximus, cum universis indignum atq; nefarium videretur. Ita Jovis illud sacerdotium amplissimum per hanc rationem Theomnasto datur. Idem quoque Romanos in creando sacrorum rege & decemviro solitos esse, Rosinus Antiq. Rom. l. 6. c. 14. his indicat verbis: *Quod de magistratuum comitiis centuriatis dixi, idem de Comitiis Regis sacrorum intelligi debet. Hic enim pro candidatis erant duo tresve, quos inaugurasset Pontifex Maximus, ut ex iis postea populus suffragiis suis crearet, quem vellet esse Regem sacrorum, ut ex Livij lib.* 40. Dec. 4. l. 10. *colligitur.* At suffragia populi in creandis magistratibus fiebant, cum numerus inibatur tabellarum, quæ idem nomen, nimirum ejus, quem quis suffragatorum eligere cupiebat, continerent. Cujus enim Candidati nomen plures tabellæ comperiebantur continere, is ab ea centuria Consul, Prætor, Censorve factus renunciabatur, expectandaque erant reliquarum centuriarum suffragia, ut ibid. habet Rosinus, de quo plura infra. Erat autem sortium usus apud Romanos, veteres præsertim, admodum frequentatus, ut ex historia Augusta abunde constat: sic iisdem erat usitatum, ut sorte eligerent eos, qui sacras ædes dedicarent, ut Livius dec. 1. lib. 2. refert: *Nondum dedicata erat in Capitolio Jovis ædes. Valerius, Horatiusq; COSS. sortiti, uter dedicaret; Horatio sorte evenit.* Apud Phænices seu Alexandrinos mulieres quædam sorte legebantur, quæ in cultu Adonidis sacra quædam facerent, ut Schedius de DIs Germ. syngr. l. c. 4. adducit.

In Achaja aliquando etiam factum, ut mulieres sortito eligerentur ad sacerdotium, ex Pausania l. 7. in Achaicis referunt: Nam *circa Ægiensium urbem in Achaja Telluris est fanum, cujus sacerdotium mulieri decernitur, quo statim suscepto, vitam illa agit cælibem omne ætatis reliquum tempus, quanquam & ante oportuit eam cum uno tantum viro matrimonij causa fuisse. Taurini sanguinis haustu periculum faciunt, quo illa epoto, si legi fraudem fecerit, statim flagitium dicitur morte luere. Quod si plures forte sacerdotium petant, sorti creatio committitur.* De Sulpitia Val. Max. l. 8. c. 16. refert, cum Senatus libris Sibyllinis per decemviros inspectis censuisset, ut Veneris verticordiæ simulachrum consecraretur, quo facilius virginum mulierumque mens à libidine ad pudicitiam converteretur, & ex omnibus matronis centum, ex centum autem decem sorte ductæ, cunctis illam castitate prælatam esse. Virgines Vestales sorte lectas fuisse, Suetonius in Augusto c. 31. innuit, scribens: *Sacerdotum & numerum & dignitatem, sed & commoda auxit: præcipue Vestalium virginum: cumq; in demortuæ locum aliam capi oporteret, ambirentq; multi, ne filias in sortem darent: adjuravit, si cujusquam neptium suarum competeret ætas, oblaturum se fuisse eam:* quæ ex Gellio l. 1. c. 12. illustrantur, ubi habetur: *Papiam legem invenimus, quæ cavetur, ut Pontif. Maximi arbitratu virgines è populo viginti legantur, sortitioq; in concione ex eo numero fiat. Sed ea sortitio ex lege Papia non necessaria nunc videri solet. Nam si quis honesto loco natus adeat Pontificem M. atq; offerat ad sacerdotium filiam suam, cujus duntaxat salvis religionum observationibus, ratio*

tio haberi poßit, gratia Popitiæ legis per se ratum fit (alij legunt, *per senatum fit.*)

§. 8. Sed ut ad viros redeamus, antiquissimum fuisse, ut Sacerdotes sorte ducerentur, ex Aristotele lib. 4. polit. c. 15. facile intelligitur, ubi ita ait: Πολλῶν ἐπιστατῶν ἡ πολιτικὴ κοινωνία δεῖται. διόπερ πάντας οὔτε τοὺς αἱρετοὺς, οὔτε τοὺς κληρωτοὺς ἄρχοντας θετέον, ἅτε τοὺς ἱερεῖς πρῶτον. i. e. *indiget civilis societas multis præsidentibus. Quapropter non omnes, qui vel eliguntur, vel assumuntur sorte, sunt magistratus existimandi, utpote Sacerdotes.* Plura exempla congessit Tiraquellus de jur. primogen. variarum gentium sacerdotes sorte eligentium: nam apud Moschovitas hodie quoque Archimandritas & Episcopos sorte duci ait, conjectis in urnam melioribus nominibus, ut scribit Paulus Jovius in eorundem legatione. Ex Demosthene in oratione contra Neæram videre licet, apud Athenienses regem sacrificulum sorte delegi solitum. Et ex Philostrato in vita Apollinis lib. 3. apud Ægyptios quoque sacerdotes sorte eligi similiter consuevisse. Denique Hesychius tradit, Carucates tenera ætate sorte eligi, qui sacra Apollini Caruco celebrarent. Quo pertinet Sodalitium Augustale, cujus meminit Tacitus l. 1. Annal. *Idem*, scribens, *annus novas ceremonias accepit, addito sodalium Augustalium sacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris, sodales Titios instituerat. Sorte ducti è primoribus civitatis unus & viginti.* Et Suetonius in Claudio Cæsare, cap. 6. *Senatus*, ait, *quoque, ut ad numerum sodalium Augustalium, sorte ductorum, extra ordinem* (Claudius) *adjiceretur, censuit.*

De

De Sodalibus istis Augustalibus & Titiis, vide Rosin. l. 3. c. 14. & Demsterum ad h. l. nec non Lipsij notas ad Tacitum. Romulum verò laudat Dionys. Halicarn. l. 1. antiq. Rom. *quod neq; venalia, neq; sorte dividenda fecisset sacerdotia.* Et sane sunt diversa de hac sortitione, qua antistites & ministri sacrorum eliguntur, judicia: eâ tamen Papas Romanos, ceu Reges Sacrorum, eligi, ipsa facta comprobant. Lubet in exemplum afferre electionem Amedei, Ducis Sabaudiæ, factam Anno 1439. Basileæ, quam quoque ex ipsis Chronicis Basileensibus, sed in compendium redactam, recensebimus: Primo in Concilio, ibidem eandem ob causam habito, electi erant & denominati tres principales suffragatores, ceu Triumviri, Thomas Abbas de Dondraina, ordinis Cistercienſis Schottus: Johannes de Segobia, ex Salamanca Hispaniæ; & Thomas de Corcellis, Canonicus Amiensis Gallus. Hi verò 29. alios suffragatores eligere & denominare cogebantur, ut omnium suffragatorum seu electorum essent 32. His in domo Comitiali seu suffragatoria, ad Muscam dicta, prope Templum Canonicum, 32 cellulæ extruebantur, ut singuli seorsim habitarent; quarum autem cum commoditatis non exigua esset differentia, certatum est, an illæ pro dignitate suffragatorum elocandæ & distribuendæ, an sorte? vicit sors. Quippe obtendebatur mos antiquus, quo semper cellulæ suffragatorum sortitione singulis assignatæ. Quem morem avitum non temerè violandum dixere. Ergo scribebantur 32. schedulæ,

dulæ, in iisque singulorum suffragatorum nomina, atque bireto ceu urnæ immittebantur: tum Cardinalis Arelatensis educebat sortes, & quam schedulam primo prehendit, primæ cellulæ affixit, secundam secundæ, & sic deinde. Postero die, 30. Octobr. Veneris dicto, peractis sacris in summo templo, redibant Patres Concilij domum ante dictam, atque postea sortitio suscipiebatur, ea conditione, ut nullius electio rata esset, nisi 24. ad minimum suffragijs firmata esset. Locus sortitionis erat ante cellulam Cardinalis & Episcopi de Via; utrinque ibi sellæ positæ: supremum locum occupabat Cardinalis, à cujus dextra sedebat Archiepiscopus de Tarantaise, à sinistra Episcopus de Dortosa: & deinceps ordine omnes suffragatores. Ante Cardinalem stabat super scabello pelvis argentea, cui sortes injicerentur: his ita inscriptum esse debuit inscriptum: Ego N. eligo in Episcopum Romanum N. vel N. Præses sortium erat Cardinalis modo nominatus. quod si ex 32. schedulis eductis non 24. in uno aliquo consentirent, ut ex tribus partibus duæ eodem inclinarent, cremabantur omnes, & tamdiu sortitio repetebatur, dum sors hoc modo exiret. Cùm igitur prima suffragia colligerentur, multi quidem nominabantur, sed nullus ad numerum 24. votorum assurrexerat: superabat tamen omnes Amedeus, sedecim schedulis inscriptus. Sessiones ergo repetitæ: in secunda habebat iterum Amedeus 19. in tertia 21. in quarta iterum 21. Cùm verò nulla harum sortitionum pacto respon-

ſponderet, ſchedulæ omnes comburebantur. Tum ſeria de Amedeo habita eſt contentio, quod is eſſet ex ſtatu profano, pridem uxorem habuerit, ex qua generarit filios: dedecus eſſe ordini Eccleſiaſtico, quod nullus in eo eſſet hoc honore dignus, ut aliunde ſit petendus Epiſcopus, &c. alij verò pietatem ejus laudare, & quam ageret vitam, caſtam eſſe & monaſticam, ducem eſſe potentem, filios habere fortes, proindeque aptiorem eſſe & gerendo & defendendo muneri huic. &c. Quinta ergo ſortitio facta, in qua Amedeus 26. ſuffragia accipiebat, quinto die Novembr. 1439. atque tum Amedeus ex Ripallia ſua, & Cænobio prope Loſannam à ſe extructo legatione accerſitus Baſileam, ſolenniter Papa & Epiſcopus Romanus renunciatur, & Anno 1440. die 24. Julij, coronatur.

CAP. XXV.

Digreſsio ad quæſtionem, quo anni tempore Chriſtus fuerit natus.

§. I.

EX hiſtoria adminiſtrationis Zachariane, in qua munus ſuffitum adolendi ſortitò evenit, Viri docti & judicio pollentes tempus nativi-

nativitatis salvificæ conati sunt eruere, methodo utentes vel progrediente vel retrograda. Josephus Scaliger enim incipit supputare à tempore λειτουργίας ordinis Jojaribh, quæ ætate & instituto Maccabæorum inciderat in diem 24. Novembris, A. M. 3785. Cùm verò classium fuerint 24. & quælibet semper septimanam unam, à Sabbatho ad Sabbathum administrarit (עולין לירושלים לעבודה משמר לכל שבת· ומיום השבת ליום השבת הן מתחלפין משמר יוצא והאחר שהוא אחריו נכנס עד שיגמרו יתורין חלילה, *Ascendebant Hierosolyma ad ministerium sacrum classes singulæ sabbathis singulis: à die sabbathi ad diem sabbathi permutabant vices suas, ita ut una ἐφημερία functione sua peracta, exiret, & sequens eam ordine ingrederetur: donec in orbem redierit totus sacer ordo*, ait Rambam in Hilch. Kel. hammikd. c. 4. §. 4.) tot ergo hebdomades ponendæ sunt, quot erant classes sacerdotales. Sic pergendo à tempore λειτουργίας Jehojaribhi ad tempus λειτουργίας Zachariæ ex ordine Abhiæ accurata calculatione deducit Scaliger annos 160. & menses 8. ut conceptio Johannis B. inciderit in A. M. 3946. circa finem Julij, aut initium Augusti. Ab hoc tempore ad conceptionem Salvatoris sunt menses sex: ergo hæc incidit in A. M. 3947. in Januarium: adde menses novem gestati sancti uteri, nativitas salutaris incidit in A. M. 3947. inque Septembrem.

§. 2. Quæ supputatio utut acuta sit & ingenioſa, tres tamen maxime ob difficultates vix superandas incerta videtur, primò enim ratio-

ratione termini à quo magnum ideo oritur dubium, quod neque ex libris Maccabæorum, neque Josepho demonstrari certò potest, quo die λειτουργία Jehojaribbi inceperit: nam & dies 24. Novembris est ambiguus est ἐφημερία: cum enim cultus divinus bello fuerit perturbatus, quis cum ille restauraretur, certo Jehojaribbanam potius classem, quam aliam (inprimis eam, in qua belli primus furor ordinem sacrum concussit) iterum inchoasse, liquido asseverabit? deinde terminus per quem seu intermedius non satis firmus est. Quamvis enim pro certo statuatur, à tempore per Maccabæos restaurati cultus nunquam ordinem fuisse interruptum; possit nihilo minus aliquis de non soluto custodiarum sacrarum ordine dubitare propter varias & belli & alias injurias populo Judaico illatas, atque ideo de tempore isto, de quo quæritur, esse incertus. Nec denique terminus ad quem, λειτουργία ipsa Zachariæ & conceptio Johannis ullo caret dubio: cum enim cujusvis classis λειτουργία bis in anno revoluta recurrerit, quia bis 24. sunt 48. septimanæ autem totius anni 52. ergo bis Abiæ familia in eodem anno 3946. administravit primô in Januario vel Februario, atque iterum septembri: quæritur jam, priorne an posterior λειτουργία sit ponenda, & in Luca intelligenda; etiamsi annus certus sit, & constet communem potius fuisse quam intercalarem.

§. 3. Tutiorem ergo viam tentaturus D. Wagenseilius, retrogressum init, à tempore & die

die templi secundi combusti, qui est nonus & decimus dies mensis Abh; nono enim incensum est templum, decimo incineratum: hunc ajunt esse Augustum. Josepus clare nominat decimum Augusti, tum vero cum templum flammis exustum corrueret, Talmudicorum testimonio Jehojarihb familia vices sacras obibat in ipso templo. Hic terminus longe est vicinior adeoque facilior illô, qui ab Encæniis Maccabaicis repetitur. Ab hoc vero anno ultimæ administrationis Jehojaribanæ custodiæ ad tempus administrationis Abiæ seu Zachariæ, sunt anni 71. quos percurrendo deprehenditur ordo Abiæ administrasse A. M. 3946. a die 12 Junij ad diem 19. ejusdem: deinde iterum eodem anno à die 27. Novembris ad diem 4 Decembris, vel ab hoc 4. Decembris, ad 11. hujus. Mox post alterutrum horum dierum Johannes est conceptus, addo jam novem menses gestati uteri, erit tempus nati Johannis finis mensis Februarij, aut initium Martij A. M. 3947. vel Augusti medium ejusdem anni. His addantur menses sex, quos Johannes Christum præcessit emerget September A. M. 3947. vel Februarius A. M. 3948. sic calculatio ista cum Josephi Scaligeri quoad mensem probe conveniret, distaret autem ab ea quoad annum.

§ 4. Veruntamen & hæc calculatio non minoribus laborat scrupulis, ipso D. Wagenseilio observante, ut de certa sententia sit penitus desperandum. Primo enim non constat, quis ordo tum fuerit, cum Zacharias administrarer,

prior in anno an posterior? id dubium integras concernit 24 septimanas & propemodum dimidium annum, quo bruma ab æstate, ver ab autumno distinguitur. Quis deinde diem aut mensem revelabit, quo Zacharias ad penates rediens divina benedictione vegetus Elisabetham fæcundavit? quæ res quandiu in dubio relinquitur, non nisi ambigue quoque de ipsa Servatoris nostri conceptione pronunciare possumus, illique assignare vel finem Novembris, vel Maij medium, ut ipse D. Wagenseil judicat. Tertia difficultas est circa diem mensis: denominatur quidem illa à Talmudicis, nonus scil. mensis Abh: quinam vero ille sit in nostris Calendariis, doctis non unus est sensus. Notum autem, apud Hebræos omnium mensium initia esse neomenias seu novilunia. Mensis igitur Abh incipit à novilunio Julij, ut Buxt. in Lex. Talm. docet. Et sic ponit Carolus Sigonius in Calendario Hebraico mensem Abh pro Julio, nec non Schindlerus in pentagl. & Munsterus in Cal. Hebr. ait, plerunque אב respondere Julio nostro. At D. Wagenseilius tanquam certum sibi sumit, non falli Scaligerum, Calvisium, cæterosque communiter Chronologos, quando diem 9. mensis Abh, qui Hierosolymitano templo ultimum excidium attulerat, in illo anno, quo hæc clades accidit, cum die 10 Augusti Julianæ supputationis, coincidisse affeverant. Adducit porro alios, qui nonum hunc mensis Abh coniiciunt in Augusti quartum, alios, qui in primum Septembris: quod si vero dies nonus

Abh

Abh est decimus Augusti, quo Josephus templum igne consumtum narrat, utique dies primus Abh erit dies secundus Augusti, atque ita Abh nullo modo cum Julio conveniret, nec Abh erit undecimus sed duodecimus mensis, à Septembri annum seu ordinem mensium inchoando. Quem doctorum dissensum valde miror, & nescio, an originem trahat ex eo, quod Josephus excidium templi referat ad diem decimum Augusti, Talmudici vero לתשע באב, in nonum mensis Abh: unde forte fuerunt, qui nonum Talmudicorum eundem esse putarunt, qui Josepho est decimus Augusti, quos vero etiam sibi contrariari si dicamus, non injuria fieret. Attamen dissidio huic componendo succurrendum potius est ex embolismo. Hebræi enim annum & menses numerant secundum cursum lunæ, observantes primo annum lunarem, qui facit dies 354. horas 8. momenta (quorum 1080. faciunt horam) 876. deficiunt ergo ad annum solarem complendum dies 10. horæ 21. momenta 204. qui defectus ut suppleatur, Hebræi sequenti anno adiiciunt adhuc mensem unum, quem vocant ואדר, ut annus embolimicus haberet menses tredecim, communis vero duodecim. Fuerit ergo annus ille, quo templum combustum, embolismicus constans duobus Februariis, אדר & ואדר; hic ergo veadar succesſit in locum Martij, hic in locum Aprilis, hic in Maij, hic in Junij, hic in Julij seu אב, hic in Augusti, &c. ita mensis Abh anno vulgari erat Julius, embolismico verò ex parte Augustus. Si quis jam ab

hoc nono mensis Abh seu decimo Augusti retro calculare velit, ad tempus administratæ λειτουργίας Zachariane, ex ordine Abia, multa illi momenta multas horas, dies, menses, annos, intercalares & ordinarios, numerare & computare incumbet, quam spartam ego lubens cuilibet alij exornandam permisero; nisi enim accuratissime hoc fiat, frustra certum tempus nativitatis salutiferæ definiri poterit, & quicunque chronologi veterem rationem mensium una cum integri mensis seu Adar secundi ex re nata & pro Synedrij magni libitu intercalatione incertum non discunt aut non advertunt, de vero anno & die passionis D. N. Jesu Christi, adeoque de natalium tempore inde disputant, circa inacceisa frustra nimis sudant, scribit Seldenus l. 2. c. 6. de jur. N. & G. ad discipl. Hebr.

§. 5. Aliquando mentem meam circa tempus hoc gratissimum totique orbi auspicatissimum cognoscendum curiosam nimis, occupaverat divinatio ex verbis Luc. I. 26. ἐν τῷ μηνὶ τῷ ἕκτῳ. Syriace: בחדשא דין דאשתא, *in mense sexto*, vel ad exprimendam emphasin articulorum, *mense eo, qui erat sextus*; videbatur mihi notari hic mensem à numero suo, ut Hebræis solenne est, denominatum. notum enim, Hebræos vix propria & alia, quam à numero sumta nomina mensium habere, vocantes primum, secundum, tertium, quomodo & dies septimanæ à numero appellare solent: ex inductione locorum apparebit melius; primus mensis habetur Gen. VIII. 13. Exod. XII. 2. C. XIII 4. Cap. XL. 2. 17. Lev. XXIII. 5. Num.

5. Num IX. 1. Cap. XX. 1. Cap. XXVIII. 16. Cap. XXXIII. 3. Jos. IV. 19. Esr. VII. 9. Cap. X. 17. Esth. III. 12. 1. Paral. XII. 15. Cap. XXVII. 2. 3. 2. Par. XXIX. 3. Cap. XXXV. 1. Ezech. XXX. 20. Cap. XLV. 18. Dan. X. 4. Judith II. 1. 1. Macc. IX. 3. Secundus, 1. Reg. VI. 1. Gen. VII. 11. C. VIII. 14. Exod. XVI. 1. Num. I. 1. 18. Cap. IX. 11. Cap. X. 11. 1. Sam. XX. 27. 34. 1. Par. XXVII 4. 2. Par. III. 2. Cap. XXX. 2. 13. 15. Esr. III. 8. 1. Macc. IX. 54. Cap. XIII. 51. Tertius Sivan, Esth. VIII. 9. Exod. XIX. 1. 1. Par. XXVII. 5. 2. Par. XV. 10. Cap. XXXI. 7. Quartus. 1. Par. XXVII. 7. Jer. XXXIX. 2. Cap. LII. 6. Quintus, Num. XXXIII. 38. 2. Reg. XXV. 8. 1. Paral. XXVII. 8 Esr. VII. 8. 9. Jer. I. 3. Cap. XXVIII. 1. Cap. LII. 12. Ezech. XX. 1. Zach. VII. 3. 5. Cap. VIII. 19. Sextus 1. Par. XXVII. 9. Hagg. I. 1. Cap II. 1. Septimus, Gen. VIII. 4. Lev. XVI. 29. Cap. XXIII. 24. 27. 34. 39. 41. Cap. XXV. 9. Num. XXIX. 1. 7. 12. 2. Reg. XXV. 25. 1. Paral. XXVII. 10. 2. Par V, 3. Cap. VII. 10. Cap. XXXI. 7. Esr. III. 1. 6. Neh. VII. 73. Cap. VIII. 1. 2. 14. Jer. XXVIII. 17. Cap. XLI. 1. Zach. VIII. 19. Hagg. II. 2. Octavus, 1. Reg. XII 32. 33. 1. Par. XXVII. 11. Nonus 1. Paral. XXVII. 12. Esr. X. 9. Jerem. XXXVI. 9 22. Hagg. II. 11. 19. Decimus Gen. VIII. 5. 2. Reg XXV. 1. 1. Par. XXVII. 13. Jer. XXXIX. 1. Cap. LII. 4. Ezech. XXIV. 1. Cap. XXIX. 1. Cap. XXXIII. 21. Esr. X. 17. Zach. VIII. 19. Undecimus 1. Par. XXVII. 14. Duodecimus 2. Reg. XXV. 27. 1. Paral. XXVII. 15. Jer. LII. 31. Ezech. XXXII. 1. ex quibus manifestum, sæ-

pius menſes à numero ordinis ſui, quam nominibus propriis, fuiſſe appellatas, inprimis in libris antiquioribus, & pure Hebraicis, unde Hebræi obſervant, tres tantum menſes in lingua Hebraica reperiri, cætera nomina peregrina eſſe, & vel Chaldaica, vel Syriaca, vel Perſica. Sic AbenEſra ad Exod. XII. בו נחל לספור והוא יקרא ראשון בין שהיתה השנה מ"ב חדש או י"ג וכאן כתוב בחדש השני בחדש השלישי וכלם על דרך הזה וניסן ואייר וסיון וכל שמות החדשים אינם לשון קדש כי אם לשון כשדים על כן לא תמצא במקרא כתוב אחד מהם ולא בכל המקרא רק בנבואת זכריה ודניאל ועזרא ומגלת אסתר שהן בגולה, *Ab hoc* (menſe Abibh) *incipit* (Moſes) *numerare* (menſes) *atq; hic vocatur primus, ſive annus habeat* 12. *ſive* 13. *menſes: atq; hunc in modum ſcribitur: in menſe ſecundo, tertio, atq; ita porro ſecundum ordinem iſtum. Niſan vero, & Ijar, & Sivan, atq; omnia nomina menſium non Hebraica, ſed Chaldaica, propterea non reperies in ſcriptura* (forſan legendum eſt בתורה, in Lege) *ullum ex iſtis* (nominibus propriis) *neq; in tota ſcriptura, niſi in prophetia Zachariæ & Danielis, & Eſræ, & volumine Eſther, qui fuerunt in captivitate Babylonica.* vide etiam R. Eliam Lev. in Tisbi, אב, & Munſt. de annis & menſibus Hebr. confer 2. Macc. XV. 37. ubi Adar nomen menſis duodecimi vox Syriaca ſeu Chaldaica dicitur eſſe. Quando ergo in textu aliquo ſacro reperitur menſis vocatus primus, ſecundus, ſextus, &c. idem eſt ac ſi menſis nomen proprium eſſet poſitum, quia ita conſuetum eſt menſes à numero ordinis denominare, niſi diſertis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn784953996/phys_0362
DFG

sertis verbis numerus ad seriem historiæ referatur, uti Exod. XVI. 1. & Cap. XIX. 1. clarè additur יצאת egressionis: Quibus observatis, verba Luc. I. 26. *Et mense sexto missus est Angelus*, &c. idem volunt ac, Et mense Elul, qui sextus est in anno, secundum numerum mensium Bibliorum. Respondet autem Elul nostro Augusto: Ergo mense hoc cœlestis illa legatio facta, nativitas autem salvifica incideret in Majum. Dubitarunt semper viri docti, an θεογονία Salvatoris nostri facta sit eo tempore, quo hodie ex antiquo ritu celebrare consuevit Ecclesia: quod eodem tempore, & noctu quidem pastores cum gregibus suis in aperto versarentur campo, & quidem, ut apparet, sub dio, quod tempus totius anni durissimum est. Quamvis enim terra Judaica meliori cœlo quam nostra septentrionalis fruatur, hyems tamen & ipsi molesta est. confer Matth. XXIV. 20. Verum ut nullus hactenus ita secure tempus θεοτοκίας adstruere potuit, quin ipse offendiculum & scrupulum sententiæ suæ noxium senserit: ita nec ego hanc meam tam audax & temerarius assero, quin aliquid molestiæ mihi obiici possit, præsertim ex eodem ipso loco Luc. I. nam vers. 24. dicitur, Elisabetham abscondisse se menses quinque, & vers. 36. ᾧ ἕκτος μὴν ἐστὶν αὐτῇ. Hoc unum illud est, quod me dubium habet, præter quod aliâs confidenter sensum tenerem. Nec tamen hastam arreptam protinus abiicio: primò enim verba, ἐν τῷ μηνὶ ἕκτῳ absolute ponuntur, non addita restrictionis vocula ad præcedentem actionem

nem seu historiam, quomodo vers. 36. additur ὡτῇ, (τῇ Ελισαβέθ). Deinde non impedit, quin mensis sextus à concepto Johanne sit Elul, mensis ordine & numero sextus in anno: quomodo in ante adductis locis Exodi mensis secundus & tertius erat talis & ratione exitus ex Ægypto, & ratione ordinis mensium. Si sextus ille mensis anni fuit, quo Legatio Divino-Angelica & conceptio Benedicti Seminis; simul etiam potuit, mensis sextus esse, imò fuit à concepto Johanne B. Quemadmodum ergo Hagg. I. 1. בחדש הששי, in mense sexto, & Cap. II. 1. בשש', in sexto, intelligitur Elul, sic in Luca, in quo simul advertenda emphasis articulorum τῷ μηνὶ τῷ ἕκτῳ, *in mense eo, qui est sextus*, ut Syrus exprimit.

§. 6. Cum vero & sententia non ita fixas in mente mea egerit radices, quin si alia commodior obiiciatur, iterum eximi queat, & promtus sim illius loco aliam recipere, in hac ipsa materia de sortitione sacra, qua Sacerdotes de jure adolendi suffitus certarunt, occurrit mihi ea, quâ tempus hactenus ab Ecclesia receptum & retentum à seculis primordialibus N. Testamenti, confirmatum videtur; ajunt enim quidam patrum. Zachariam eo tempore, quo administrabat sacra suffitus, munere Sacerdotis M. functum esse, cum nulli festo Expiationum nisi Pontifici licuerit adolere; unde non facile vetustissimo huic mori, qui festum nativitatis Dominicæ 25. Decembris celebratur, interpellandum, atque hinc iterum posita ante

mea sententia vacillare cœperat, cum communis hæc sententia ad nostra tempora usu ipso & consuetudine, nec non Hebræorum traditionibus consentire appareret; munus enim adolendi secundùm Talmudistas omnigenæ benedictionis auspicium & fructum habebat, quomodo & hoc in Zacharia facto ipso confirmatum, quem salutaris benedictio & prolifica felicitas in extrema senectute exhilaravit. Ut vero, quam firmiter hæc ratio antiquam consuetudinem stabiliat, cognoscamus, jubet historiam ipsam suffitus sacri ex vetustis Hebræorum monumentis repetere, breviter tamen, & quantum ad nostrum negotium sufficere putabimus, ne latius extra oleam sortium nostrarum vagemur.

§. 7. Sic ergo ex R. Mose Majemonide, in hilchos seu traditionibus suis prolixe rem tractante, diligenter inquirendo didicimus: Duplex erat olim suffumigatio Sacerdotalis, altera quæ fiebat quotidie, תמיד, jugiter, altera, quæ solo festo expiationis in Sancto Sanctorum: atque hæc non nisi Pontifici M. aut si quo casu esset pollutus & factus inidoneus, Vicario ejus Segen dicto, contingebat, sed absque sorte. Altera autem, suffumigatio jugis seu quotidiana & vulgaris, peragebatur bis singulis diebus, mane & vesperi, super altari aureo, in templo: cumque sacerdotes aliâs singulis diebus semel tantùm sortirentur, mane nimirum, quis eo die toto & quæ munera perficeret, etiam

am vespertina; ob suffitum tamen faciendum bis sortiti erant, mane & vesperi, quia ministerium hoc adolendi magnam sacerdoti divinæ benedictionis affluentiam afferre credebatur: unde & soli sacerdoti M. permissum erat, quotiescunque vellet, sine sorte, suffitum facere. Quando vero functio ista, sive a sacerdote M. sive vulgari administrabatur, tum velum aliquod ducebatur inter atrium exterius, ubi populus stabat, & inter altare aureum, in quo fiebat fumus sacer, ut populus & sacerdos adolens esset separatus, nec ulli hominum licebat tum intro esse, donec sacerdos. peracto suffitu, exiret. Non autem incipiebat adolere sacerdos, donec Præfectus sortium juberet, dicendo: Fac suffitum. Si vero Sacerdos M. adolebat, dicebat ei: Domine Sacerdos Magne, fac suffitum: quo dicto, statim velum obducebatur, & rite omnibus peractis, invocatoque Deo, exibat extra velum. Sed Festo expiationum suffitum utrumque, matutinum & Vespertinum, solus Sacerdos M. exequebatur, & peracto vespertino lucernas seu lumina sacra recte disponebat, ut quotidie, tum abluit manus pedesque, exuit vestes aureas, induitque vestes suas, abitque domum suam, abeuntem comitatur populus ad domum usque; instituit convivalem festivitatem ideo, quod salvus & incolumis esset egressus è Sanctuario. Ministerium enim hujus festi erat omnium gravissimum totius anni, atque ponderosum: fuit enim dies auspicatus & ominosus, unde auguria captabant & signa vel gratiæ vel iræ divinæ;

vinæ; si Sacerdos M. vel prosperè vel minus, in sanctuario & ministerio hujus festi, vices suas peregisset. Hæc ex Majemonidis Jadh excerpta sunt, tractatibus nimirum de vasibus sanctuarij ministerio diei Expiationum, de iis quæ quotidie in templo fiebant, vel & quæ ex singulari festo iis accedebant, &c. ipsa loca & verba insignis hujus Doctoris Hebræorum exscribere, prolixum fuisset: eò majoris autem sunt habenda, quod ex ipso Talmude collecta sunt, ut in Késeph Mischnæh seu commentario R. Joseph ben Karo annotatum, nec animadversionibus R. Abraham ben David obnoxia sunt.

§. 8. Quibus ergo expensis, tempus quod ex ministerio Zachariæ ad conceptionem Johannis B. & inde ad nativitatem toti mundo salutarem, ducitur, adeò non confirmatur seu legitimatur, ut potius apertè antiquandum sit. Zachariam enim non Pontificem fuisse, inde primò patet, quod neque Josephus neque ullus veterum Scriptorum fastis Sacerdotum maximorum inseruerit; deinde ex eo quoque, quod Zacharias munus suffiendi sorte sit adeptus; quod dignitati Sacerdotis M. apud Hebræos non congruere sunt arbitrati, quippe qui omnia sua ministeria vel ex jure sacerdotij summi, vel libertate sua peragebat, ut modo visum. Disertis denique verbis Lucas asserit, Zachariam fuisse ex ordine Abia: quod & ipsum Eminentiæ Summo-Sacerdotali adversum: nulli enim ordini Pontifex subordinatus, nulli

ἐφη-

ἐφημερίᾳ obnoxius, sed Rex erat sacrorum, & Sacerdotum omnium Princeps primarius. Atque hinc diem, quo Zacharias, collega ordinis octavi, adolevit, & sorte quidem ad id designatus, non fuisse magnum illud festum quo Sacerdos M. Deum reconciliare, peccataque populi expiare ex instituto divino debuit, ultro consequitur; quia, uti audivimus, solus Saeerdos M. diei hujus piacularis sacra, saltem præcipua, inter quæ adolere erat, exequi potuit. Cum vero sacerdotibus vulgaribus sorte evenerit quotidie bis suffitum facere; quis jam certum tempus, ipsumque ex 365. totius anni diem starum denominabit? nihil ergo ex loco isto Lucæ efficitur pro stabiliendo tempore apud nos observato; quin potius ex eodem destruitur; ut ita, proh dolor! amæniſſimi illius temporis, quod filium Dei, generis humani delicias & unicum decus, nobis cœlitus condonavit, ratio & certa dies hactenus nos lateat: manum ergo de tabulâ ista, nam in me retorqueri posse video Terentianum dicterium:

Feciſti probe! incertior ſum multò, quam dudum.

CAp.

CAP. XXVI.

De

Sortitione, qua divi patroni, & certi ordines eliguntur.

§. I.

IMperia. regna, terras, provincias, urbes, domos, hæreditates, officia, functiones deniq́ue officiorum, & res quaſvis ſacras & profanas, ſortium judicio fuiſſe commiſſas hactenus dictum; atq́ue ſatis fuiſſet, niſi & Jeſum ipſum, B. ejus matrem Deiparam, Divos Apoſtolos, cœleſtes incolas, ſanctos ſeu veros ſeu fictos ſorte dividere, idololatria & fœda ſuperſtitio dictitaſſet papicolis, qui ut ſcirent, quem patronum, & ordinis Magiſtrum haberent, ſortes conſuluerunt, ei, quem ſortes deſignarunt, ſe devoventes: qui mos ut ajunt è familia Borgia traductus eſt, quod Stengelius ex Andrea Schotto, l. 1. vitæ Franciſci Borgiæ, cap. 1. & l. 4. c. 4. docet. *Erat* enim, ut ſcribit, *ſolenne familiæ Borgiæ vetere inſtituto, ut è divorum numero aliquem quotannis ſorte duceret. Servabat religioſe hunc morem puer etiam tum Franciſcus* (Borgia) *quem etiam in ſocietatem* (Jeſu) *induxit, prius quam familiam ducere capit. Divi nomen cui obveniſſet, is profecto Die duos*

mendi-

mendicos vicatim collectos alebat; *festo vero binis bini mares, fœminis fœminæ, ad mensam ministrabant. Ex hoc fonte manavit pia solennisq; societatis consuetudo, ut singulis mensibus sanctorum nomina sorte è situla educantur distribuanturq;. Quo die votis conceptis religioseq; persolutis opem sui quiq; Divi implorant. Didicerat id in gentilitia Borgiæ familia Franciscus. Ognati quoq; idem servavit, multa sociis indulgens*, (quem locum alij aliter legunt.) *quo die Divi nomen sorte illis obtigisset: ipse ad hæc precationi plus etiam temporis tribuere solitus.* Hunc morem à Societate Jesu in B. Virginis sodalitates, atque inde in alias atque alias magno cum fructu esse propagatum, narrat Stengelius, atque hoc modo multos è parvis schedis magna extirpare vitia, egregiasque exercere virtutes, sanctosque peculiaribus colere honoribus didicisse: assuetudinem autem quosdam facere negligentes, alios ignorantiam utendi tanto fructu privare: *si exhortatores aut concionatores tollerent ignorantiam* (quam tamen ipse Stengel. in pastoribus, tanquam Arcadico pecore, aut asinis stupidis & simplicibus laudat & excusat, Cap. 1. §. 13. vide supra Cap. 9.) *extinctis utiq; impiis sortilegiis, sortes bonas inducerent, cultumq; Divinum longe lateq; propagarent*, atque ita quoque idololatriam seu hagiolatriam ubique in regno pontificio grassantem magnopere amplificarent. Quid vero boni patres isti & fratres, in Christo iniquitatis aut querelæ invenerunt, ut ab illo discedentes ambularent post vanitatem, & relicto vivo irent ad demortuos, ipsi vani facti hoc modo? Jer. II. 4. Confer Matth. XXIII. 8. seqq. Sed ait Stengelius

inter

inter arcana Dei hoc habendum esse, quod Sancti honorem hunc sibi sine ulla malevolentia, invidia, æmulatione, & contentione deferri patiantur, etiamsi unus alterô colatur impensius: hoc enim non fieri in præjudicium, quasi alter altero sit sanctior, aut in administrando potentior: sed cum universim omnes tanquam nimis honorati amici Dei invocentur, unus eligitur, alterque ab hoc, alius ab alio colitur, sanctorum beneficia hoc modo mundo melius innotescunt. Si in magnis aulis & splendidis conviviis singuli convivarum habeant singulos servos: cur non & divina sapientia sanctis suis provideat servos, & Servis sanctos peculiares? imò providet: quin & sancti ipsi ultro nonnunquam se ingerunt humanis istis ministeriis & devotioni: quod probat Stengelius exemplo D. Andreæ; consuetudinem esse maxime suæ provinciæ matronis, ut *specialem sibi qualibet Apostolum eligat: in duodecim candelis duodecim Apostolorum nomina, singula in singulis scribi, quæ à sacerdote benedictæ altari simul imponuntur: accedens vero fœmina, cujus nomen per candelam extrahit, illi plus cæteris & honoris & obsequij impendit. In hunc modum cum quædam matrona S. Andream extraxisset, & ei non placuisset, reposita candela, alium habere voluit, sed iterum non occurrit. Quid plura? tandem traxit sibi placentem, cui cum multum exhibuisset obsequij, per omnes dies vitæ, & ad extrema perveniens, esset moritura, non illum, sed B. Andream sibi assistere vidit. En,* inquit, *ego sum ille despectus Andreas!* Similem impiam fabulam refert idem ex libro, cui titulus: *Thesaurus novus de sanctis*, ex serm. 16. qui liber impressus est Argentinæ A. 1486. in folio,

folio, de Thoma, à ruſtico quodam (ſanctum aliquem patronum ſorte inquirente) rejecto; qui vero cum ruſticus in mare, inſtar Jonæ prophetæ, projectus extrema periclitaretur, nocte apparuit ei, auxilium ei ſponte offerens, atque ita in patronum receptus eſt. Ex Surio & Jacobo Montano Spirenſi itidem Stengelius Jeſuita adducit exemplum S. Eliſabethæ, uxoris Landgravij, *quæ D. Johannem Apoſtolum, præter cæteros charum, ſibi patroni loco delegerat: ne tamen electionis eventu incerto, quia ſorte agebatur, alium quam Johannem nanciſceretur, præmiſſa ad Deum prece effecit, ut quem ſummopere volebat, ſemel iterumq; ac tertio ſortiretur. Cujus voti compos effecta, adeo dilexit coluitq; adeptum, ut ob ipſius nomen meritumq; rogantibus, nihil denegandum putaret.* Atque hôc ipſô imitatam eſſe Eliſabetham pietatem Chriſtianorum veterum aſſerit Stengelius; imò & Sanctos ipſos veteres alios ſanctos maxime Apoſtolos in patrocinium invocaſſe & coluiſſe idem contendit: *ſic culti ſunt à Baſilio & fratre Nyſſeno Martyres quadraginta, itemq; Theodorus. Sic cultus eſt à Chryſoſtomo Paulus, ab Auguſtino Stephanus, à Gregorio Andreas, ab aliis alij:* unde nihil eſt quod quis de invidia & æmulatione inter ſanctos electos cogitet: *nullus enim alteri invidet, nullus exiſtimat, ſe injuria affici, quando alter honoratur. Alioqui etiam Eccleſia nullam auderet orationem ad S. Martinum fundere, ne D. Georgius offenderetur: aut cum S. Nicolai feſtum celebratur, metuendum eſſet, ne S. Dionyſius læderetur. Certe multi beneficio obſtricti videntur, ut unum Sanctum præ alio venerentur. Cur enim S. Benedictum P. P. Benedictini, S. Bernardum Bernhardini, S. Franciſcum Franciſcani, S Dominicum Domi-*

Dominicani, S. Norbertum Norbertini, & qui S. Ignatij instituta sequuntur, S. Ignatium peculiaribus obsequiis non venerarentur? Colit quisq; ducem suum, eumq; merito censet honorandum, quem ei Deus dedit imitandum: quæ argumentorum Jesuitæ Stengelij sunt pondera. Optima sors cecidit Davidi, cui Jehova pars erat portionis suæ, & calicis sui; hic sortem ejus sustentabat: hæreditates ei ceciderunt in amœnissimis, & possessio jucunda facta ei. Is posuit sibi ducem Jehovam Jesum jugiter, qui erat ei à dextris, neque dimovebitur. Ps. XVI. 5. seqq. Et sic omnes verè pij, Jesum suum unicum sequentes ducem, unicam viam & veritatem, patrono unico dediti & confisi; qui alium sequuntur, multiplicabunt dolores suos.

§. 2. Auxit religio sortitionem istam, qua sanctos elegerunt, ut nomini sancti deligendi in scheda adjungerent sententiam aliquam, sanctitati & virtuti sancti illius accommodam, vel etiam quoquo modo utilem, ceu symbolum aliquod, ad commonefaciendum eum, cui patronus sanctus cecidit, & singularem quandam virtutem injungendam, vitiaque, quibus forte indulgebat, devitanda; sæpe etiam hoc modo sortienti, si mors ei supremaque fata imminerent, commonefactio ad præparationem dignam, exivit cum scheda: mille hîc, ait Stengelius, exempla sese offerunt, ex quibus pauca saltem adducit. Ait, scire se quendam, cui meditatio mortis eo mense obvenerit, quo mortuus est: alij eodem die: inprimis duo recentia exempla memorat, quæ eodem anno, quo hæc scripsit, 1644. contigerunt, quorum alterum

sibi domesticum, alterum vicinum fuerit. Domesticum erat fratris alicujus Ingolstadij, industrij, laborioſi, Johannis nimirum Nicolai, Steingadenſis,&c. is prid.Cal. Febr. ſanctum menſtruum de more accepit, Blaſium, cujus feſtus dies in tertium Febr. incidit. In ſcheda, qua ſanctum hunc eduxit, non ſolum meditatio mortis, ſed & vigil præparatio ad eam, commendata. Tertio poſt Februarij die non procul Voburgo, communi via, per rivum, reſolutis nivibus repente exundantem, curru tranſiturus hauſtus eſt. Vicinum vertis Majoris congregationis Landshutanæ, ad Ingolſtadienſem Academicam Sodalitatem Partheniam ſcribentis, refert: breviter ita habet; Nobilis Dominus Onuphrius Kreitmair, præfectus arcis Landshutanæ admodum religioſus, cum ſortiretur Sanctum ſuum menſtruum, ſententia adſcripta mortem meditari juſſus eſt, pridie quam obiret: Illuſtrius eſt quod de Anna, Caroli Auſtriaci filia, Ferdinandi II. ſorore, Sigiſmundi III. prima uxore, Uladislai Regis Poloniæ matre: eam tutelarem ſibi in menſes ſingulos alium, pro ſodalitatum Deiparæ ſacratarum more ſortito delegiſſe, cui dum inſcriptam ſententiam acciperet: Memento homo, quia pulvis es, &c. ceu mortis commonita, omnibus ſe muniit ad obitum, ac diſceſſit è vita A. 1598. Alij iracundo & ignoſcere nolenti, manſuetudo, & commonefactio patientiæ Chriſti in ſcheda porrecta eſt, & profuit. poſtquam enim illi ſententia D. Apoſtoli ſortito eveniſſet: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia, tollatur à vobis, cum omni malitia:*

adver-

adversarium salutare suaviter, eique benefacere cœpit. Simile propemodum est quod ex Drexelio: l. 2. Trism. c. 7. §. 3. de juvene quodam, qui in morbo vehementi cupidus convalescere, Deo & religioso statuî se devovit: restitutus vero in mala omnia ruit, indies seipso deterior factus, hoc solo retento, quod Beatissimam Virginem & Marianæ congregationis cætum non penitus deseruerit. factum vero est, ut stato die cum cæteris sanctũ menstruum sortiretur; tum ipsi simul sententia Doctoris Bernardi pronunciabatur, in schedula sortis transcripta: *Quid tardas ipsum, quem jamdudum conceperas, spiritum parturire solutis? nil mortalibus vel morte certius, vel incertius horâ mortis, quomodo vivere potes, ubi mori non audes?* Quo audito juvenis quasi fulmine ictus, monitorem è cœlo agnovit, & illo statim die fugam è lubrico in tutum paravit, alteraque luce hilaris & alacer ad religiosam domum contendit, iisque se aggregavit, quos diu fugerat, victurus illic, ubi mori non trepidaret. Cum autem Jesuita ipse intelligat, lusus hujusmodi vanitati obnoxios esse, & fallaciis, caute iis utendum monet, tres cautelas præscribens, quas cum nos nihil attineant sancti sive menstrui sive annui, sive quicunque sorte distributi, omittimus, iis observandas, qui ut milites in passione de vestibus Salvatoris sortiti sunt, ita sorte utuntur pro bonis & sanctis Ecclesiæ cœlique dividendis inter se. Et quid opus est, sententias biblicas sorte deligere? nonne omnibus patet verbum Dei, omnibus omnia ejus monita incumbunt? Quis sanctus unquam dicta S. Scripturæ sortitionis lusu

sibi inquisivit? dulce autem est pontificiis patribus, fratribus, sororibus, amicas quærere & sortis consilio deligere sodalitates, vel Johannæas, Franciscanas, Augustinianas; vel Marianas, Susannas, Margarethinas, Sibyllinas, &c. sive sorte sive forte accidat, nam quasdoque *Sancti etiam ultro se ingerunt humanæ devotioni* religiosorum & religiosarum, ut Stengelius affirmat.

§. 3. Vicinum his est, quod in papatu de certo vitæ religiosæ ordine sortes consulunt, & quis præ altero amplectendus, explorant. Sic Sanctus Franciscus trina Evangelij apertione & singulari revelatione cœlitus didicisse Christi more & exemplo multa passurum, atque omnia fortiter ferenda esse. Sanctus Lojola lectione S. Codicis informatus est fortuito quidem, sed verè à Deo singulariter admonitus de vita Salvatoris & vitis Sanctorum. Quod hodie quoque observant Sancti in papatu: exemplum ex Alphonso Cajetano producit Stengelius de Sancto Franciscano Cajetano, qui perspecta mundi vanitate, statuit sese rebus humanis abdicare, totumque Christo, in religioso ordine, mancipare. Duo verò ordines præ cæteris ipsi Sancti videbantur, Sanctorum scil. P. P. Capucinorum, & sanctorum patrum Societatis Jesu. Sed cùm & inter hos parem esse sanctitatem cognosceret, quonam animum appelleret, hærebat. Trahebat illum ex una parte desiderium pœnitentiæ affectusque, quò erga sanctum Franciscum flagrabat. Retrahebat ex altera parte corporis imbecillitas, & tenera delicateque educta complexio:

plexio: offerebatque sese identidem concepta de Societate Jesu opinio, quam mirè auxerat sanctitas clarissime resplendens in P. Casparo, concionatore Societatis, ac spirituali duce illius, ad hujus viri normam imitandam extimulabatur. Fluctuabat inter hos ordines diu, neque poterat ita se in unam partem inclinare, quin illicò in alteram revocaretur: nimirum, nesciebat Cajetanus iste, uter ordo sanctior, Cappucinus an Jesu? sortes tandem ei monstrarunt Jesum esse eligendum; ut verò & sic certior esset si Jesu ordinem acciperet, omnes religiosos religiosasque Sortini habitantes qua maxima potuit vi rogavit, ut Numini negotium suum precibus commendarent, adjungebat ipse eleemosynas, preces, jejunia, & alia pietatis exercitia, quibus omnibus benè instructus, duas chartulas, duarum religionum, quarum altera à Francisco, altera à Jesu nomen habet, nominibus inscriptas in calicem injecit, extraxitque sortem Jesu. Explicari non potest, qua lætitia hoc acceperit Franciscus Cajetanus, variaque post signa virtutis, sanctitatis, totiusque vitæ docuerunt, sortem benè cecidisse.

§. 4. Audivimus, sortes istas, quibus divi patroni eligebantur, factas fuisse extractione schedularum: id quidem fiebat plerunque; nonnunquam tamen aliter. Stengelius enim ex Caroli Abbatis Anhusani libro nondum edito refert, alios quoque duos sortiendi Sanctos fuisse modos, quorum prior est, ut in latioris rotæ curvatura seu orbe Apostolorum aliorumque Di-

vorum nomina scribantur, ac unicuique nominum suus affigatur funiculus, extra rotam eminens. Cujus ergò sancti funiculus impulsâ in celerem circulum rotâ, manu apprehenditur, is postea assumitur in cultum peculiarem. Alter modus est, ut nomina Apostolorum aut aliorum cælitum sub diversis patinis aut vasis temerè disponantur. Eum ergò Divum, cujus quisque nomen sublata patina, aut vase, reperit, colit præ cæteris, tanquam patronum sibi à Deo destinatum.

CAP. XXVII.

De Usu Sortium in constituendis Magistratibus.

§. I.

QUi exquisitius de sortibus scripserunt, solent eas distinguere in Divinas, Divinatorias, & Politicas. Divinæ vocantur, quarum mentio fit in S. Literis, historia Josuæ, Samuelis, &c. De Divinatoriis supra dictum. Politicas ajunt esse, dicit Peucerus: *quibus vel res certæ, ut hæreditates, legata, donata, & similia distribuuntur iis, ad quos pertinent; vel ex aliquo numero certæ personæ decerpuntur, quibus certæ functiones commendentur, aut ex ordine inferiori aliqui cooptantur & evehuntur in superiorem & digniorem. Instituuntur autem de rebus arbitrio nostro subditis, legumq; nituntur authoritate & consensu*

sensu sortientium, quo sese ad parendum eventui sortis sua sponte obligant, & coguntur pòst authoritate legum, submissioneq; & assensione spontanea decreto sortis acquiescere, & ferre atq; amplecti, quæ eveniunt aut deferuntur, qualiacunq; sint. Non parum ea momenti adfert evitandis prohibendisq; contentionibus, & dirimendis atq; abrumpendis certaminibus, quæ sortibus sæpe componuntur ac sedantur facilius, quàm longis disputationibus, præsertim si bona fide sineq; dolo & fraude administrentur. Non adversatur aut repugnat authoritati sacrarum literarum usus legitimus hujus politicæ consuetudinis sortiendi. Approbant enim illa, non abrogant constitutiones politicas, ex insitis nobis notionibus derivatas, rationi consonas, & huic conjunctioni tuendæ accommodatas, qua inter se sociati copulatiq; vivunt homines: & serio vocatum Deum adesse, & gubernare illas, vel rerum sortitò partitiones, vel designationes atq; delectus personarum aptarum certis muneribus, prout privatim singulis, & publicè communi statui commodum est ac salutare, monent exempla historiæ sacræ. Quare ad sortitiones de Magistratibus & muneribus publicis, à quibus incolumitas pendet, & stabilitas publici ordinis, præcipua reverentia accedere, & precari convenit, eas ut dirigat Deus, & quos tantis rebus gerendis idoneos judicet, ipse sorte indicet, atq; eosdem instruat consilio & sapientia, & fortunet eorum industriam. Has sortes politicas dictas Tertullianus de pallio seculares appellare videtur in verbis istis: *At cum secularium sortium variavit urna, & Romanis Deus maluit:* ad quæ Salmasius (lectionem istam aliis diversis præferens) notat: *Eleganter per secularium sortium urnam rerum humanarum vicissitudinem intelligit. Nam quemadmodum ex urna, qui sortiun-*

tur, aut primi, aut secundi, aut tertij, aut ultimi exeunt, felicesq; aut minus prosperas sortes ducunt: sic urnæ, in quam plures ac diversæ sortes conjectæ sunt, similis planè est rerum mundanarum vicissitudo. In ea urna humanarum sortium fata regum populorumq;, urbium & regnorum vices quasi versantur & volvuntur. Cujus populi vel Regis vel civitatis prima sors & prospera hodie exierat, post paulò variante urna, non secundo, nec tertio, sed ultimo loco exibit. Seculares sortes sunt mundanæ, nam seculum sæpe apud hunc nostrum (Tertull.) *pro mundo.* Et paulo post: *Deus, qui secularium sortium quasi arbiter, & ad urnam tanquam prætor sedet, ut inde varias sortes populorum & regum ceterorumq; hominum ducat.* Alij sortes politicas extendunt ad omnia indicia, ex quibus causæ vel bonitas vel malitia arguitur; quomodo Stengelius cap. 4. §. 1. ait, *pertinent ad politicas sortes etiam exploratoriæ probationes, quibus fortuito eventui veritas culpæ vel innocentiæ permittitur decidenda; & sæpe non sine evidenti miraculo deciditur. Inter has judiciarias disquisitiones est etiam illa una, qua sese homines mutuo in vallem Josaphat, & ad divinum tribunal solent citare.* Mihi verò non vacat tam amplum in campum excurrere, nec ad omnes quæstiones descendere, quarum uberrima seges est apud Juris C. quibus tot disputationes Academicæ de sorte & sortitione enatæ de variis casibus practicis: mihi autem lubet historiam ipsam potius sortium inquirere; ad politicas sortes referendo constitutionem magistratuum, judiciorum ferendorum rationem, & distributionem bonorum.

§. 2. Pri-

§. 2. Primas ergò tribuimus Magistratui, ordini divinitus constituto, qui quod in navi est nauclerus, & gubernator, id in publico hominum statu & Republ. esse rectè asseritur, atque inde in eligendo illo & ordinando non temerè agendum; vide suprà Cap. 20. Apud Hebræos sanè nullos magistratus sortibus electos fuisse legimus, si primum regem Saul excipias, quanquam & hujus electio non tam sorte, quam electione divina facta fuerit, vide historiam ipsam 1. Sam. X. 19. seqq. quam supra excussimus, Cap. 21. quodsi autem sortium judicium fuit simul adhibitum, geminum tamen exemplum non occurret, *neq; enim simpliciter in talibus per usitatam votorum collectionem procedebant* (Hebræi) *multò minus incertæ sorti vel auspiciis res tantas committebant, quomodo conjurati quondam Persæ regem eligebant, per hinnitum equi*, scribit Schikardus in Mischp. hammel. cap. 1. Incertum est, quod R. Sal. ad Num. XI. 16. seqq. notat, ita electos fuisse illos septuaginta Seniores, de quibus ibidem putat, הכתובים dici ideò, quod nomina ipsorum in schedulis scripti fuerint; verba ejus sunt ista: והמ״ה בכתובים׳ במבוררים שבהם לסנהדרין ונכתבו כלם נקוב׳ם בשמו״ת ועל ידי גורל לפי׳ שהחשבון עולה לשנים עשר שבטים ששה ששה לכל שבט ושבט חוץ משני שבטים שאין מניע אליהם אלא חמשה חמשה אמר משה״ אין שבט שומע לי לפחות משבטו זקן אחד מה״ עשה״ נטל ע״ב פתקין וכתב על שבעים זקן ועל שנים חלק וברר מכל שבט ושבט ששה״ והי׳ ע״ב אמר להם טלו פתקיכם מתוך קלפי׳ מי שעלה״ בידו זקן נתקדש מי שעלה״ בידו חלק

אמר לו לית המקום חפץ בך: Atque ipsi erant inter scriptos: i. e. *inter Electos, qui erant apud ipsos ad Synedrium, scribebanturq; singuli nominibus suis signati, idq; operâ sortium: sic enim numerus convenit cum duodecim tribubus, si ex singulis tribubus sex eligantur, exceptis duabus tribubus, ad quas non pertingebat nisi quinque tantùm: Dicebat enim Moses, tribus illa, quæ mihi non erat obediens, minuendus est ex tribu sua senior aliquis: quomodo hoc faciebat? Sumebat 72. schedulas, atq; septuaginta ex illis inscripsit vocem זקן, Senior: duabus verò vocem חלק, pars: atq; ita elegit ex singulis tribubus sex; ut sic essent 72. Dicebat deinde illis, tollite schedulas vestras ex urna; is ergò, cujus manu educebatur schedula vocis זקן, sanctificabatur: cujus verò manu ascendit חלק, ei dicebat, Deus non habet in te beneplacitum.* Sic ergò his duobus remotis, remanebant 70. Possemus hac ratione electos senatores vocare ex Cicerone Patres conscriptos.

§. 3. Exterarum tamen nationum erant plurimæ, quæ magistratus suos, summos, medios, infimos, sorte elegerunt, si nimirum ratione virtutum & dignitatis nulla fuit, vel saltem non insignis disparitas, uti supra jam C. 20. dictum. Aristoteles sane lib. 4. polit. c. 15. fusè agit de magistratibus, vel per suffragia, vel sortes electis: & l. 6. c. 2. inter δημοτικὰ δίκαια, justa seu jura popularia recenset: τὸ κληροῦσθαι εἶναι τὰς ἀρχάς, καὶ ὅσαι μὴ ἐμπειρίας δέονται καὶ τέχνης, id est, interprete Leonardo Aretino, *per sortem tribuere magistratus, vel omnes penitus, vel omnes saltem, qui non peritia indigent, & arte.* De summis quidem magistratibus, Cæsaribus, & Regibus non ita multa exempla,

pla, mihi duntaxat, constant. Stengelius ex Nicetæ Choniatæ lib. *de rebus post expugnatam urbem gestis* talem ritum sortitionis in regiis comitiis commemorat: *Cùm Imperator creandus esset, in ædem S. S. Apostolorum deliberandi ergo convenere, ac principio patrio quodam ritu pro numero candidatorum, quatuor calices ordine collocare instituerunt, quorum unus incruentam victimam contineret, ceteris vacuis: eosq; tradere totidem sacerdotibus: ut ad cujusq; principis nomen unum tollerent, & eis redderent. Imperium verò penes eum futurum erat, qui eum calicem accepisset, in quo divinum corpus & sanguis Christi esset.* Cùm autem hodie Imperator per suffragia Electorum fieri soleat, modo memoratus cessavit: nec aliâs ullibi consuetum fuisse Reges sortitò eligere, ex historiis discimus; quod enim alicubi legimus, quandoque per sortem Reges ad imperium fuisse designatos, sors divinatoria potius quam consultoria aut electoria intelligitur; sic Tiberius sortes in fontem projiciens, cognoscit se fore Cæsarem, uti supra ex Sueronio adduximus. Pariter quod de Dionysio referunt, quod literam M. sortitus sit, lusus potius erat, quam vera electio; Huic enim *cum aliquando litera M. in sortibus obvenisset, quidam per jocum ajebat,* μαχολογεῖς Διονύσιε, *stulta loqueris Dionysi. At ille detorquens aliò,* μονομαχήσω μὲν ἔν, *inquit, singulari proinde certamine depugnabo. Ad hunc quidem modum referunt in collectaneis Græcorum, sed mendosè: quod liquet ex Plutarcho, qui narrat Dionysium respondisse,* μοναρχήσω μὲν ἔν, *quod interpretes verterunt: Monarchæ erimus; decepti scripturæ vitio. Legendum enim* μοναρχήσω μὲν ἓν, *ut* μὲν ἓν

sit

sit unica dictio, quæ non inferat tantùm, sed adverſetur potius. Corrigit enim alterius divinationem, & ſubjicit, imò potiùs ero Monarcha: &c. vide Eraſm. in Chiliad. ad adagium: My ſortitus es, ἔλαχες ϑ μ: ut ænigma ſit in ſtultos. Divinatio etiam erat & omen futuri regiminis, quod Juſtinus l. 1. refert de Cyro puero, quod inter paſtores ſorte rex decerneretur, quo referendum factum, quod Livius dec. 1. l. 1. recenſet; Titus nimirum & Aruns Tarquinij Superbi filij, à Patre Delphos, ad maximè inclytum in terris oraculum miſſi cum reſponſa ſortium ulli alij committere non auſus eſſet) poſtquam eò perveniſſent, perfectis patris mandatis, Cupido inceſſit animos eorum juvenum ſciſcitandi, ad quem eorum regnum Romanum eſſet venturum? ex infimo ſpecu vocem redditam ferunt: Imperium ſummum Romæ habebit, qui veſtrum primus ô juvenes oſculum matri tulerit. Ipſi ergò inter ſe, uter prior cum Romam rediſſet, matri oſculum daret, ſorti permittunt. Brutus, Tarquiniis Comes additus itineris, aliò ratus ſpectare Pythicam vocem, velut ſi prolapſus cecidiſſet terram oſculo contigit: ſcilicet, quod ea communis mater omnium mortalium eſſet. Poſt Brutus Conſul factus eſt, Pari ratione regnorum diviſio inter fratres & hæredes propriè non eſt electio, de qua vide Cap ſeq. Apud Romanos quidem à Romuli mortui temporibus Interreges ſorte creabantur, ut ex Dionyſio Roſinus & alij referunt: nimirum Romulus ducentos conſtituerat patres conſcriptos, & ex his ſenatum: illi

diſtri-

distributi in centurias, decemviris sorte committebant urbis imperium. Hi non simul, sed unus post alium quinis diebus lictores habebant, cæteraque insignia regia: observatumque hoc fuit, sub Regum Imperio, ut quoties Rex vita defunctus esset, priusquam novus eligeretur, Interreges vicem Regis obirent. Mansit postea hæc appellatio etiam sub consulum imperio: nonnisi autem quam ex patritiis eligebantur, donec veteri Reip. forma mutaretur, & summa rerum ad unum deferretur, tum enim Interreges creari desierunt, vide Liv. l. c.

§. 4. At in statu Democratico sorte eligere Magistratus & munera, & utilissimum fuit & communissimum, atque inde jam ab antiquissimis temporibus & prudentissimis populis exercitum. Apud Syracusanos, quoscunque Magistratus sorte capessendos, Diocles instituit, ut Diod. Sic. lib. 13. bibl. tradit. Quin & Imperatores & Reges, summam licet haberent potestatem, sorte tamen quandoque officia inferiorum Magistratuum delegisse & distribuisse, historiæ prodiderunt. Unde de Didone Regina Virgilius lib. 2. Æn. canit:

Jura dabat, legesq; viris, operumq; laborem
Partibus æquabat justis, aut sorte trahebat.

id est, ut Donatus exponit: *quæ æstimatione justitiæ æquari poterant, distribuebat: quæ autem natura sua ad plenum æquari non poterant, sortis judicio dabat, ut qui gravius onus subiret, fortunam suam, non reginam accusaret.* Cæsar Augustus sæpius quidem ex imperio officia dispositi, quandoque tamen etiam

sorte.

sorte. Apud Romanos inprimis celebriores ordines & Magistratus in certis & destinatis Comitiis sortitione, qua suffragia colligebantur, constituti erant; hac tamen præservata libertate, ut si virtutes alicujus mererentur, extra sortem illum præficerent: ex quo Sergius Galba Africam pro Consule biennio obtinuit, extra sortem electus, ad ordinandam provinciam, & intestina dissensione & Barbarorum tumultu inquietam, ut Suetonius cap. 7. refert: quo alludit Virg. l. 8. Æn.

Summe Pater, nam te voluit Rex magnus Olympi,
Talibus auspiciis exortem ducere honorem.

Aliàs ferè omnia ejusmodi officia ad Magistratum pertinentia, ordinariè sortibus fuere dispensata; utrunque videtur innuere Cicero, act. 2. in Verr. dicens: *Hoc Verrem dicere ajebant, te non fato, ut cæteros ex vestra familia, sed opera sua Consulem factum:* sortes fatum appellat, cui opponit operam extra sortem Consulem designantem.

§. 5. Pro constituendis summis Magistratibus habebantur primitus comitia, & quidem tum colligebantur suffragia voce, ut singuli ex centuria voce & nominatim exprimerent eum, quem vellent magistratum creari, consulem nimirum, prætorem aut censorem: at postea per tabellas suffragia dabant, ut nomina Candidatorum in iis scriberent, & rogatori traderent. Primo autem omnium centuriarum nomina in sortem conjiciebantur, & quæ primo educebatur, prima suffragium dicebat, & prærogativa appellabatur: deinde reliquæ vocabantur,

bantur, quæ dicebantur Jure vocatæ. Quodsi igitur tabellæ omnes essent traditæ, tum numerus earum inibatur, & observabatur, quænam tabellæ & quot idem nomen continerent, uti supra jam adductum. Quemadmodum autem consulatus, sic etiam proconsulatus sorte acceptus est, ut ex Suetonio, in Sergio Galba cap. 3. patet, ubi ait, Cajum Sergij fratrem natu majorem, attritis facultatibus urbe cessisse, & quod à Tiberio sortiri anno suo proconsulatum esset prohibitus, voluntaria morte obiisse. Galbam verò extra sortem electum ad idem munus, modo ex eodem Suetonio c. 7. habuimus. Prætores similiter sorte electos, ubique legimus. Est autem Prætor, qui jus dicebat in urbe, quasi Præitor. Primo unus tantùm erat juris civilis custos, cui potestati omnes parento, ut Cicero scribit. Post aliquot verò annos non sufficiente uno, quòd multa turba peregrinorum ad jus petendum in urbem veniret, creatus est & alius Prætor, ut quemadmodum prior civibus, si hic peregrinis jus diceret, unde ille urbanus Prætor, hic peregrinus dictus. Hi comitiis centuriatis creati, à populo jurisdictionem sed incertam accipiebant. Ubi verò designati erant, ex senatus consulto duas jurisdictiones, urbanam & peregrinam sortiebantur: quamque sorte adepti erant, eam exercebant. Itaque licet apud Livium legere, quotannis jurisdictiones in sortem conjectas, easque prætores designatos sortiri jussos. Factum tamen aliquando est, ut ambas jurisdictiones unus Prætor ex Senatus C. sortitus

sit,

sit, easque exercuerit, ut Rosinus lib.7. cap.11. docet Sicut autem consulatus & prætura in urbe sorte fuerunt distributæ, ita & in provinciis. Sic enim idem Rosinus lib.7. c.42. lege C. Sempronij Gracchi constitutum est, atque postea ad Augusti Imperium observatum, ut antequam novi consules atque prætores designarentur, provinciæ duæ consulares, & sex vel octo, vel plures prætoriæ, prout numerus prætorum postulabat, à senatu futuris consulibus & prætoribus secernerentur, quas illi designati sortirentur, vel inter se comparerent, ita ut finito annuo Magistratu urbano in eas proficiscerentur. Tum verò, quando comitiis centuriatis consules in annum sequentem designati erant, alter consulum, qui Magistratum gerebant, ad senatum de provinciis referebat, quæ futuræ consulares, quæ prætoriæ essent: post illæ, quæ consulares erant provinciæ, Consulibus designatis decernebantur, ut eas inter se vel sorte partirentur, vel comparârent, utram quis ex consulatu obtineret. vid. A. Gellium l.15. c.4. ubi magistratus provincias sortiti dicuntur. Prætores autem provinciales, sicut & reliqui, creati sunt comitiis centuriatis, quibus, ubi erant designati, decretæ à senatu provinciæ, quas sortirentur. Tempus autem ordinarium, quo provincias tenuerunt, fuit annuum. Si verò prorogato post præturam imperio in provinciis remansissent, Præceptores sunt appellati. Post ea L. Calpurnius Piso, Tribunus P. ordinavit, ut ex prætoribus iis, qui provincias sortiri soliti erant, unus provinciæ

loco

loco quæstionem repetundarum sortiretur, eique per annum in urbe præesset: & cum idem postea etiam in aliis quæstionibus ac præturis alij alia lege sanxissent, initium introductum est, ut prætores, qui quotannis adhuc seni tantùm creabantur, jurisdictiones duas, quæstiones quatuor, aut plures ex legibus, quæ de quaque quæstione latæ erant, in sortem conjicerent, easque per annum in urbe exercerent; extremo autem anno ex Senatus C. provincias imposterum sortirentur, & inde præceptores appellati sunt. Hæc ex Rosino. Habebant autem legem, quâ ei, qui simul consul foret & Pontifex, ne Reip. aut sacrorum deseratur cura, neve longius ablegaretur, extra Italiam sortiri provinciam non licuit ex senatus decreto, postquam Crassus, qui prætor erat & pontifex, & belli summa ei commissa fuerat, quod nunquam antea factum, sortitus Asiam, ab Aristanico, Atali fratre prælio victus, occubuit: donec post intervalla temporum extra Italiam sortiri provincias cæpere, ut Alex. ab Al. tradit l. 2. c. 8. Plurima jam in Romanis Scriptoribus, Livio præsertim, occurrunt exempla electionis hujusce; quæ longum foret omnia transcribere, vide dec. 3. l. 5. & l. 8. dec. 4. l. 4. & l. 5. & l. 6. & l. 8. & l. 10. dec. 5. l. 2. & l 5. &c. quò pertinent, quæ Cicero scribit in epist. penult. lib. 1. circa finem: *Appius in sermonibus antea dictitabat, postea dixit etiam in senatu palam: sese (si licitum esset legem Curiatam ferre) sortiturum esse cum collega provinciam: si curiata lex non esset, separaturum cum collega, tibiq; succeſſurum, &c.*

idem act. 4. in Verrem. *Qui* (Verres) *simul atq; ei sorte provincia Sicilia obvenit, statim Romæ, & ab urbe antequam proficiscereturr, quærere ipse secum, & cogitare cum suis cœpit, quibusnam rebus in ea provincia maximam uno anno pecuniam facere posset?* Plurima hujusmodi ubique leguntur, nos jam pergimus ad alios magistratus.

§. 6. Inter magistratus ordinarios majores numerantur Censores, quorum officium & regulas Cicero l. 3. de Legg. recenset, ubi vide. Eligebantur tantum à Consulibus, & ob eam rem habebantur à Consulibus Comitia, ut Rosinus docet l. 6. c. 10. Modus eligendi fiebat, uti dictum supra, per suffragia, quæ sorte colligebantur, confer eundem Cap. 14. lib. 6. cujus consuetudinis idem Rosinus ex Livio, lib. 24. hæc adducit indicia: Livius sic scribit: *Decretumq; omnium primum, ut consules sortirentur, comparerentq; inter se, uter Censoribus creandis comitia haberet.* Et paulo post: *Q. Fabius consul comitia censoribus creandis habuit.* Idem Liv. l. 27. *Per eas dies & censoribus creandis Q. Fulvius COS, comitia habuit*, &c. addit simile testimonium ex Cicerone: In his quidem non apperta fit mentio sortium, quibus censores lecti sunt: ratio tamen comitiorum eas involvit: & alibi Livius disertim in hoc actu sortium meminit, dec. 4. l. 8. *Marcus Claudius Marcellus censor sorte superato T. Quintia lustrum condidit. Censa civium Capita CCLVIII. milia: CCCVIII.* Cicero act. 4. in Verrem, quam multum positum esset in hoc officio & in sortitione non fallendum esse ideo, ostendit. Ex quibus etiam patet, non

cen-

Censores tantum sorte lectos fuisse ad censuram, sed & officia ejus sortitò susceptа, quod clarum est ex Liv. dec. 3. l. 7. *Senatus lectionem contentio inter Censores de principe legendo tenuit. Sempronij lectio erat. Caterùm Cornelius morem traditum à patribus, sequendum ajebat, ut qui primus censor ex iis, qui viverent, fuisset, eum principem legerent. Is T. Manlius Torquatus erat. Sempronius, cui Dij sortem legendi dedissent, ei jus liberum eosdem dedisse Deos.* Divinæ ergo authoritatis sortes fuisse crediderunt, quibus Magistratus esset lectus.

§. 7. Sed plures insuper alij ordines magistratuum Romanorum & Græcorum, eorundemque munerum erant, quos quam possumus succincte recensebimus, quetenus sorte lectos. Inter magistratus minores ordinarios numerat Rosinus primo loco Quæstores, sic dictos, quod conquirerent publicas pecunias & maleficia, ærarium publicum accurarent, &c. eos sorte lectos fuisse Cicero indicat lib. 1. epist. ad Q. Fratrem, ex. 1. *Quæstorem habes non tuo judicio delectum, sed eum, quem sors dedit.* Et Suetonius in Vespas. Cap 2. ait. *Quæstor Cretam & Cyrenas provinciam sorte cepit*, quod existimo intelligendum esse, Vespasianum Quæsturam harum provinciarum ita accepisse. Iidem quæstores Consules quoque suos sortiebantur, id est, cum utrique Consuli suus Quæstor deputabatur, sorte consulem, cui adducti forent, deligebant: quod Tiraquellus, de jure primogenitorum, probat ex Ciceronis oratione pro C. Balbo, & ex Philippica secunda. Sed quæstura hæc non fuit perpetua, ve-

rum sæpius variata, quod Tacitus testatur, lib. 13. Annal. *Helvidius Priscus, tribunus pl. adversus Obultronium Sabinum, ærarij Quæstorem contentiones propriàs exercuit, tanquam jus hastæ adversus inopes inclementer augeret* (Lipsius legi mavult ageret) *Dein princeps curam tabularum publicarum à quæstoribus ad præfectos transtulit. Varie habita ac sæpe immutata ejus rei forma. Nam Augustus permisit senatui diligere præfectos. Dein ambitu suffragiorum suspecto, sorte ducebantur ex numero prætorum, qui præessent. Neq; id diu mansit, quia sors deerrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius quæstores rursum imposuit, iisq; ne metu offensionum segnius consulerent, extra ordinem honores permisit* Eam varietatem Lipsius exponit, eum temporum luce, in notis ad h. l. meum non est jam id curare. Senatores, quorum pridem affluens erat incondita turba, D. Octavius Augustus in meliorem ordinem redegit, & quo lecti probatique & religiosius & minore molestia senatoria munera fungerentur, sanxit, ut prius quam consideret quisquam, thure ac mero suplicaret apud aram ejus Dei, in cujus templo coiretur, & *ne plus quam bis in mense legitimus Senatus ageretur, Calendis scil & idibus: neve Septembri Octobrive mense ullos adesse alios necesse esset, quam sorte ductos, per quorum numerum decreta confici possent, sibiq; instituit consilia sortiri semestria, cum quibus de negotiis ad frequentem Senatum referendis ante tractaret*, ut Suet. in Augusto c. 35. refert. Et Tacitus annal. l. 3. commemorat Tiberium in turbido rerum Romanarum statu, statuisse remedium quinque consularium, quinque è prætoriis, totidem è cætero sena-

senatu sorte duxisse, apud quos exoluti plerique legis nexus, modicum in præsens levamentum fuere, & lib 6, narrat *Togonium Gallum Principem* (Tiberium) *orasse diligere senatores, ex quis viginti sorte ducti & ferro accincti, quoties curiam inisset, salutem ejus defenderent.* Apud Romanos Legatos quoque sorte electos fuisse exemplum supra Cap. 20. satis probat. Hinc Achæmenides apud Ovid. Metam. lib. 14. de se & sociis Legationis.

Nos quoq; Circæo religata in litore pinu
Anthiphatæ memores, immansuetiq; Cyclopis,
Ire negabamus, vel tecta ignota subire:
Sorte sumus lecti: sors me, fidumq; Politen
Eurylochumq; simul, nimiiq; Elpenora vini,
Bisq; novem socios Circæa ad mœnia misit.

Patricios quoque olim sorte lectos fuisse, ex Dionysio Halic. l. 2. traditur: nam Patricij in Senatu conscripti à Romulo ducenti numerô cum essent, divisi sunt in decurias, posteaque immissa sorte, illi quorum sors prima exibat, urbi præsidebant, Imperatorium magistratum agentes, ut Tiraquellus ait. Ædilitia dignitas sorte accepta indicatur à Cicerone in Oratione pro Cn. Plancio, dicente: *Neq; enim unquam Majores nostri sortitionem constituissent ædilitiam, nisi viderent accidere posse, ut compatitores pares suffragiis essent.* Similiter curatores aliquando sorte lectos fuisse, Suetonius testis est, in Tit. Vespas. c. 8 ubi memorat, *Curatores restituendæ Campaniæ è consularium numero sorte duxisse Vespasianum.* Plurima alia fuerunt munia, labores, & opera, quæ sorte distribuebantur. Primi Romanæ gentis conditores

res Romulus, & Remus, quoniam gemini essent, nec ætatis verecundia discrimen facere posset, ut scirent, cui jus primogenituræ competeret, auguriis, seu sorte divinatoria usi sunt, qui nomen novæ urbi daret, qui conditam imperio regeret. *Palatinum Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum templa capiunt. Priori Remo augurium venisse fertur sex vultures. Iamq; nunciato auguro cum duplex numerus Romulo se ostendisset, utrumq; regem sua multitudo consaluraverat, tempore illi præcepto, at hi numero avium regnum trahebant*, scribit Livius dec. 1. l. 1. Et idem in eodem libro innuit, sorte lectos fuisse, qui nomina curiis imponerent. Cum enim *Romulus populum in curias triginta divideret nomina earum (Sabinarum) curiis imposuit. Id non traditur (cum haud dubie aliquanto numerus major hoc mulierum fuerit) ætate an dignitatibus suis virorumve, an sorte lectæ sint, quæ nomina curiis darent.* Liv. dec. 5. l. 5. refert, cum inter Romanos disceptatio esset, de Libertinorum in urbanas tribus quatuor descriptione, *postremo eò descensum esse, ut ex quatuor urbanis tribubus unam palam in atrio libertatis sortirentur, in quam omnes, qui servitutem servissent, conjicerent. Esquilinæ fors exiit, in ea Tiberius Gracchus pronunciavit, libertinos censeri placere.* Apud Plutarchum in Lucullo celebratur præclara ac commendabilis illa contentio, inter ipsum Lucullum, Hortensium & Sisennam, de Marsica historia componenda. Qui tandem ita convenerunt inter se, ut cui sors contigisset, is bellum Marsicum describeret prosa oratione vel carmine, græce vel latine, prout sors declа-

claraſſet, quod quidem ipſum cum Lucullo contigiſſet, is græca oratione ejuſmodi hiſtoriam diligenter abſolvit, quæ ab ipſo Plutarcho, & aliis quoque celebratur, ut Tiraquellus tradit. Quem morem intendit Ovidius. triſt. l. 1. Eleg. 5.

Tu ſi Mæonium vatem ſortita fuiſſes
Penelopes eſſet fama ſecunda tuæ.

Pari ratione Conſules, Prætores, cæterique Magiſtratus munera ſua ſæpiſſime ſortito recipiebant, ut quis Comitiis præeſſet? uter Cenſoribus creandis Comitia haberet? quis faſces acciperet? ſortiebantur dies, quibus ſinguli imperarent? in quæ ex Livio plura loca poſſent adduci: porro quis ædes dedicaret Jovi? quis Dictatorem diceret? & alia hujuſmodi. De Auguſto refert Suetonius cap. 13. illum cum pater & filius captivi pro vita rogarent ſua, juſſiſſe eos ſortiri vel dimicare, ut alteri concederetur, & ſpectaſſe utrunque morientem, cum patre, qui ſe obtulerat, occiſo, filius quoque voluntaria nece occubuiſſet: plura hujuſmodi infra quoq; occurrent, & partem etiam ſupra habuimus.

§. 8. Obſervandum eſt, ſi quos ſors quovis modo conjunxerit, ut officium unum, Conſulatum, Præturam, Cenſuram, Quæſturam, &c. ſortiri oportuerit, pro magna animorum coujunctionis cauſa & religione habuiſſe, quomodo ſæpe Cicero in ſcriptis ſuis, orationibus inprimis & epiſtolis, meminit ſortis conjunctionis, neceſſitudinis, ſocietatis, religionis, &c. Dictum eſt ſupra, ſorte delectum fuiſſe, qualem Conſulem

Quæstor, quem prætorem haberet? quos ergo sors ita conjunxit, religiosa fide & pietate constricti habebantur, quod Cicero in prima actione in Verrem indicat: *Sic à majoribus nostris accepimus, Prætorem Quæstori suo parentis loco esse oportere: nullam neq; justiorem, neq; graviorem causam necessitudinis posse reperiri, quam conjunctionem sortis, quam provinciæ, quam officij, quam publicam muneris societatem: quamobrem si jure eum posis accusare, tamen cum is tibi parentis numero fuisset, id pie facere non posses.* Et paulo post: *Utra illustrior commemoratio? accusavi eum, quicum Quæstor fueram, quicum me sors consuetudoq; majorum, quicum me Deorum hominumq; judicium conjunxerat: an accusavi rogatu sociorum?* Et in secunda: *Cujus ut adolescentiæ maculas ignominiasq; præteream, Quæstura primus gradus honoris quid aliud habet in se, nisi Cn. Carbonem spoliatum à quæstore suo pecunia publica? nudatum & proditum consulem? desertum exercitum? relictam provinciam? sortis necessitudinem religionemq; violatam?* In tertia: *Quod de rep. sensit, ita sensit, ut nec fidem suam nec morem majorum, nec necessitudinem sortis laederet. Etenim si hæc perturbare omnia & permiscere volumus, totam vitam periculosam, invidiosam, infestamq; reddemus, si nullam religionem sors habebit, nullam societatem conjunctio secundæ dubiæq; fortunæ.* Et postea: *Quid hoc homine faciatis? ad aliquam spem tam perfidiosum, tam importunum animal reservetis? qui in Cn. Carbone sortem, in Cn. Dolabella voluntatem neglexerit ac violarit?* Sic in lib. 2. epist. ult. incipit: *Cum optatissimum nuncium accepissem, te mihi quæstorem obtigisse, eo jucundiorem mihi eam sortem sperabam fore, quò diutius in provincia mecum fuisses. Magni enim videbatur interesse ad*

eam

eam necessitudinem, quam nobis sors tribuisset, consuetudinem quoq; accedere: Ad quæ unum duntaxat addere liceat ex actione prima in Verrem: *Quid cum commisereri? conqueri & ex illius invidia deonerare aliquid, & in te trajicere cæperit? commemorare quæstoris cum prætore necessitudinem constitutam? morem majorum? sortis religionem?* nimirum Cicero Cæcilium, qui Verris prætoris quæstor fuit, monet, ne ipsum accuset. Confer Corn. Nepot in vita Catonis.

§. 9. Pleraque hactenus enumerata Romanorum ritus & instituta concernunt: ea verò adeo non soli tenuerunt, ut ab aliis accepisse ferantur; id Tiraquellus asserit, Romanos ab Athenienſibus maximam partem suarum legum sumsisse; nam & illi magistratus suos, & judices, aliaq; munera sorti commiserunt distribuenda: de judicibus sequens aget caput: magistratus autem Athenienses sortito legisse, Plutarchus in Pericle testatur, Prætores nimirum, Thesmothetas, & belli duces: atque exinde quosdam ita electos magistratus vocant κληρωτὲς, q. d. κ' κλῆρον ἡιρημένους, quales erant judices. Locus autem, ut Tiraq. scribit, ubi ipsi magistratus per sortem creabantur, κληρωτήριον vocabatur, ex Polluce l. 9. c. 1. περὶ τῶν κ' θαλατίαν μερῶν. Cæterum, ut Tiraq. porro tradit, hic mos erat apud eos creandorum magistratuum: Competitores sive ambientes è magno numero paucos, & eos quidem clarissimos eligebant, & eorum nomina in urnam mittebant, unde hi Competitores κληρώμενοι dicebantur. Demosthenes, ὁ κληρωθέντων πρῶτος ἀιρεθεὶς ἔλαχον, id est, & competitorum primus sorte delatus sum, &c. Non er-

go omnes passim ad sortem magistratuum admissos esse ab Athenienſibus colligere est, sed selectissimos quosque, ut Isocrates in Areopagetico scribit. Lacedæmonios olim, Græcorum præclarissimos populos, sorti fuisse deditissimos, ex eo constare ait Tiraq. quod scribit Stephanus in libro de urbibus, ex quorundam sententia Lacedæmona appellatam fuisse ἀπὸ τοῦ λαχεῖν, à sortiendo, quoniam post Heraclidarum reditum, qui sorte primam hanc consecutus est, Lacedæmona cognominaverit. Moscopulus autem scribit, dictam ἀπὸ τοῦ λάχος καὶ δαίμων, quod ibi Dij civitates sortiti sunt, mutatione sc. χ in κ De eorundem Lacedæmoniorum more, quo principes conviviorum sortiti sunt, suo dicetur capite. De Siculorum, Spartanorum, Syracusanorum, simili ritu, etiam in sequentibus dicendum erit. Idem hodie observatur à Rep. Venetorum, qui Magistratus suos & belli duces æque sorte eligunt. Id quoque in electione tutorum regiorum in Dania aliquando observatum esse, ex Sax. Grammat. histor. Dan. l. 9. ad Annum 863. referunt; scilicet, *Canuti I. infantia manente, regni pupilliq; tutor exposcebatur: Verum quoniam hujusce muneris advocationem præstare plerisq; vel invidiosum, vel arduum videbatur, sortitione virum legi placuit. Prudentissimi namq; Danorum in tam excellenti negotio arbitrario delectu uti pertimescentes, plus alienæ fortunæ, quam suis sententiis permiserunt; electionis eventum fortuito magis, quam solido consilio delegantes. Quô evenit, ut Ennignupus quidam amplissimæ atq; integerrimæ virtutis, tam onerosæ functioni humeros suos submittere cogeretur, decretamq; sorte administrationem*

nem ingressus non minus universorum res, quam singularia Regis incunabula tueretur. Ex hac sortitionis vetustæ historia illustrari poterit locus Dan. XII. 12. *Et Tu abi ad finem, & requiesces, & stabis in sortem tuam, ad finem dierum.* Sunt verba Angeli ad Danielem, ut fere unanimiter Commentatores, inprimis Hebræi, consentiunt, præter quendam, quem R. AbenEsra allegat, Jepheth fil. Eli, qui putabat *esse Danielis verba ad omnem intellectu præditum, ut vadat sibi, neq; inquirat solicite in finem dierum, donec invenerit eum, in cujus diebus decreverit Deus adventum Messiæ*; unde sensum verborum: *Et stabis in sortem tuam* esse; si decretum atque à Deo constitutum sit, ut sis vivus eo tempore: quam expositionem vocat Aben Esra רחוק, remotam, longe petitam, &c. laudat contra, tanquam נכבד מאד, maxime æstimandam, glossam Haggaonis, dicentis: אלו הית מספר לנו מה טעם לעמוד בגורל עם קץ הימים כי הכל הם דברי מלאך ולא דברי דניאל, *si numerus* (dierum seu usque ad dies illos) *penes nos esset, quis sensus & connexio esset verborum, quibus sorti insistere jubetur, cum* verbis de *fine dierum? Sunt enim hæc omnia verba Angeli, non Danielis.* Postquam enim petenti Danieli Angelus multa eventura exposuisset, tandem eum revelatis jam acquiescere vult, cætera Deo commendare, & futuris seculis: Requiescere autem debere non tantummodo ab inquisitione futurorum fatorum mundi, sed & terræ in pulvere usque ad finem dierum, atque tum resurrecturum esse in sortem suam, ad finem dierum. Quæ vero sors ista Danielis sit, quæri potest; Hebræi exponunt de vita æterna, seu in futuro mundo, quem

quem intelligunt de diu necquicquam ſperatis temporibus Meſſiæ ſui: ubi iterum alia quæſtio ſuboritur, an ſors iſta de vita æterna per ſe, an ſecundum gradus ejus ſit accipienda? Hebræi partim obſcurè, partim in poſteriorem ſententiam, mentem ſuam declarant: ſic enim R. Sal לך לקץ תפטר לבית עולמך לגורלך לקבל חלקך עם הצדיקים: *Dimitteris* (ex hac vita) *in domum ſeculi ſeu mundi tui. In ſortem tuam, ut accipias portionem tuam cum juſtis.* Paulo liquidior eſt R. Saadiah: ואתה לך לקץ לבית עולמך בשלם ימלאו ימיך ותנוח עם הצדיקים לגורלך המזומן והצפון לך בגן עדן: *Et tu abi ad finem, in domum mundi tui, quando nimirum dies tui fuerint completi, & requieſces cum juſtis, in ſortem tuam, quæ tibi præparata & reſervata eſt in horto paradiſi.* Congrua ſunt hæc communi Hebræorum Doctrinæ, quâ piis non tantùm partem in vita æterna, ſed & gradus gloriæ ſeu ejuſdem partis aſſignant. Clarus eſt in hanc rem quoad gradus AbenEſra ad verba in Daniele proxime præcedentia, quæ Angeli quoque ſunt; *Et qui erudierunt multos ad juſtitiam*, ſicut ſplendor firmamenti: והמצדיקים לרבים כזהר הרקיע על כן אמר ככוכבים לעולם ועד כי מעלת גדולה מעלת הכוכבים גדולה ממעלת הגלגלים אף כי הרקיע שהוא למטה מן הגלגלים: *Et qui juſtificant multos, eorum dignitas erit magna: propterea dicitur, ſicut ſtellæ in æternum; nam excellentia ſtellarum ſuperat excellentiam ſphærarum, imo & firmamenti, quod eſt inferius ſphæris.* Confer 1. Corinth. XV. 41. Vide hæc fuſius docentem ex Hebræorum monumentis, Talmude, R. Majemonide, Menaſſe ben Iſraël, &c. Seldenum, de Jure N. & G. l. 1. c. 2. & lib. 7. c. 9. ubi

ubi scribit: *Ex sententia fori seu tribunalis superioris in universum ajunt* (Talmudici, in Gemara Bab. ad tit. Chagigah cap. 1. & Majem. in Halach. Teschubha c. 8.) *esse* טובה צפונה לצדיקים, *bonum justis repositum, id est,* שכר הצדיקים, *præmium justorum, quod nuncupant* חיי העולם הבא, *vitam futuri seculi. Eamq; agnoscunt fore æternam semperq; beatam.* Et paulo post: *Vitam autem æternam* חלק בעולם הבא, *partem seu sortem in futuro seculo appellitant, & pro eorum, qui eo gaudeant, qualitate ac meritis variam esse ajunt. Justorum etiam dum vitam agunt præmia, uti & impiorum pœnas, cælitus accepta agnoscunt, ac utriusq; pro multiplici Numinis sive gratia sive vindicta diversitatem esse non exiguam.* Allegat in hanc sententiam R. Jehudam Ben Samuel, in lib. Cosri, part. 3. §. 1. Atque hanc & gloriam & gloriæ gradus seu diversitatem etiam piis ex gentibus mundi, competere, ex Majem. de pœnitentia (תשובה) cap. 3. idem Seldenus l. 7. c. 10. tradit. Ex quibus lumen aliquod contingere videtur loco nostro de Sorte Danielis, ad quam sit resurrecturus; ita ut non solummodo vita ipsa æterna, sed & excellentia quædam promittatur eidem, insigni sc. Viro, Prophetæ, atque multis meritis alios post se relinquenti. Innuit hoc suffixum ך *sortem tuam*, non in genere justorum, seu vitæ æternæ, sed in hac Danieli paratam atque repositam, ceu ipsi propriam & peculiariter destinatam. Quanta vero & qualis futura sit excellentia hæc Danielis, exquisite non definit Angelus, quomodo nec ipse Dominus vel Apostolis vel alij hominum manifestare volebat, quomodo alius præ alio foret

ret coruscaturus. Sic enim Johanni & Jacobo, sessiones supremas in Regno suo ambientibus respondit: *Sedere ad dexteram meam & sinistram meam, non est meum dare, nisi illis, quibus paratum est à patre meo.* Matth. XX. 23. q. d. Sessiones aut stationes in vita æterna jam constitutæ & dispensatæ sunt: Nec enim

Hæ sine sorte data, sine judice sedes.

Summus rerum arbiter, Pater meus, jam eas dispossuit, non muto sortes istas, sed uti cuilibet ex directione Patris ceciderunt, illibatas relinquo. Si vobis ceciderunt pro sessionibus supremis, habebitis certo: sin aliis, habebunt illi. Fasti cælestes, & divina patris mei manu scripti, in extremo judicio aperiendi, cuilibet stationem suam indicabunt. 1. Cor. XV. 22. *In Christo omnes vivificabuntur, quilibet vero in suo proprio ordine:* quemadmodum nec tempus, quo ista obtingent, ulli creaturarum est manifestatum: R. Saadiah, זמן הגאולה אינו גלוי לכל בשר ולכל מלאך *Tempus redemtionis non manifestatum est ulli carni aut ulli angelo.* Confer Marc. XIII. 32. & Act. I. 7. Est hoc modo expositus locus iste Danielis egregium V. Test. de placidissimo piorum in terra dormientium statu, & certô futuræ resurrectionis, & æternæ vitæ testimonium exhibet. Non incommode tamen eundem locum h. m. interpretari quis possit; *Et tu Daniel, abito jam, sis dimissus usq; ad finem vitæ tuæ & requiesce, sis contentus his revelationibus de futuris imperiorum fatis, quæ nosse tua non magnopere refert: insta potius sorti tuæ, & fungere officio tibi assignato, usq; ad finem dierum tuorum;*

plura

plura enim his addere, neq; habeo in meis à Deo commissis, neq; tibi est salutare aut necessarium. Vade in pace, & ad quietem. Sed priorem expositionem præfero.

CAP. XXVIII.

De

Usu sortium in judiciis ferendis circa personas, vel leges, vel litem quamlibet.

§. I.

COnstitutis variis Magistratibus, videndum nunc, qua ratione judicia sua in personas vel res quasvis sibi subjectas, exercuerint? Fere id sortibus factum fuisse apud plures populos scriptores reliquerunt. Et primò quidem ipsos quoque judices sorte elegerunt, præsertim Syracusani seu Siculi, ut ex Ciceronis act. 4. in Verrem manifestum est. Cum enim Heraclij hæreditas amplissima, cujus prædam aliquam reportare Verres speravit, in controversiam veniret, judicioque peteretur: scribitur Heraclio dica, advenit dies, quo sese ex instituto ac lege Rupilia dicas sortiturum Syracusis iste dixerat: paratus ad hanc dicam sortiendam venerat (Verres). Tum eum docet Heraclius, non posse eo die sortiri, quod lex Rupi-

Rupilia vetaret diebus 30. sortiri dicam, quibus scripta esset, &c. prolixior locus est, quam ut commode huc exscribatur totus; orationes Ciceronis omnibus fere usurpantur, atque locus iste inde cuilibet patet, ex quo rigor legis Rupiliæ circa sortitionem, & antiquissima sortium in eligendis judicibus authoritas & religio apud Siculos pariter & Romanos, quorum judicio lex hæc sancita est, poterit cognosci. Confer Rosinum, qui l. 9. cap. 20. antiq. Rom. scribit: *ubi prætor assederat, & accusatores, reus & patroni, prodierant, de iudicibus agebatur, quod munus plerumq; Judici quæstionis assignabatur. Numerus autem judicum legebatur, qui à lege erat præscriptus, qua judicium illud exercebatur, & quomodo erat præscriptum. Modus autem fuit duplex, sortitio & editio. Sortitio ejusmodi: Prætor aut judex quæstionis in urnam coniiciebat omnes judices selectos, id est, qui ad judicia ejus anni à Prætoribus ex lege fuerant delecti, ac sorte eum numerum educebant, quem lex ipsa præscribebat. Quo facto, dabatur potestas reo & accusatori rejiciendi, quos parum sibi putarent idoneos.* Confer Suetonium in Augusto, Cap. 12. & 29. nec non Ciceronem in Verrem. Ideo autem excogitata fuit sortitio judicum, ne fraus in causarum conjectione suboriri posset, aut ne favor animas in transversum raperet. Nomina ergo judicum inscribuntur tabellulis, seu ut Sextus Propertius, & Asconius Pædianus scribunt, pilis, urnæque immittuntur, vide supra Cap. II. *In locorum vero rejectorum alios* (ut Rosinus docet) *sive Iudex quæstionis subsortiebatur.* Hanc subsortionem ex nominato

Pæ-

Pædiano Rosinus ita exponit: *Cum multi judices in consilio cum prætore suo judicaturi essent, qui quæsitor fuisset in causa publica necesse fuerat, eos primum de Curia Senatoria conscribi, cum Senatus judicaret: deinde in urnam mitti: ut de pluribus necessarius numerus sortitò confici posset; tertio permitti accusatori & reo, ut ex illo numero rejiciant quos putaverunt sibi aut inimicos, aut ex aliqua re incommodos fore. Rejectione celebrata, in eorum locum, qui rejecti fuerant, subsortiebatur Prætor alios, quibus ille Iudicum numerus legitimus compleretur.*

§. 2. Romanos hoc à Græcis, maxime Athenienſibus mutuasse, Tiraquellus existimat: nam hos & sortitos & subsortitos fuisse judices, ex variis eorundem documentis probat nec minus Demsterus. Quod Aristoteles, polit. l. 2. c. ult. confirmat, asserens, Solonem τὸν δῆμον καταστῆσαι τὰ δικαστήρια ποιήσαντα ἐκ πάντων· διὸ καὶ μέμφονταί τινες αὐτῷ· λῦσαι γὰρ θάτερον, κύριον ποιήσαντα τὸ δικαστήριον πάντων, κληρωτὸν ὄν· id est, Leonardo Aretino interprete, *populum asseruisse, judiciis ex omnibus constitutis. quapropter quidam illi succensent, quod alterum dissolverit, cum autoritatem omnem ad judicium traduxerit, quod per sortitionem est.* Id porrò ex Demosthene, Luciano, &c. confirmant. Quomodo Magistratus, inter quos judices, elegerint, supra vidimus. Iidem subsortiebantur quoque, quod vocabant ἐπιλαγχάνειν, & qui sortitò aliis subdelegebantur, οἱ ἐπιλαγχάνοντες, uti Tiraq. docet, & in id Græcorum affert verba. Judicibus delectis sua etiam loca seu stationes sorte assignabant, quod quomodo factum, idem author indicat.

Athenis erant plura dicasteria, id est, stationes jus dicentium. In aliis enim expendebantur, quæ φονικὰ *Græci appellant, ubi agebatur de vita. In aliis civiles lites tractabantur, id est,* περὶ δημοτικῶν. *Unicuiq; stationi uomen ex elementorum serie indebatur. Erat enim quæ dicebatur* α, *quæ* β, *quæ* γ, *& deinceps usq; ad literam* κ. *nam decem fuere stationes. Januæ autem uniuscujusq; stationis erat superpictum elementum rubri coloris, ex quo nomen ei stationi foret. Quotquot erant Athenis, qui muniis judicialibus fungerentur, habebant singuli pro ratione stationum pugillares, in quibus scriptum adservabatur & ipsorum & stationis nomen, habebantq; pariter virgulam inscriptam. Cum autem appeteret judicandi tempus, in forum commeabant omnes judices, conjectisq; in urnam sortibus, qui sortitus fuisset literam* α, *pergebat in stationem, cui ea litera nomen dabat. Quodsi quis sorte contemta ad judicandum pergebat, gravi multa puniebatur. Mos autem erat ex omnibus decem tribubus seligi judices & ex qualibet quinq; secerni illustrißimos quosq;, ex quibus unus tantùm judicaret, quem sors selegisset.* Hujus consuetudinis vestigia habentur in Aristophane, in ἐκκλησιαζούσαις, ubi Blepyrus & Praxagoras ita confabulantur: Bl. Τὰ δὲ κληρωτήρια ποὶ τρέψεις; Pr. εἰς τὴν ἀγορὰν καταθήσω κἄπειτα στήσασα παρ' ἁρμοδίῳ κληρώσω πάντας, ἕως ἂν εἰδὼς ὁ λαχὼν ἀπίῃ χαίρων ἐν ὁποίῳ γράμματι δειπνεῖ, καὶ κηρύξει τοὺς ἐκ τοῦ βῆτ' ἐπὶ τὴν στόα ἀκολουθεῖν τὴν βασίλειον δειπνήσοντας, i. e. (interpr. Andrea Justino-politano) *Sorte autem judicia ubi vertes? Pr. in forum deponam, & postea apud congruum sorte eligam omnes, quousq; sciens sortibus abeat gaudens, in qua litera cœnet: Et præco illos ex beta in porticum sequi regalem cœnantes,* vide etiam Demst. in

paralip.

paralip. ad Ros. l. 9. c. 20. ubi videtur Romanis quoque idem mos attribui, & apud Suetonium in Augusto c. 35. confirmati, scribentem: *Quosdam* (antea Senatores) *ad excusandi se verecundiam compulit, servavitq; etiam excusantibus insigne vestis, & spectandi in orchestra, epulandiq; publicè jus.* Pariter sortium usus erat in eligendis suffragatoribus, seu suffragiis populi colligendis, ubi res quælibet suffragatione erat transigenda. Sic Rosinus l. 9. c. 31. docet, *recitata rogatione, & rogato populo, populus in suffragia mittebatur, ab eodem illo, qui rogator comitiorum erat, eo modo, qui in regibus ferendis & Magistratibus creandis observabatur*: de quo nos postea plenius. Notat autem ipse, primis temporibus suffragia voce ferri solita; postea verò L. Cassius Trib pl. legem tulit, ut in omnibus judiciis, præterquam perduellionis, populus tabella suffragium ferret, neque ita multo post Gælius idem etiam in perduellione servari voluit. Atque hæc quidem, sive de mulcta, sive de capite, sive de perduellione, tributis & centuriatis comitiis ageretur, hoc modo acta sunt, vide eundem l. 6. c. 14. ubi & suffragia de bello inferendo sorte collecta fuisse monstrat, vide infra. Comitiis istis quis præesset, sorte quoque evenit, ut ex Livio constat, qui dec. 1. l. 3. scribit: *Forte quadam utili ad tempus, ut comitiis præesset, potissimum M. Duellio sorte evenit*, &c. *qui cùm ex veteribus tribunis negaret ullius se rationem habiturum, pugnarentq; collegæ, ut liberas tribus in suffragium mitteret, aut concederet sortem comitiorum collegis, habituris è lege potius comitia, quam ex voluntate patrum*, &c.

at lib 5. dec.4. Q. Minutius consul scribit, *comitia suæ sortis esse.* Et mox ibidem: *mitterent ad collegam* (alterum consulem L. Cornelium) *ut is, qui profligatum bellum haberet, ad comitia Romam rediret, si id facere gravaretur, quod non suæ sortis id negotium esset,* &c. eodem libro: *Consulibus ambobus Italia provincia decreta est, ita ut inter se compararent, sorti-renturve, uter comitiis ejus anni præesset.* Et mox: *L. Quintio Gallia* (provincia sorte) *evenit, & comitia habenda. Prætores deinde provincias sortiti,* &c. Erant autem tria comitia, curiata, centuriata, & tributa, ex curiis, centuriis, & tribubus, in quas populus distribuebatur, constantia: ut ergo scirent in ferendis judiciis, quæ curia, centuria, aut tribus prærogativam in suffragatione haberet, sortitione id erat expeditum. Conjiciebantur nimirum sortes seu nomina curiarum, centuriatum, aut tribuum in urnam, & cujus curiæ, centuriæ, aut tribus nomen primo loco exiret, illius erat prærogativa, atque hæc prima suffragium dedit, vel ejus suffragia per rogatorem primo loco colligebantur: & in quam partem seu sententiam plures illius curiæ aut centuriæ aut tribus inclinarent homines, illa totius curiæ, centuriæ, tribus, sententia habebatur, quam deinde rogator per præconem nunciari jubebat. Testatur id Livius, qui inter alia l. 7. dec. 3. ait: *Ipse* (Dictator) *Comitia, in quem diem primum potuit, edixit: quæ certamine inter tribunos dictatoremq; injecto, perfici non potuerant. Galeria juniorum, quæ sorte prærogativa erat, Q. Fulvium, & Q. Fabium consules dixerat.* Confer supra Cap. II.

§. 3. Hæc

§. 3. Hæc verò, quæ universim de judicibus & judiciis dicta sunt clariora evadent, si in specie dixerimus, qua ratione judicia de damnandis vel absolvendis reis per sortem fuerunt administrata: Id factum est non simili modo, ut docti notarunt. Rosinus enim l. 6. cap. 14. scribit de ea re h. m. *Iisdem vocibus* (uti rogas, antiquo) *etiam utebantur in comitiis judiciorum. Nam & ea per legem his comitiis exercebantur: quam si populus antiquasset, absolutus erat reus, sin verò jussisset, tum erat damnatus.* Et mox: In comitiis judiciorum eædem tabulæ dabantur, una notata litera A. quæ significat Antiquo. Altera notata literis V. R. id est, Uti rogas. Quod si ergo tabellæ, quibus inscripta erat litera A. (i. e. antiquo) numerô prævalerent, reus absolvebatur; quod si autem tabellæ plures essent, quæ habebant U. R. reus condemnabatur. Si verò utræque tabellæ essent numero pares, pro absolutione reputabant, quia Dionysio l. 7. testante, lege cautum est, ut æquitate suffragiorum reus absolutus judicaretur. Sed idem Rosinus l. 9. c. 24. paulo aliter adducit, inquiens: *Ampliatio, in quibus causis adhibebatur, erat, quoties judices significabant, rem sibi non liquere, & secundam actionem instituendam esse, & Prætor ex consilij sententia pronunciabat, amplius cognoscendum esse. Itaq; ut nota absolutionis in tabula fuit A, condemnationis C. sic ampliationis N. L. id est, non liquere.* Sunt ergo literæ istæ initiales integrarum vocum, quomodo in comitiis magistratuum candidatorum nomina non integra scribebantur, sed brevitatis causa primæ tantùm literæ nomi-

nis cujusque, ut Rosinus docet, allegans Ciceronis orationem pro domo sua; forte innuens hæc ibi extantia verba: *Is posteaquam intellexit, posse se interversa ædilitate Pisone consule, Prætorem renunciari, si modo eadem prima litera competitorem habuisset aliquem, ædilitatem duobus in locis, partim in arcâ, partim in hortis suis collocavit.* Invehitur autem in Publ. Clodium. Cæterum quidam literas istas sortitorias Græcè scribunt, ut in Alex. ab Al. l. 3. c. 5. legimus, ubi modum hunc sortiendi ita describit: *Apud Romanos quandoq; inolevit, ut in capitis judicio per θ. seu κ. in urnam conjectas literas signum mortis, & capitis supplicio afficiendum notarent: per τ. & α. absolutionis: per λ verò & γ prolationis, & diem diffundi, quum parum sibi liquere de causa significarent, quæ ampliationis tabella dicta est. Z. quoq; in sortibus inauspicata fuit, & mali eventus. Nonnulli in nomenclatura militum per τ superstites, per θ defunctos in acie tribunos annotare prodiderunt.* An Romani tres suas tabellas Græcis literis α, κ, & λ γ signarint, non satis constat, quia literæ istæ sunt initia vocum Latinarum, seu Romanorum: nimirum, absolvo, condemno, non liquet. Forsan ex Græco potius autore ista petita sunt, qui literas Romanas Græcè scripsit. Notum quidem est, Romanos multa hujus generis à Sapientibus Græcis recepisse; at voces istas Latinas Græcos adhibuisse in judiciis, nondum hactenus liquido apparet: nec Romanos Græcè eas scripsisse, verisimile; potius Romani à Græcis mutuarunt ut literis θ & τ uterentur, hac in absolvendis, illa in damnandis reis: θ enim non tantùm formâ,

cor

cor dissectum exhibenti, sed & significatione, mortem infert; notat enim Θάνατον, vel θνῆτος, θνητέον: unde malè audit apud Poëtas & alios authores, quorum verba Demsterus refert in paral. ad l. 9. Rosini. Ex quibus hæc Pseudo-Cornuti notanda, ad vers. 13. Sat. 4. Persij: Judices literam θ theta apponunt ad eorum nomina, quos supplicio afficiunt merito, Θῆτα ἀπὸ τοῦ θανάτου, eo quod quasi habeat telum suum, ideoque quasi triste intelligitur, vel mortis signum, unde quidam ait:

O merito ante alias infelix litera theta.

Et Ausonius epigr. 120.

Miselle Doctor, & tibi sit obscæno.
Tuumq; nomen theta sectilis signet.

scilicet & est nota laquei, quo quis suspenditur. Persius autem l. c. ita scribit:

Et potis es nigrum vitio præfigere theta.

Cicero in Orat. pro Milone: *Quod nisi vidisset, posse absolvi eum, qui fateretur, quum videret nos fateri, neq; quæri unquam jussisset, nec vos hanc tam salutarem in judicando literam, quam illam tristem dedissetis.* Quæ Erasmus in adagiis h. m. exponit: *Tristem literam appellat θ, salutarem τ, quod hac absolveretur reus, illa damnaretur, de quo nonnihil attigimus in proverbio Theta præfigere. Asconius Pædianus, si modo codices mendo vacant, indicat θ fuisse notam damnationis, τ absolutionis, N. L. ampliationis, hoc est, non liquere.* T. Livius *dixit tristiorem notam.* Cent. 10. adag. 85. Ad proverbium verò, *theta præfigere*, hæc notat: *Sunt qui hoc ad figuram græcanicæ literæ referant, quod ea cordis humani transfixi speciem quodammodo repræsentabat.*

Nam nescio, an debeamus Isidoro credere, qui primo etymologiarum libro scribit, ita militari more solere fieri, ut cæsi θ, salvi τ signarentur. Certe de hoc signo τ fit mentio etiam in Apocalypsi, quæ beati Johannis Evangelistæ nomine legitur. Sed verosimilius, quod Asconius Pædianus olim in judiciis sortes, quæ mittebantur in urnam, triplicem notam habere solere, ac θ quidem damnationis fuisse symbolum, τ absolutionis, λ ampliationis, id est, quoties significabant, sibi parum adhuc liquere, ac denuo causam agi oportere. Satis ergo ex his apparet, diversos fuisse Romanis in hac re ritus: primo enim voce suffragia ferebant: deinde tabellis duabus, quarum alteri, U.R. alteri A. inscriptum: postea tribus tabellis utebantur, quarum alij A. alij C. atque iterum alij N. L. inscripserunt, prout quisque vellet sententiam suam de reo ferre. Deniqúe Græcis literis tabellas notarunt, θ nimirum & τ. nec non si verum est quod ajunt, ν λ quas literas etiam nominibus reorum perfigebant. Adde modum judicandi per calculos atros albosve, de quo supra. Erant autem, ut Rosinus tradit, tabellæ istæ judiciariæ, ceratæ, quomodo antiqui solebant scribere.

§. 4. Sed Græcorum quoque, quorum crebra facta est mentio, non eadem erat in his consuetudo. Nam præter morem modo recensitum, alios etiam habebant, ut quidem Alex. ab Al. l. 4. c. 11. refert, ubi de Lacedæmoniorum judiciis dicit: *Senatus consultum vel per singulorum sententias exquisitas, & per calculos conjectos in urnas, quum de quoquo negotio quid quisq; sentit, consulitur, & suo loco rogatus sententiam dicit, aut quum verbo assentitur,*

tur, fieri adnotatum est. Regibus autem Lacedæmoniorum binos calculos ponendi, cum sententiam dicunt in senatu, facultas erat, tertium verò, si quid pro se decerni vellent. Græcis & plerisq; gentibus fabis suffragia dabantur. Syracusanis nemo sententiam dicit rogatus, sed ut quisq; ætate & honore anteit, ita sua sponte, quid sui consilij sit, in medium affert, non rogatus, aut si tacent omnes, sorte dicere coguntur: quibus in usu erat, ut in concionem prodituri, per literarum elementa sorte educerentur. Quare Dionysius proditurus, cum M. sortitus fuisset, futuram sibi monarchiam cavillatus est. Hæc ille, qui tamen non multo post de Lacedæmoniis ait, eos summis clamoribus agere, nec calculis sententiam dicere, nec admurmuratione suffragia ferre: quæ quomodo cum antecedentibus congruant, ipse viderit. Quem sortiendi modum Athenienses in Areopago exercuerint, supra cap. 12. tetigimus. Z. verò in sortitione male auspicatam literam esse, ut Alex. Neapolitanus modo dixerat, inde esse puto, quod ζημία significet damnum, detrimentum, jacturam, vel si mavis, ut Martianus Capella in nuptiis Philologiæ & Mercurij scribit, hanc literam invisam fuisse Appio Claudio, quod dentes mortui, dum exprimitur, imitetur, vide Tiraq. in Alex. ab Al. T boni ominis litera forte est, quia τηρέω est servare, τετηρημένος servatus, superstes, præservatus. Ad istum autem sive Romanorum sive Græcorum morem respexere sæpius Poëtæ, in fabulis vel fingendis vel pingendis. Inprimis Virgilius l. 6. Æn. de infantibus cita morte abreptis:

Quos dulcis vitæ exortes, & ab ubere raptos
Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.

quasi, quibus sors vitam mature ademit. Mox ibidem:

Hos juxta falso damnati Crimine mortis
Nec vero hæ sine sorte datæ, sine judice sedes:
Quæsitor Minos urnam movet, ille silentum
Conciliumq; vocat, vitasq; & crimina discit.

Hæc cum respectu ad Romanum forum dici æstimant, ubi è judicibus selectis adhibiti sunt illi, quorum nomina ex urna vel sitella primum ducta, ad numerum legitimum. Sed quia nulla hic de judicibus sortitio, respici omninò arbitratur Farnabius ad judicia Græcorum, *in quibus duæ erant urnæ, in alteram coniiciebantur à judicibus sortes vel calculi absolventes, in alteram damnantes. Pro harum diremtarum numero sententia lata est. Harum urnarum posterior tantum apud inferos in usu, de pœnæ scil. & supplicij loco: namq; Elysius Campus à Jove assignatus.* Quasi vero Romani non æque ac Græci absolvendorum & damnandorum sortes ex urna duxerint, ad utriusque ergo populi morem respectum videtur à Virgilio, vide supra Cap. 3.

§ 5. Huc nonnulli volunt respici Ezech. IX 4. & 6. & Apoc. VII. 3. In Hebræo enim est והתוית תו על מצחות *Et signabis signum*, vel ut Vulgatus reddit *thau in frontibus*, &c. atque his hoc signo notatis jubetur parci, cæteris interimendis, unde Demsterus ad Rosinum l. 9. ait: *Scio contrario ritu salutiferam Hebræis fuisse Thau notam in sacris literis, Ezech. 9. & Cap. 59. & D. Hieron. ibidem.*

Sed

Sed hæc interpretatio est admodum incerta, imò falsa. Non enim hîc intelligitur litera ita vocata: sed vox תו notat signum, ut Hebræi commentatores ad h.l. annotarunt, vide R. Sal. & D. Kimchium, qui vult scribendum fuisse in frontibus servandorum signum atramento, uti olim signum scribendum fuit in januis Israëlitarum in Ægypto, in signum tutelæ ab Angelo mortis. Talmudici quoque, in tract. Schabb. fol. 55. 1. ferè similiter: אמר לו הקב"ה לגבריאל לך וסמן על מצחן של צדיקים תיו של דיו שלא ישלטו בהם מלאכי חבלה ועל מצחם של רשעים תיו של דם כדי שישלטו בהם וכו', *Deus O. M. dicebat ad Gabrielem: abi & signa in fronte justorum signum atramenti, ne dominentur illis angeli perditionis: at in fronte impiorum signum sanguineum, ut dominentur illis angeli perditionis*, &c. ibidem doctor aliquis Talmudicus Rabh Joseph, narrat traditionem aliquam, אל תקרי מקדשי אלא מקודשי אלו וכו', *non legas* (vers. 6.) *mikdaschi, sed mekudaschai, sanctificatis meis, hi sunt illi homines: qui implent legem meam totam ab Aleph usq; ad Thau.* Sed hic est sensus anagogicus, quem semper innuunt, quando præmittunt, non legas sic, sed sic, &c unde ad verum sacri textus sensum nihil conducit hæc traditio: cujusmodi & aliæ ibidem habentur, quemadmodum doctores Talmudici sæpissime certant inter se, ut quislibet alterum ingenio superet. Et quæ similitudo literæ Hebrææ ת thau ad crucem benedictam? patibuli magis formam habet: latinum autem T aptius esset meditationi isti, quia formæ crucis propius accedit, verum

rum quis sibi persuadeat, Deum præcepisse formam latinæ literæ T frontibus piorum inscribi? Et quamvis eleganter conveniret cum consuetudine Græcorum, qui salvandos vel absolvendos, vel ex prælio incolumes notarunt literâ T, non tamen Deus ad illam respexit: unde saniores Interpretes & Commentatores pleriqúe simpliciter תו per *signum* exponunt, quia continuo præcedit והתוית, & signabis, vide Drusij fragm. vet. Interpp. ad Ezech. 9.

§. 6. Ad sortes judiciales referendus ostraciſmus, supra jam Cap. II. obiter expositus, quo Athenienses & alij, Romani etiam, ut ex Livio dec. 3. l. 5. colligitur, divites vel nimis potentes vel alias ob causas, etiam virtutis, invisos, testulis inscriptos exilio plerunque decem annorum patriâ proscripserunt: non in pœnam magis quam medicinam Reip. ut potens ejusmodi civis aut suspectus, aut invisus, ceu membrum nimis excrescens, resecaretur ad tempus. *Erat* enim *ostraciſmus inventum, quo nimia in Rep. potentia molestos aut suspectos quodam quasi exilio enervarunt, ne velut adnascens hedera arborem, sic illi Remp. obumbrarent & suffocarent*, uti Jacobus Thomasius in Disp. de ostraciſmo habita describit, ubi simul de justitia & aliis hujus rei vicinis quæstionibus pluribus disputat; prorsus ajens consentaneum esse democraticæ regulæ, quam ex Ephesiorum sententia Cicero lib. 5, Tusc. commemorat in hæc verba: *Nemo nobis unus excellat, sed si quis extiterit, alio in loco & apud alios sit.* Quam & Venetos observare ex Jovio docet. Referunt lepi-

lepidum hujus proscriptionis exemplum Aristidis, ostraciſmo ejecti: Cum enim comitia ostraciſmo essent indicta, agrestis quidam homo & rudis plane ac literarum ignarus, in forum properans, in Aristidem, qui Justus ut erat, ita appellabatur, incidit, eumque testula oblata, ut Aristidis nomen inscriberet, rogavit: miratus Aristides cum quæsisset, num quid ab Aristide mali accepisset? minime vero, inquit ille, imo hominem ne novi quidem, sed vulgatum istud Justi cognomen æquo animo ferre non possum. Pulsus est ergo Aristides, quod justi cognomen offenderet. Boëclerus tamen inter pœnas refert ostraciſmum in commentario ad Matth. Berneggerum scripto de Excellentibus viris à Corn. Nep. memoratis: & in indice vocat telum adversus dominatum. Ex quibus cognoscitur, actum hunc judicialem h. m. fuisse perfectum: Cum quis civium vel ob nimiam potentiam vel ex alia invidia patria & laribus esset eiiciendus, indixerunt comitia, ut quisque civium, quem vellet ejectum, testulæ inscriptum illius nomen exhiberet, quod factum in foro, loco septo. In eum per decem aditus populus in totidem tribus distributus, ingrediebatur, præsidentibus novem Archontibus ac senatu: postquam ergo cives testulas tradidissent, magistratus earum numerum inibat, & nisi sex mille ad minimum testulis aliquis damnatus esset, ostraciſmus non erat perfectus, nec damnatus tenebatur urbe exire: quem vero tot testulæ condemnassent, ei intra decem proximos dies

in

in exilium ire necesse erat. Differebat autem ab exilio ostracismus quod illic bona etiam fuerint publicata, hîc non exciderint bonis suis. Dein ostracismo ejectis tempus ponebatur præfinitum, quod exulibus non fiebat: imò etiam quandoque ante terminum decem annorum exactum revocabantur, ut ex Corn. Nep. clarum est. Sed hoc meum non jam est opus hæc fuse recensere, id eo hîc tantum attuli, quod ad sortitionem attinere videbatur, vide virum insignem Thomasium, & quos ipse allegat, Car. Sigonium, de rep. Athen. & Joh. Meursium, lect. Attic. &c.

§. 6. Sequitur judicium de Lege vel recipienda vel abroganda, quod ita factum: In Comitiis legum, seu ob legem indictis, duæ dabantur tabellæ, una in qua scriptum erat. Uti Rogas; duobus tantum elementis, U. R. altera, in qua scriptum erat Antiquo, una item litera A, illæ tabellæ non domo afferebantur à populo, sed erant, qui eas ministrarent populo, suffragium inituro, quos diribitores appellabant, idque fiebat hoc ordine: Sortitione inter tribus & Centurias de prærogativa facta, Magistratus in tribunali, quod erat in campo Martio, sedens, per præconem vocabat prærogativam Centuriam ad suffragium; Centuria igitur illa de eo loco, in quo consistebat, discedebat in septum, atque porro agebat, uti supra Cap. II. est expositum. Quodsi igitur plures reperirentur tabellæ, in quibus scriptum esset U. R. pauciores, in quibus scriptum esset A. ab ea Cen-

Centuria legem juberi renunciabatur. Contra vero legem Centuria non accipere pronunciabatur, si plures scriptum haberent A. At si forte pares numero tabellæ in utramque partem reperirentur: ejus Centuriæ nulla renunciabatur sententia, nisi lex esset, quæ de perduellione ferretur. In favorem enim reorum absolvisse censebatur Centuria, quæ non condemnarat. Itaque si pares essent reliquæ Centuriæ accipientium legem, & vetantium, hac accessione ad vetantes Centurias, legem antiquabat, adeò ut reus absolveretur, quod præter alios Dionysius l. 7. testatur, cum scribit. Lege cautum fuisse, ut æqualitate suffragiorum reus absolutus judicaretur. Hæc ex Rosino, l. 6. c. 14. Atque tum, quando sortes judicum in utramque partem æquales essent, vocabatur Calculus Minervæ, seu græcè Ἀθηνᾶς ψῆφος, Calculus Atheniensis; nomine inde acquisito, quod Agamemnon Dux Græcorum in bellum Trajanum profecturus, uxorem, quam habebat, Clitemnestram domi reliquerat. Illa per absentiam mariti Ægysthi Cantoris cujusdam consuetudine usa, nec contenta nefarie thorum polluisse, ut scelus majori crimine cumularet, redeuntem è bello Agamemnonem ope adulteri interfecit: quod fatum cum Orestes puer subire deberet, Electræ sororis beneficio clam servatus evasit. Is postea factus adultior, historiâ sceleris omni cognita, ut patrem ulciscereturr, matrem una cum adultero occidit. Quapropter furiis agitatus, cum nullibi tuto consistere posset, tandem

Athe-

Athenas profugit, ubi Areopagitarum judicio provocatus, cum atri calculi alborum numerum vincerent, Minervæ ope implorata, quæ veluti præses judicij ultimum albis addiderat, quo pares fierent, absolutus est. Cui etiam in honorem aram extruxit, βωμὸν Αθηνᾶς ἀρείας, ἀπὸ τῆς ἄρεσθαι, à precando, quod preces ejus audierit, quemadmodum narrat Pausanias in Æschyl. in fur. Eurip. in Oreſt. & Elect. Natalis Comes Mythol. l. 7. c. 2. utuntur etiam hac voce Calculus Minervæ, in alio sensu, vid. Erasmi chil. Cent. 4. nimirum pro exacto judicio: Minerva enim, ceu Themidis filia, justitiæ quasi præses & vindex, ab Ægyptiis colebatur, eratque Dea urbis Athenarum: hoc modo ante Orestem absolutum absolvebatur Mars, homicidij in Areopago accusatus, paribus nimirum suffragiis Deos ipsos eum liberasse, ac inde Arcopagum nomen accepisse creditum est, quia Ἄρης græcis Martem notat. Confer Augustin. de Civit. D. l. 18 c. 10. Polyd. Virg l. 2, c. 2. Demsterum ad Rosinum l. 9. c. ult. Valer. Pierium in Hierogl. l. 39. & alios. Multis de hoc jure disputant Juris periti, nominatim allegatur Differt. quædam Bökleri de Calculo isto Minervæ.

§. 7. Sed plurimi alij hujusmodi casus in judiciis sorte decisi sunt, quorum largam segetem legere est apud Juris C. & Legum Doctores. Aliquando patronos & advocatos sorte electos fuisse, Tiraq. ex Plinij lunioris lib. 10. epist. 3. colligit, ubi tamen addit, *id non temere in alio loco comperies.* Ex Joanne Bœm. l. 3. de moribus gent.

gent. Cap. 17. referunt, Bojaros circa testium delectum sortibus usos: nam secundum horum leges ex pluribus testibus unus tantum sorte eductus jurat, ita dicens: *Testis sortitus sum, testem me exhibeo, sic me Deus juvet: & illum, cujus manum teneo, testis aure tractus sum veritatem præsenti in causa dicere.* Datis deinde ad sacrandum armis, solus altera manu verbum ipsum cum uno sacramentali juret. Mendaciter jurasse convictus, causam restituat, duodecim solidis componat, aut innocentiam suam Campione defendat. Quando duo plaustra sibi obviant, in loco ita stricto, ut simul transire non possint, sintque omnia hinc inde paria, quia neuter alterum prævidit, neuter illorum locum prior occupavit, neuter altero est dignior, sorti locus, uter eorum retrocedat. Si duo rem eandem ab alio petant, & ita neuter eorum possidet, & sunt, illorum pares omnino probationes, si res sit individua, controversia sorte dirimenda est. Quodsi duo socij habeant rivum communem, & uterque velit aquam ad sua prata ducere, debent eam dividere; si neuter velit posterior esse, & dividere nolunt, sortiantur, &c. nam ubi humanum ingenium non sufficit, fortuna altercationem dirimat. Si sit contentio inter fratres de jure primogenituræ, nescios utri competat, ad sortes recurrendum, uti fecisse dicuntur Romulus & Remus. Diodorus Siculus l. 4. bibl. scribit, ad custodiam insulæ Ophiadis custodes sorte fuisse divisos ab Ægyptiorum Rege, cui ea parebat, ne quis furto lapidem Topazion, quo ea insu-

la abundat, subtraheret. Virorum præpotentium in Africa filij quinque ex sese sortiti sunt, qui Africæ solitudines & Nili fontes indagarent, Herodotus in Eut. l. 2. In Abhoth fol. 10. col. 1. R. Schimeon ben Gamaliel & R. Ismael ben Elisa sortiebantur, uter prior decollari deberet à carnifice. Sic sexcenta alia sortibus subjici poterunt, ceu judicio in qualibet lite componenda: si modo res sit naturalis, fori & judicij humani, & in potestate humana. Quodsi enim res fuerit abscondita, notitiam hominum effugiens, & secundum acta & probata seu leges imperscrutabilis, peccant, qui eam sortibus inquirunt: quod faciunt illi, qui cadaverum cruentatione homicidam incognitum prodi sibi cupiunt, quod est Deum tentare, & signum à Cœlo petere, quomodo Pharisæi Christum tentarunt, audientes ob id gens adulterina, genus Viperarum, &c. non bona igitur lex erat Frisionum, quæ duobus talis de virga præcisis, quos tenos vocant, & quorum alter signo crucis signatus, alter purus esse debebat, homicidam religiosis ritibus investigare jubet: vide apud alios plenum actum hujus superstitiosæ, ne dicam idololatricæ, sortitionis. De occultis non judicat Ecclesia: sed Deo, soli occultorum judici, ea commendat, agens interim secundum leges Christianæ charitatis; ignotus homicida judicio Dei committitur, & pro ejus conversione & salute fiunt preces; quæ humana industria perquirere nequit, piè nesciuntur. Longe aliter Mosis, Deut. 21. quam Frisionum lex, jubet procedere

cedere cum occiso invento, cum tamen in Vet. Test. haberent prophetas, Urim & Thummim, sortes sacras, quæ omnia non adhiberi vult, ut autor homicidij cognoscatur.

CAP. XXIX.

De

Usu Sortium in dividendis bonis.

§. I.

DE hoc jam supra, sed obiter, dictum, cap. 19. Lubet hîc paulo liberius excurrere, atque plura ejus exempla colligere. Inter ea primarium & antiquissimum, quod extat, est distributio terræ sanctæ, per sortem facta. Numer. XXVI. 54. *Et occupabitis terram per sortem secundum familias vestras, pro multitudine multiplicabitis hæreditatem ejus, & pro paucitate minuetis hæreditatem ejus, secundum quod exibit ipsi illic sors, erit eidem; secundum tribus patrum vestrorum hæreditabitis illam.* vers. 55. *Verum per sortem dividatur terra, secundum nomina tribuum patrum suorum possidebunt.* vers. 56. *secundum os sortis dividatur hæreditas ejus, tam inter magnum quam parvum.* Confer Num. XXXIV. 13. C. XXXVI. 2. 3. Et sic factum esse recensetur Josuæ XIV. 2. C. XV. 1. C. XVII. 1. 4. 17. C. XXI. 5. 6. 8. 10. 20. 38. Inprimis hic notanda sunt C. XVI. 1. C. XIX.

1.24. C.XXI.4. ubi dicitur יצא, & exivit (sors.) Sicuti Cap.XIX. 17. 32. 40. ubi est יצא. vers. 10. & Cap. XVIII. 11. ejus synonymum יעל, & ascendit. Cap. XVIII. 6, 8. 10. 11. ubi Josua ad filios Israël: *Et vos scribite terram septem partibus, & afferte mihi huc, & projiciam vobis sortem hîc coram Domino Deo nostro,* &c. *Et surrexerunt viri illi, & abiverunt: & præcepit Josua abeuntibus, ut scriberent terram, dicendo: Abite & perambulate terram, & describite illam, & redite, ad me, & hîc mittam vobis sortem coram Domino in Siloh. Et scripserunt illam in librum,* &c. *Et misit illis Josua sortem in Schiloh coram Deo, & distribuit terram,* &c. Cap. XIX. 51. *Hæ sunt possessiones, quas in possessionem dederunt Eleasar Sacerdos, & Josua filius Nun, & principes patrum, tribubus filiorum Israël per sortem, in Schiloh, coram Domino, ad ostium tabernaculi conventus, & absolverunt dividere terram.* Confer 1.Paral. VII. 61. seqq. ubi quæ urbes Sacerdotibus & Levitis sorte fuerint assignatæ, describitur. Pariter autem post Captivitatem Babylonicam fieri præcipitur per prophetam Ezech. XLVII. 22.

§. 2. Ex his sortitionis nostræ argumentum maxime attingit, 1. sortitionum harum authoritas & religio. 2. modus. Authoritas erat primò à Deo præceptore & moderatore totius hujus actus solennis: deinde à loco: res enim omnis peragebatur in loco à cultu Divino sacro & publico, coram ipso Deo, ceu urnæ assidenti: ubique quidem locorum coram Deo ejusque facie sistimur, is locus noster est, מקום, in quo vivimus, movemur & sumus; attamen in loco Majestati ejus & singulari præsentiæ consecra-

to,

to, miraculis, & Divinæ gratiæ signis illustri, paulo propius Deo adesse, & ipse nobis, habetur. Tum etiam ab Oraculi Divini, urim & thummim, adhibito consilio, quô sortium jactarum veritas firma & rata fiebat, religiosius de hac sortitione æstimandum. A personis quoque sacris, rem omnem sancte administrantibus, celebris est actus; Summi enim Magistratus in Civilibus & Ecclesiasticis, Josua & Eleasar negotio toti præsidebant. Deniqúe objectum, de quo sortes projiciebantur, terra sancta, actionem istam commendat.

§. 3. Modus sortitionis in hoc actu observatus à Schindlero describitur, in pentagl. voce גורל. *Sorte Israëlitis distributa fuit terra, juxta tribus, Jos. 18. Factæ fuerunt duodecim partes æquales, ut quælibet tribus sive major sive minor reliquis, unam sive bonam sive malam caperet. Baculi tribuum & baculi sortium ponebantur coram Eleazaro, urim & thummim induto. Hic una manu partium, altera tribuum baculos carpebat, atq; ita, quæ pars cuilibet tribui assignanda esset, inquirebatur.* Quæ unde habeat Schindlerus, me latet, nec enim quod sciam, ullus Hebræorum rem istam h. m. describit. Factas enim partes terræ s. duodecim, clare reclamat ipse sacer textus Num. XXXIV. 13. & Jos. XIV. 2. 3. Confer Num. XXXII. 1. seqq. Æquales deinde partes factas fuisse, valde dubito: quia terræ s. partes factæ sunt novem & dimidia, secundum tribus novem & dimidiam. Deinde claris verbis dicitur, divisionem terræ s. fuisse instituendam pro multitudine & proportione multarum tribuum, ut quomodo una tribus alteram excederet numero, sic partes quoque essent amplio-

pliores vel tenuiores. Deus vero deinde sortes ita gubernavit, ut tribui amplæ ampla, minori minor sors parsque caderet. Insuper quod de baculis ait Schindlerus, forte respexit ad historiam Num. 17. descriptam: schedis potius rem fuisse compositam, ex modo loquendi apparet, qui idem est ac alibi, ubi sortitio schedis peragebatur. De baculis enim vix dicas exivisse, ascendisse, projectos esse, missos, &c. De Sacerdote urim & thummim induto, mox dicetur. Schedularum operâ sortitionem factam fuisse, Hebræi sentiunt, teste Münstero: *Sors fiebat secundum Hebræos hoc modo: Scribebantur in duodecim schedis duodecim nomina tribuum Israël: & in aliis duodecim schedis duodecim termini terræ promissionis: & hæ duplices schedæ mittebantur & permiscebantur in scrinio: tollebantq; singuli tribuum principes duplicem schedam, & qui terræ terminus cum schedâ suæ tribus illi obveniebat, is illi decernebatur tribui: & hoc est, quod textus Hebraicus per* עַל פִּי גּוֹרָל, *explicat.* (Sic Hugo Grotius in annotatis ad Num. 26. juxta numerum vocabulorum) *quæ scripta in schedulis, ut & terrarum nomina: sic duæ schedæ pariter trahebantur.*

§. 4. Quia hæc ex Hebræis sumta videntur, audiamus eos ipsosmet. Sic autem Talmudici in Babh. Bathra fol. 122. 1. ולא נתחלקה אלא בגורל שנאמר אך בגורל ולא נתחלקה אלא באורים ותומים שנא' ע"פ הגורל הא כיצד אלעזר מלובש אורים ותומים ויהושע וכל ישראל עומדין לפניו וקלפי של שבטים וקלפי של תחומים מונחים לפניו והיה מכוין ברוח הקדש ואומר זבולון עולה תחום עכו עולה עמו טרף בקלפי של שבטים ועלה בידו זבולון טרף בקלפי של תחומין ועלה בידו תחום עכו וחוזר ומכוין ברוח הקדש

הקדש ואומר נפתלי עולה ותחום גינוסר עולה עמו
טרף בקלפי של שבט׳ ועלה בידו נפתלי טרף בקלפי של
תחומין ועלה בידו תחום גינוסר וכן כל שבט ושבט׳

Nec divisa fuit terra nisi per sortem, uti dicitur: Veruntamen per sortem: neq; etiam divisa fuit nisi per Urim & Thummim, uti dicitur: juxta os sortis. Id quomodo fiebat? Eleasar induebat Urim & Thummim, & Josua cum toto Israël stabat coram eo (Eleasaro, quem de singulis interrogabant) *ante ipsum posita erat urna, in qua erant nomina duodecim tribuum, schedis inscripta, & alia urna, in qua erant nomina duodecim terminorum* (terræ Canaan) *Tum ille* (Eleasar) *intendens in Spiritum S.* (quid per Urim & Th. esset responsurus) *dicebat: Ascendet Sebulon, & cum eo terminus Acho: tum miscuit* (aliquis, Josua, vel Eleasar ipse, vel princeps tribus alicujus) *urnam tribuum, & manu immissa schedam trahens, eduxit Sebulon ex urna prima, tribuum sc. iterum concussâ urnâ terminorum & mixtis sortibus, ascendebat terminus Acho. Deinde Eleasar iterum intendens* (Eleasar) *Spiritui S. dicebat: Naphtali ascendat, & terminus Ginosar ascendat cum illo: miscuit ergo urnam tribuum, & ascendebat manu ejus Naphtali; iterum miscuit urnam terminorum, & ascendebat manu ejus Ginosar, & sic deinceps fiebat cum omnibus tribubus.* Confer Buxt. histor. Urim & Th. p. 303. ubi verbum טרף exponit per miscuit, respiciens ad glossam Talm. d. l. ubi habetur: טרף עירבב הממונה לכך את השטרות יפה
שלא יאמרו מדעת לקת את זו שהיה יודע מה
כתוב בה כמו בצים טרופות בקערה׳, *Teraph*, i. e. *miscuit Præfectus* (sortium) *ideo schedulas probe, ne dicere possent, ipsum ex industria* (schedulam) *eduxisse,*

xisse, scientem, quid in illa scriptum esset; quomodo ova concutiuntur in scutella: Cœterum vocem accessisse sortitioni, Hebræi ex phrasi על פי הגורל, secundum os sortis, colligunt. Ita in Bemidbar Rabbah, sectione Pinchas fol. 281. seu uti aliâs vocatur Tanchuma, res ita enarratur: מעשה נסים היה בגורל אלעזר הכהן לובש אורים ותומים וקלפי הגורלות לפני יהושע שנ' וירית לכם גורל פה לפני ה' אלהינו ועד שלא יעלה גורל אלעזר אומר ברוח הקדש גורל שבט פלוני עלה שיטול במקום פלוני · ומנין שהגורל מדבר שנ' על פי הגורל: Res miraculosa accidebat cum sorte: Eleasar Sacerdos indutus erat Urim & Thummim, & scitella sortium stabat coram Josua, ut dicitur: (Jos. XVIII.6.) Et projiciam vobis sortem hîc coram Domino Deo nostro. Antequam verò ascenderet sors, Eleasar dicebat per Spiritum S. Sors tribus N. ascendit, ut accipiat locum terræ S. N. Unde verò probatur, sortem fuisse locutam? Ex quo dicitur: juxta os sortis. Sic R. Salomo ad Num. 26. הגורל היה מדבר מגיד שנתחלקה ברוח הקדש וכן הוא אומר ויתנו לכלב את חברון על פי ה' לכך ואמר על פי ה': Sors loquebatur, quo innuitur, quod terra divisa fuerit per Spiritum S. quomodo alibi dicitur: Et dederunt Calebo Hebronem secundum os Domini: ideo dicitur, secundum os Domini: quia nimirum Dominus hoc ipsum ore suo mandavit. Quod non intelligendum quasi sortes ipsæ, id est, schedulæ, locutæ sint, sed quod sortitio perficeretur orali Spiritus S. per Urim & Th. nec non Sacerdotem M. declaratione. Sic idem R. Sal. in glossa ad locum Talmudicum: והיה מכוין ברוח הקדש כלומר באורים ותומים ששואלין תחלה באורים ותומים קודם שיטרף הממונה בקלפי

בקלפי ובכך מתקררת דעתן של ישר' שרואין שהגור
היה עולה כמו שנתנבא תחלה ויודעים שחלוקה
ישרה היא ולא היו מרננים בדבר השבשים המרובים:

Intentus erat in Spiritum S. in Urim & Thummim: quia primo omnium consulebant oraculum Urim & Th. antequam Præfectus misceret sortes in urna: hac enim ratione satisfiebat animo & voto Israëlitarum, quando videbant sortem ita cadere & ascendere, quomodo ante Sacerdos per Sp. S. prophetavit, & cognoscebant, quod divisio hæc esset legitima, neq; habebant occasionem murmurandi contra tribus illas, quod tribus illæ ampliorem partem accepissent. In Medrasch, Bemidbar Rabbah fol. 281. non nomina, vel non sola nomina tribuum, sed earum symbola potius, ex benedictione Patriarchæ Jacobi schedis fuisse inscripta, memoratur, ut ex. gr. Sebulon, ad portum maris habitabit. Issaschar, cubans inter duas sarcinas: Ascher, pinguis panis illius, &c. quod verò fabulosum potius, quam verum judico. De Urim & Th. juxta sortes consultis, vide supra C. 18. Quod Hebræi dicunt, duodecim terminos atque sic partes terræ S. respondentes duodecim tribubus Israël factas, ipsis sacris textibus supra allegatis contrariatur, nisi dicere velis, tribum Ruben, Gad, & dimidiam Manasse suas partes denuo sortitioni submisisse & recepisse ex urna; de quo verò jam disputare non opus est. Ut nihil moveam de parte Levitarum, exorti similiter, ut tres partes tribuum dictarum exortes erant. Confer Jos. XVIII. 6. ubi partes duarum tribuum Juda & Joseph sorti excipiuntur.

§. 5. Eadem consuetudo, ut regna, terræ, provinciæ, coloniæ, hæreditates, domus, agri, & innumera alia bona, mobilia & immobilia, sacra & profana, sortibus dividantur, obtinuit jam à primis usque seculis, ad hæc nostra tempora, in foro, castris, ædibus sacris & privatis, imò & ipso cælo, uti supra Cap. 2. & 19. notatum. Commenta quidem sunt, quæ vel Judæi vel Poëtæ de sortitione Deorum suorum confinxerunt, ipsis etiam Poëtis non dissimulantibus: Sic enim Callimachus, apud Tiraq. in hymnis Jovis, negat ullam inter Deos, Plutonem, Neptunum, &c. sortitionem esse factam, Jovem ita alloquens:

Δηναιοὶ δ' οὐ πάμπαν ἀληθέες ἦσαν ἀοιδοὶ,
Φάντο πάλον Κρονίδῃσι διάτριχα δώματα νεῖμαι·
Τίς δ' κ' ἐπ' οὐλύμπῳ τε καὶ ἀΐδι κλῆρον ἐρύσσῃ,
Ὃς μάλα μὴ νενίηλος; ἐπ' ἰσαίῃ γὰρ ἔοικε
Πήλασθαι· Τὰ δ' τόσσον ὅσον διὰ πλεῖστον ἔχουσι.
Ψευδόμην, αἰόντος ἄκεν πεπίθοιεν ἀκουή.
Οὐ σὲ Θεῶν ἐσθῶν πάλοι θέσαν, ἔργα δ' χειρῶν,
Σή τε βίη, τό τε κάρτος.

Quæ Parrhasius ita transtulit:

—— Veteres (neq; enim commenta Poëtæ
Vera satis jactant) Saturni pignora quondam
Inter se summam rerum sortita fuisse,
Et cœlum cessisse Tibi, nam quis precor unquam
Quis rudis usq; adeo, res ut discrimine toto
Distantes uni stultus commiserit urnæ, &c.

Verbotenus verò ita reddita habent: *Veteres verò non prorsus veraces erant Poëtæ: dicebant sortem Saturnigenis tripartitè domos distribuisse. Quis enim pro Olympo & pro inferno sortem mittat? quis non plane stolidus fuerit? nam sors de rebus æqualibus solet mitti: hæc autem longissime inter se distant. Mentiar si hæc di-*

dicam, licet ea persuaserim. Non te Deorum Regem sortes posuerunt, sed opera manuum tuarum, tuaq; virtus atq; robur. Sic Aristoteles lib. 1. Eth. c. 9. ait, id quod maximum optimumque est, fortunæ committere, ἐπιτρέψω τύχῃ λίαν πλημμελὲς ἂν εἴη, pravum seu extremæ dementiæ esset. Hæc verò quomodocunque se habeant, Poëtæ tamen ista fingentes ad communem morem respexerunt, quo omnibus fere populis consuetum, regna & alia bona, sive parva sive magna, sorte distribuere. Atque hinc originem traxisse Didymus & Eustathius ad Homerum arbitrantur, ut patrimonia atque substantiæ rusticæ, & quælibet bona, sive per dotem, sive hæreditatem, sive alius successionis titulô acquisitæ facultates κληρονομίαι, vel simpliciter κλῆροι nominentur, quia antiquitus, qui regionem aliquam occupaverant, aut bello opes erant nacti, sorte eas dividere consueverint, vide Eustath. ad Iliad. ῥαψωδ. ο. vers. 498. Sic idem Homerus l. 14. odyss. scribit, filios Castoris, Hylacidis filij, hæreditatem patris inter se sortibus divisisse. Et Pausanias, citante Tiraq. in Arcadicis tradit, Arcadem illum inter filios imperium sorte divisisse, & Aphidanti Tegeam sorte obtigisse, & hinc Poëtas Aphidanteam sortem Ἀφειδάντειον κλῆρον Tegeam appellasse. Sic Principes Alexandri M. regna inter se diviserunt, vide Justinum l. 13. Livius dec. 1. l. 5 refert de ambigato Celtarum Rege cum regnum ejus frugum hominumque, adeo fertile esset, ut abundans multitudo vix regi videretur posse, cupivisse illud prægravante turba exonerare: Bellovesum ergo

ac

ac Sigovesum sororis filios impigros juvenes missurum se esse, in quas Dij dedissent auguriis sedes, ostendisse: quantum ipsi vellent numerum hominum excirent, ne qua gens arcere advenientes posset. Tum Sigoveso sortibus dati Hercinij saltus: Belloveso haud paulo lætiorem in Italiam viam Dij dabant. Sed & Triumviros, Augustum scil. Lepidum & Antonium orbis imperium sorte partitos fuisse, licet videre ex Appiano Alexandrino. *Cùm apud Lydos post varia inventa oblectamenta, quibus validam famem aliquo modo repellere aut fallere possent*, uti supra Cap. 10. adductum, *nihilominus indies id excresceret malum, & nihil jam adinventa illa proficerent subterfugia, habito prius hac super re consilio, bifariam populares divisere suos, hac scilicet conditione, ut eorum alter domi cum suis remaneret, alter verò ad novas quærendas sedes egrederetur, hujus autem rei arbitrium sorti esset committendum, cumq; hoc placuisset omnibus, & ad sortes ventum esset, contigit, ut extractis sortibus & profectionis conditio Tyrseno obveniret, quamobrem præparatis navibus cum suis illas ingressus Tyrsenus prospera usus navigatione in Italiam pervenisse dicitur.* Leon. Thom. de varia hist. l. 3. c. 52. De provinciis per sortem Prætoribus assignatis, supra vidimus: eædem quandoque Proconsulibus sortitò cesserunt, ut ex Suetonio, Cap. 47. Augusti videre est. Flamini Diali eodem modo assignari volebat Q. Halerius, ut Tacitus l. 2. annal. indicat, extra ordinem fuit, si provinciæ extra sortem dabantur, ut patet ex Ciceronis Orat. pro domo sua, dicens: *Eas* (provincias consulares) *lege Sempronia per Senatum decretas*

cretas rescidisti? extra ordinem sine sorte nominatim dedisti, non consulibus, sed Reip. pestibus. Plura ejusmodi & exempla & testimonia Rosinus, Demsterus, Tiraquellus, & alij adferunt: quibus adde ex Suetonio c. 18. in Julio Cæsare, cui ulterior Hispania sorte data, & cap. 3. Augusti, cui Macedonia, ex sacris Nehem. XI. 1. seqq. ubi dicitur, Judæos sorte constituisse, quinam in urbe, quique in provinciis habitarent. 1. Macc. III. 36. Antiochus minatur, se terram Israël sorte distributurum exteris: quo forte referendum, quod Cyrenio (seu Quirino) Syria, & Pontio Pilato Judæa cecidit. Pari modo prædia agri & campi sorte dividebantur: D. Brutus l. II. epist. 20. ad Ciceronem scribit: *Æqualiter aut sorte agros, legionibus assignari puto oportere.* Julius Cæsar cum consul esset, campum stellatem majoribus consecratum, agrumque campanum ad subsidia Reip. vectigalem relictum, divisit extra sortem, teste Suetonio c. 20. Et Plutarcho quoque testante, *idem Cæsar multa Italiæ prædia sorte distribuit.* Atante Cæsarem Romani agrum campanum sorte diviserant, ut ex Strabone Tiraq. adducit. Pericles agri sortitiones edixit, ejectis enim Æginetis eorum agrum sorte divisit Athenienſibus, teste Plutarcho. Diod. Siculus l. II. Bibl. scribit: Siculos quicquid publici relictum agri accessisset, per civium capita quæque suis distributa sorte tradidisse. Eodem libro, Ægestæos & Lilybæos agrum ad Maxarum fluvium positum pro sorte distribuisse tradit. Et paulo post, agrum Chersonesum sorte quoque mille civibus distribu-

stributum fuisse. Et lib. 12. Sybarienses agrum Thuriorum mœnibus finitimum pro sorte item divisisse. Et paulo post: ipsos Thurios eundem quoque agrum rursus æqua sorte inter se distribuisse; ut Tiraquellus loca ista collegit. Plutarchus in Romulo scribit, ex Regibus ab Ænea ortis, Numitorem & Amulium regnum pecuniasque & aurum sorte partitos fuisse, & Numitori regnum, alteri aurum, & pecunias contigisse.

§. 6. Plurima alia ejusmodi ubique occurrunt, ut longum foret omnia enumerare. Ex his satis constat, quam solemne fuerit antiquis sortiri regnorum partes, provincias, campos, agros, urbes & regiones: idque ut acciperent suas portiones tanquam possessionem propriam, imperium & dominationem, ceu legitimi possessores & domini: vel ut gubernarent saltem eos ceu magistratus, veluti apud Romanos Consules, Proconsules, Prætores, &c. quamvis tum sæpe, quod officij rationem habebat, in tyrannidem converterint; quomodo Alexandri M. principes præfecturas, quas vice legitimi hæredis, Alexandri filij minorennis, administrare debebant, fecerunt regna & se reges, quod Justinus lib. 13. indicat, scribens: *Cum hæc divisio, veluti fatale munus* (sc. sorte assignatum) *singulis contigisset, ita magna incrementorum materia plurimis fuit. Siquidem non magno post tempore quasi regna, non præfecturas divisissent, sic Reges ex præfectis facti, magnas opes non sibi tantùm paraverunt, verum etiam posteris reliquerunt.* Quibusdam etiam hoc modo

terræ

terræ in colonias sorte sunt attributæ, ut eas colerent simul & incolerent habitarentque, ut & sedes illis datæ appellantur, ut apud Virgilium alioſque multoties legitur. Aliis sola habitacula sine provinciis aut agros sorte tributa leguntur: Virgilius l. 5. Æn.

Interea Æneas urbem designat aratro
Sortiturq; domos.

Sic Augustus spatium urbis Romæ in regiones vicosque divisit, institutitque ut illos annui Magistratus fortitò tenerent, hos magistri è plebe cujusque viciniæ electi, Suet. C. 30. in Aug. pariter decimæ parti Judæorum ex Babylonia reducum sorte assignatum habitaculum Hierosolymis, novem cæteris partibus in provincias abire jussis, Neh. XI. 1. Ad quam sedium & terrarum distributionem Spiritus S. alicubi respicere videtur, inprimis Jes. XXXIV. 17. והוא הפיל להן גורל, *Et ipse* (Deus) *jecit pro illis sortem.* עכשיו הנביא אומר על הק"בה והוא הפיל להם לאותם ההיות והעופות גורל שישלו אלו לחלקו *Hic Propheta dicit de Deo O. M. projecisse eum sortes eis, nimirum bestiis & avibus, ut ascenderent hûc, & dividerent illam terram* (Edomæorum.) כאלו הפיל גורל בארץ שתהיה להם ירושה: *quasi sortem projecit super terra illa, ut esset illis hæreditaria*, ut Commentatores habent. De loco Deut. XXXII. 8. 9. vide supra Cap. 3. §. 1. de loco verò Psalm. XVI. 6. Cap. 12. ubi verba: *Tu sustentas sortem meam* optime exponi possunt: Tu Deus sortem meam perfectissime adimples, Tu sors mea es perfectissima, sufficientissima, αὐταρκεστάτη, ut meliorem ne optare

re quidem possim, sustines portionem meam, & es sors mea optima: ubi ad sortitionem, quâ hæreditates in genere distribui solent, intenditur, in qua variæ & diversæ res hæredibus dividendæ contigere: de qua divisione hæreditatum multa habent Juris Doctores, quæ decidant, vide Tiraq. quæst. 17. Est aliquando in hæreditatibus & aliis bonis dividendis partium æqualitas, ut inter eas vix optio habeatur: quandoque autem eadem bona in prorsus adæquatas portiones distingui nequeunt: ex. gr. quando milites vestes Salvatoris nostri in quatuor partes diviserunt, vix esse poterat, quin exacte similes partes fierent; erant enim hæ quatuor fortasse: pileus, zona, calceamentum, & tunica vulgaris (seu pallium, tunica exterior) inter quæ omnino erat differentia: quæcunque autem pars alicui sorte cecidit, contentus esse cogebatur. Cui pallium contigit, gloriari poterat, sortem sibi cecidisse in partem optimam. Sic Jupiter, Neptunus & Pluto sortiuntur de cœlo, terra & inferno; cùm autem Jovi Olympus cecidit, utique dicere poterat; sors mihi evenit optima & amœnissima. Similiter David pius, & mundus impius quasi sorte contendunt de Deo seu cœlo, & mundi bonis seu inferno. Davidi evenit sors cœli & Dei sui; gratulabundus ergo sibi exclamat: Sors mihi cecidit in amœnis, mihi pars cecidit optima. Aliquando tamen sorti subjicitur inter plures una tantùm indivisa, & sine noxa non divellenda in partes: sortiri ergo solent, cui soli cadat, ut milites de tunica

nica Christi inconsutili: sic de jure primogenituræ plures fratres, de regno aut alio honore plures competitores, &c. plura exempla occurrunt inferius de sortitione super quibuslibet rebus. Singularis olim sortitio fuit, quam Plinius l. 12. hist. nat. c. 19. describit, cinnamomi vel cinnami naturam exponens, crescere nimirum in Æthiopia, & *gigni quidem in planis, sed densissimis in vepribus rubisq3; sarmenta hasta dividere sacerdotem, Deoq3 partem ponere; reliquum mercatorem in nassas condere.* Addit aliam esse famam, *cum Sole dividi, ternasq3 partes fieri, deinde sorte germina discerni: quodq3 Soli cesserit, relinqui, ac sponte conflagrare.*

CAP. XXX.

De

Usu sortium in suscipiendis expeditionibus militaribus.

§. I.

IN re militari non minus ac forensi & civili sortium usus admodum familiaris fuit, quippe quibus sæpe maximæ res committebantur, expeditiones gravissimæ, armorumque motus periculosissimi. Dupliciter autem sortes huic usui

militari inserviunt, divinatione & consultatione: illa eventus belli, prosper an minus, indicabatur; quale exemplum supra cap. 14. habuimus ex 2. Reg. 13. sortes divinatorias à Romanis consultas fuisse ante bellum, ex Val. Max. l. 1. c. 4. apparet. *Luctatius* enim, *qui primum Punicum bellum confecit, à senatu prohibitus est, sortes fortunæ Præneſtinæ audire: auſpiciis enim patriis, non alienigenis Remp. administrare oportere judicabant.* De Nebucadnezare per sagittas sortiente, quorsum impetum belli inferret, supra Cap 14. egimus *Veneti hodie*, ait Henr. Salmuth in Pancir. de fibula, *si quid agendum est, ita sortitionem efficiunt: Veluti si fingamus, in Senatu de ratione belli agendum esse, neq; inter Senatores convenire, ad cujus urbis expugnationem primum debeat deduci exercitus (quod accidit temporibus Michaelis Trigesimi quinti, Venetorum Ducis, Hadrian. Barlan. de Ducibus Venetorum) ad divinas sortes recurrendum ducunt. Nomina quidem expugnandarum urbium in urnulam conjiciuntur: ea rudis quispiam puerulus manu miscet: inde unam è chartulis, quæ singula singularum urbium nomina continent, ad Principes defert, ab eaq; oppugnanda bellum inchoari debet, ut scriptum reliquit Claudius Coteræus, de jure militum, lib. 3. c. 8.* De Germanis tempus prælij ineundi sorte inquirentibus, supra Cap. 7. & 13. habuimus. Quo referendæ sunt sortitiones, quibus coloniæ occupandæ sunt delectæ, & armis invadendæ; exempla quædam supra jam attulimus. Simile fere est, quod Tiraq. ex Jornande, de origine Getarum refert: *Lampedo* nimirum *& Marsepia, Getarum reginæ, sortitò tentarunt, utra earum in regno*

ipso

ipso manens fines patrios tueretur, utrave in alienas regiones exercitum duceret eas subactura, & imperio conjunctura. Quod verò melius ad Cap. seq. referendum. De tempore negotij alicujus militaris suscipiendi, per sortes inquisito, illustre exemplum est Hamani, internecionem populi Judaici, utique bello & armis conficiendam, meditantis: *In quo planè divina apparuit providentia, quæ temperavit sortes, ut tamdiu differretur consilium illud sceleratum, & in Assueri mentem induxit, ut annales consuleret, & Mardochai saluti & honori provideret. Videtur autem Amanus, ut erat callidus, statim voluisse decretum illud regium edere, & omnibus provinciis esse notum, ne Rex, cujus ingenium noverat benignum, & facile, mutaret animum, adductus pœnitentiâ, & improbaret mutaretq3, quod ante tam facilè tamq3 inconsiderate concesserat. Quocirca oportere existimavit decretum illud quamprimum esse notum, ut vel pudor, vel constantiæ ratio Regis animum facile commutabilem, in priori cogitatione retineret. Et ne quid regium ad literarum pondus deesset, per cursores regios disseminavit brevi per omnes provincias severum illud & cruentum edictum, quod jubebat, ut omnes imperio Persico subjecti, in suis quiq3 civitatibus Judæos occiderent, neq3 ullius sexui aut ætati parcerent, & illorum diriperent bona, neq3 in ea regione captivi illius & odiosi populi reliquiæ remanerent.* Quæ Casp. Sanctij commentatio est & meditatio, vide D. Dannh. Disput. de sorte. Sortium verò religio Hamani consilium tamdiu detinuit, ut supra Cap. 8. plenius actum est, ubi simul ex Grotio annotatum, *morem fuisse Persarum, & vicinarum gentium, sortibus, certo modo jactis, explorare*

dies rei propositæ prosperos aut adversos. Ita olim consueviſſe Germanos, non tantùm allegatum exemplum, ſed huic geminum quoque confirmat, quod Jul. Cæſar lib. 1. de bell. Gall. prope finem recenſet: M. enim *Valerius Procillus* Romanus à Germanis captus, *cum à cuſtodibus in fuga* (quam Germani à Romanis cæſi dederant) *trinis catenis vinctus traheretur, in ipſum Cæſarem, hoſtium equitatum perſequentem, incidit.* Quæ quidem res Cæſari non minorem quam ipſa victoria voluptatem attulit, quod hominem honeſtiſſimum provinciæ Galliæ, ſuum familiarem & hoſpitem ereptum è manibus hoſtium, ſibi reſtitutum videbat: neque ejus calamitate de tanta voluptate & gratulatione quicquam fortuna diminuerat. Is ſe præſente de ſe ter ſortibus conſultum dicebat, utrum igne ſtatim necaretur, an in aliud tempus reſervaretur: ſortium beneficio ſe eſſe incolumem.

§. 2. Cœterum apud Romanos, quando bellum inferre volebant, fere idem mos erat per ſortes ſuffragia populi ſeu centuriarum colligere, qui in aliis hujuſmodi comitiis; ut nimirum calculi centuriæ prærogativæ urnæ injicerentur, educerentur, numerarentur, & quò plures calculi inclinarent, eò etiam totius populi ſententia propendere judicabatur. vide Roſinum l. 6. c. 14. & quæ ſuperius paulo de Romanorum ſortitione in Comitiis diximus.

CAP.

CAP. XXXI.

De

Usu sortium in constituendis officiis militaribus.

§. 1.

SI bellum jam est susceptum, plurimum refert, quales Duces & quilibet alij officiarij exercitui vel negotiis militaribus præsint; si ergo duo vel plures adsint, virtute, fortitudine, experientia & prudentia militari pares, sorte utebantur, quemnam ex iis præficerent? ubi duo distincte sunt attendenda: prius est electio Ducum, posterius muniorum distributio. Duces aliquando (non enim semper hoc factum, sed in certis casibus) sorte electos apud Romanos, ex Val. Max. l. 1. c. 5. num 2. colligitur: *Quid illud? Quod L. Paulo Consuli evenit, quam memorabile? cum ei sorte evenisset, ut bellum cum Rege Persa gereret, & domum è curia regressus, filiolam suam nomine Tertiam, quæ tum erat admodum parvula, osculatus; tristem animadverteret, interrogavit, quid ita eo vultu esset? quæ respondit, Persam periisse: decesserat autem Catellus, quem puella in deliciis habuerat, nomine Persa. Arripuit igitur omen Paulus, eq; fortuito dicto quasi certam spem clarissimi triumphi animo præsumsit.* Habes hîc exemplum sortium consultoriarum

rum & divinatoriarum. Erat autem apud Romanos admodum frequens, ut Consules, Pro-Consules, Prætores, &c. duces eligerentur sorte, cujus rei multa exempla extant in Scriptoribus Romanis. Livius dec. 3. l. 1. *Consulum designatorum alter Flaminius, cui eæ legiones, quæ Placentiæ hybernabant, sorte evenerant.* Dec. 4. l. 6. sub initium, cum Senatus de novo bello in animo haberet, decrevit, ut Consules Italiam & Græciam provincias sortirentur; Cui Græcia evenisset, eum exercitum acciperet, quem M. Bebius Prætor anno priore ex S. C. in Macedoniam trajecisset. L. Quintium superioris anni consulem legari ad id bellum cum Antiocho Rege, placuit. Alter COS. cui Italia provincia evenisset, cum Bojis jussus bellum gerere, utro exercitu mallet ex duobus, quos superiores COSS. habuissent: *atq; tum demum sortiri* COSS. *placuit. Acilio Græcia: Cornelio Italia evenit. Certa deinde sorte S. consultum factum est, quòd populus Rom. eo tempore duellum jussisset cum Rege Antiocho esse*, &c. Sic Dec. 4. l. 8. *Consulibus, alteri Pisæ cum Liguribus, alteri Gallia provincia decreta est: Comparare inter se aut sortiri jussi, & novos exercitus, binas legiones scribere, & ut sociis Latini nominis quinadena millia peditum imperarent, & mille ducentos equites*, &c. iterum in eodem libro; *à senatu consulem dignum visum, cui extra sortem Asia provincia, & bellum cum Antiocho rege decerneretur.* De L. Scipione loquitur, vide etiam dec. 4. l. 10. à principio, nec non alibi ejusdem libri, & Dec. 5. l. 2. ubi de prætoribus sorte electis ad provincias suas: nec non exercitus aut cohor-

cohortes. Hinc ſæpius in Scriptoribus Romanis mentio fit prætoriarum aut prætorianarum cohortium. Tacitus l. 1. ann. *An prætorias cohortes, quæ binos denarios acceperint*, &c. ſic l. 2. hiſtor. aliquoties. Meminit earum etiam Cicero, act. 3. in Verrem, & Sueton. in C. Caligula, c. 12. & in Fl. Domitiano, c. 6. Inter ipſos duces deinde multoties ſortitio facta, in dividendo vel diſtribuendo exercitu, aut negotio aliquo militari, Plutarchus in Fab. Maximo refert, eundem & Minutium, magiſtrum equitum, cui æquatum cum illo imperium erat, exercitum inter ſe ſorte diviſiſſe, vid. Tiraq. num. 6. Pariter ſi quando inter duces de loco in prælio non conveniret, plerumq́ue de ordine agminis, quem tenerent, ſortiebantur, ſcribit Alex. ab Al. l. 4. c. 7. fortè ex Livio, dec. 3. l. 2. Sic cæteros quoq́ue milites quandoq́ue loca in caſtris ſorte accepiſſe, ex Homero colligitur, qui lib. 10. Iliad. refert, Dolonem interrogatum ab Ulyſſe, quibus in locis eſſent Trojani milites & cæteri, reſpondiſſe,

Πρὸς Θύμβρης δ' ἔλαχον Λύκιοι, Μυσοί τ' ἀγέρωχοι.

Sic Virg. l. 6. Æn.

Ille, vides, pura juvenis qui nititur haſta
Proxima ſorte tenet lucis loca.

Conſules vero & cæteros præfectos exercitus & copias ex more ſortitos fuiſſe Dionyſius quoq́ue Halicarn. l. 8. antiq. atteſtatur. Quandoq́ue fratres inter ſe ſortitos eſſe, quinam ipſorum caſtra ſequantur, Homerus indicat, Iliad. 24.

Ἐξ δέ οἱ υἷες ἔασιν, ἐγὼ δέ τε ἕβδομος εἰμὶ,
Τῶν μεταπαλλόμενος κλήρῳ λάχον ἐνθάδ' ἕπεσθαι.

se, ait ille, *septimum fratrem sorte destinatum huc sequi*; nim. militiam. De Tyrseno & Lydo fratribus & aliis hoc modo sortitis, superius dictum: quomodo olim, quis in conviviis & otio remanere, quis pugnare deberet, sorte legerint, supra jam Cap. II. audivimus, & postea sequetur. De ordine pugnandi sortitos fuisse olim, ex his Taciti l. 2. hist. verbis patet: *Dum legiones de ordine agminis sortiuntur, equites prorupere, & mirum dictu à paucioribus Othonianis quominus in vallum impingerentur, Italicæ legionis virtute territi sunt.* Sic Græci sortiebantur ante Trojam, ut videre est Iliad. 23. Sæpe etiam, quis locum aliquem primus aggrederetur, sortiebantur, uti Plutarchus in Timoleone tradit, cum inter duces ejus contentio esset, quis primum traiiciendi fluminis Damgriæ & aggrediendi locum haberet, Timoleon hanc controversiam sortibus decernere voluit, & ducum singularum annulos in sua chlamyde conjectos permiscuit, cujus annulus primo loco eximeretur, is primus quoq; esset in perficiendo suscepto opere. Consl. Tyraq. num. 34. & 79.

Venetorum sortitio in eligendo Duce.

In Rep. Veneta, si Dux est eligendus ad vitandum ambitum, varia sortitio est introducta: ubi primum ex omni nobilitate triginta per sortem constituuntur, exquibus denuò per sortem designantur novem. Hi quadraginta denominant, qui per sortem duodecim ex suo deligunt numero: & hi iterum viginti quinque eligunt, qui sortito novem ex se creant, & hi denominant quadraginta quinque. Hi rursus

sorte

sorte invicem experiuntur, ut undecim solum remaneant, qui quadraginta & unum tandem pronunciant, quos Ducali fastigio dignos judicant, sed raro plures, quam septem. Ex his Electores votis liberis eligunt Ducem, qui tamen 25. vota habeat, ita ut 41. Electores non prius dimittantur è conclavi, quam si 25. convenerint in uno, qui deinde Dux proclamatur, sicut fusius describit hanc electionem Dn. Neumair de Ramsla, in itinerario Italiæ, germanice scripto.

§. 2. Usus etiam obtinuit apud veteres, ut fortes belli heroes inimicos in duellum provocarent, quod Davidis tempore jam solitum fieri: atque tum provocati sorte utebantur, maxime si plures de ea gloria certabant: quod accidit in castris Græcorum, ubi Hector Græcos irritabat in pugnam solitariam, novemque erant Heroum, promti singuli cum Hectore congrediendi: sortiti ergo sunt, sortes miscente Nestore, exiliitque Ajacis Telamonij sors, de quo ipse Ajax apud Ovid. l. 13. Metam.

Hunc ego sanguineæ successu cædis ovantem
Eminus ingenti resupinum pondere fudi.
Hunc ego poscentem cum quo concurreret, unus
Sustinui: sortemq; meam vovistis Achivi,
Et vestræ valuere preces.

Vide idem ex Homero, supra c. 12. Quandoque alia accedebat sors, quâ monomachi contendebant, quis prior in alterum hastam mitteret, ut factum esse à Menelao & Paride, Homerus Iliad. 3. memorat:

Κλήρους ἐν κυνέῃ χαλκήρεϊ πάλλον ἑλόντες,
Ὁππότερος δὴ πρόσθεν ἀφείη χάλκεον ἔγχος.

i. e. *sortes in ænea galea capientes vibrabant, uter prius mittat æneum telum.* Plurimæ aliæ in bello occurrunt vel periculosæ functiones, quas sortibus commiserunt: qualis erat, quando Ulysses delegit, qui secum sudem in oculum Polyphemi impingeret, quod Homerus describit, lib. 9. Odyss.

Αὐτὰρ τοὺς ἄλλους κλήρῳ πεπαλάχθαι ἄνωγον,
Ὅστις τολμήσειεν ἐμοὶ σὺν μοχλὸν ἀείρας
Τρίψαι ἐν ὀφθαλμῷ.

Ego autem jussi cæteros sorte legere, quis mecum audeat palum tollens tundere in oculum, &c. Apud Livium dec. 1. l. 2. recensetur, C. Minutium, adolescentem nobilem, magna audacia castris hostium penetratis, in confertissima turba prope regium tribunal constitisse, ibique cum stipendium forte militibus daretur, & Scriba cum rege sedens pari fere ornatu multa ageret, eumque milites vulgo adirent, scribam pro rege obtruncasse ferro intra vestem abdito. Cum rex ira infensus periculoque perterritus circundari ignes minitabundus juberet, ipse Minutius dextram suam accenso ad sacrificium foculo iniicit, & velut alienato à sensu animo torret: Rex prope miraculo attonitus ab sede prosiliens, amoveri ab altari juvenem jubet, inviolatumque dimittit. Tum Mutius quasi remunerans meritum *quandoquidem*, inquit, *est apud te Virtuti honos, ut beneficio tuleris à me, quod minis nequisti, trecenti conjuravimus principes juventutis Romanæ, ut in te hac via grassaremur, mea prima sors fuit, cæteri ut cuiq; ceciderit, primi, quò te opportunum fortuna dederit, suo quis-*

quisq; tempore aderunt. Sic Græci postquam instar montis equum divina Palladis arte ædificassent,

Huc delecta virûm sortiti corpora, fustim
Includunt cæco lateri.

Elegerunt prius ex ducibus plurimos, & quoniam periculosa non possunt sponte appeti, sors dedit ex pluribus fortibus, quos equus caperet, ut Donatus adnotat. Et pene ita Servius: *Contraria sunt sortiri & deligere. Sed elegerunt plures, ac deinde de illis sortiti sunt, quos includerent.* De certaminibus pro spectaculo pugnantium, sequens aget caput.

§. 3. Possunt hûc referri excubiæ militum seu custodiæ militares, quas item sortiri solebant in castris, ut veteres Scriptores reliquerunt. Cum enim eædem admodum sint periculosæ, sorte adigebantur milites ad illas habendas. Sic Virgilius l. 9. Æn. de Æneadibus:

Omnis per muros legio sortita periclum
Excubat: excretq; vices, quod cuiq; tuendum est.

i. e. ut Servius notat, *legio sorti divisa, ad defensionem periculi*, vel ut Christoferus: *Per sortes accipiens inter se ea, in quibus periculum erat.* Tale est, quod Tiraq. ex Silio Italico l. 10. adducit, post Cannense prælium Romanos sortitione custodiendæ urbis munus accepisse:

Hæc inter sed enim reliqui pia turba Senatus
Munera sortito invadunt.

Unde quod Virg. l. 4. Georg. de apibus scribit:

Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti:

Servius ad morem militarem refert: Sorti, i. e. ex sorte; nam adverbium est, quod traxit à militia.

litia. Legimus enim: partibus æquabat justis, &c. Milites imitaturi *latrones* similiter *sorte ducti noctibus excubabant speculandi gratia, ne scilicet inventi deprehenderentur*, ut Tiraq. ex Apulejo, & simul etiam hoc adducit: *Reges Persarum stipatores habuisse regalium laterum, qui tutela pervigili custodiam per vices sortium sustinebant.* Ut idem faceret Tiberius, rogabat Togonius Gallus, ut deligeret Senatores, ex quibus viginti sorte ducti & ferro accincti, quoties curiam inisset, salutem ejus defenderent, quod vero ludibrij loco habitum, authore Tacito l. 6. ann. non multò post principium. Suetonius Cap. 14. in Domitiano refert, ipsum adeo timidum fuisse, ut cum à Senatu decretum esset, quoties gereret Consulatum, ut Romani equites, quibus sors obtigisset, trabeati & cum hastis militaribus præcederent eum, inter lictores apparitoresque, hunc novum & excogitatum honorem recusârit.

CAP. XXXII.

De

Sortium usu in Certaminibus athletarum & ludorum.

§. I.

UT provocationes in certamina in bello & castris erant olim consueta, ita quidem, ut Eustathius in Iliad. 8. inde Græcum vocabulum

bulum κλῆρον tractum esse existimet, ἀπὸ τοῦ καλεῖν ἅπαντας εἰς ἔξοδον πολέμου; sic pacis quoque tempore, aut induciis saltem, amici congrediebantur: idque vel in usum & exercitium armorum tractandorum, vel in lusum, vel utrumque simul: exempla jam plura supra adduximus c. 12. & c. 17. Modum sortitionis apud Græcos observatum Tiraquellus ex Græcis authoribus collectum, his verbis describit: *In argenteam Calpin, id est, urnam, conjiciebantur minutulæ sortes, faba non ampliores, eo ordine semper servato, ut binis eadem elementi nota inscriberetur sortibus, pro athletarum numero numerosioribus. Cum autem tempus pugnandi impenderet, prodibant ex Athletis singuli sortem educturi: nec interim inspiciendi sortem jus erat, id prohibente mastigophoro. Peracto autem orbe Alytarches respiciebat sortes, atq; ita dispensabat, ut qui A esset sortitus cum eo componeretur, qui eandem literam eduxisset, atq; ita deinceps homogrammi* (qui easdem literas sortiti sunt) *certaturi prodibant. Sed id tamen demum fieri solebat, si certaturi pares fuissent. Quod si quinq; aut septem conjiciebantur in urnam, solitaria supererat littera, quæ antigraphum sive antigramma non haberet, qui eam eduxisset, residebat expectans, quamdiu certarent alij, ingressurus mox cum fatigatis ingens ipse & integer viribus, quod utiq; felicissimum censebatur, hicq; dicebatur* ἔφεδρος, *quæ dictio indicat novissimum, apud Sophoclem in Ajace flagellifero.* Ejusmodi spectaculum seu certamen, sed alio fine, instituit Annibal, milites suos rebus prius quam verbis adhortandos ratus: circundato ad spectaculum exercitu, captivos montanos vinctos in medio constituit: armisque Gallicis ante eorum pedes projectis, interrogare inter-

interpretem jussit; quis, si vinculis levaretur, armaque & equum victor acciperet, decertare ferro vellet? Cum ad unum omnes ferrum pugnamq; poscerent, & dejecta esset in id sors, quisque eum optabat, quem fortuna in id certamen eligeret. Ut cujusque sors exciderat, alacer inter gratulantes gaudio exultans, cum sui moris tripudiis arma raptim capiebat, ubi vero dimicarent, is habitus animorum non inter ejusdem modo conditionis homines erat, sed etiam inter spectantes vulgò, ut non vincentium magis, quam bene morientium fortuna laudaretur. Dum sic aliquot spectatis paribus affectos dimisisset, concione inde advocata, ita apud eos locutus fertur: Si, quem animum in alienæ sortis exemplo paulo ante habuistis, eundem mox in æstimanda fortuna vestra habueritis, vicimus, milites, &c. Liv. dec. 3. l. 1. In certamine navali ab Ænea instituto, etiam loca sorte elegerunt, quibus quævis naves certantium stare deberent, & inde excurrere, Æn. l. 5.

Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam
Constituit, signum nautis, pater, unde reverti
Scirent, & longos ubi circumflectere cursus.
Tum loca sorte legunt.

Non tamen in omni certamine id observatum esse ex eodem Virgilio patet, ubi duo alia certamina recenset, alterum, in quo cursu pedum, alterum, quo armis dimicabant, sortium nulla facta mentione. Apud Græcos loca curribus in certaminibus præfinita esse sorte, ex Heliodoro & Sophocle Tiraq. concludit, ubi habetur:

Στάντες δ' ὅθ' αὐτοὺς οἱ τεταγμένοι βραβεῖς
Κλήροις ἔπηλαν, καὶ κατέστησαν δίφρους.

i.e. stan-

i. e. ſtantes, cum ordinati ludorum præfecti ſorte loca curribus aſſignarent.

§. 2. Eundem uſum ſortium in aliis ludis & ſpectaculis obtinuiſſe, veterum hiſtoriarum monumenta produnt. De Nerone refert Suetonius c. 21. *Cum magni æſtimaret cantare, etiam Romæ Neroneum agona ante præſtitutam diem revocavit. Flagitantibusq; cunctis cæleſtem vocem, reſpondit quidem, in hortis ſe copiam volentibus facturum: ſed adjuvante vulgi preces etiam ſtatione militum, quæ tunc excubabat, repræſentaturum ſe pollicitus eſt libens, ac ſine mora nomen ſuum in albo profitentium citharædorum juſſit aſcribi: ſorticulaq; in urnam cum cæteris demiſſa, intravit ordine ſuo, ſimulq; Præfecti prætorij citharam ſuſtinentes, poſt Tribuni militum, juxtaq; amicorum intimi.* Ex quo intelligitur, citharædos ex ſorte in ſcenam prodire ſolitos. Sic Choragos in ludis ſorte lectos eſſe apud Græcos, Plutarchus in Alexandro innuit, ubi Hermanno Cruſerio interprete cap. 9. ita habetur: *In Phœniciam ex Ægypto regreſſus* (Alexander) *diis honorem habuit, pompasq; egit, chorum etiam encyclium & tragicorum agonas, concertationibus etiam, nedum apparatu, celebres. Quippe fuerunt Cypriorum reges choragi, ſicut apud Athenienſes, ſorte ex tribubus electi.* Continuo ſubdit idem obſervatum circa alias ludorum perſonas: *Certaverunt mira inter ſe contentione Nicocreon præſertim Salaminius, & Solius Paſicrates ſtudio decertavere acri, quando his ſorte evenerat, ut hiſtriones maximè conſpicuos exhiberent, Paſicrates Athenodorum; Theſſalum, cui ipſe favebat Alexander, Nicocreon.* Suetonius in Domitiano cap. 4. refert, ipſum Domitianum *celebraſſe in Albano quotannis Quinquatria Minervæ,*

Minervæ, cui collegium instituerat: ex quo sorte ducti magisterio fungerentur, redderentq; eximias venationes & scenicos ludos, superq; oratorum & poetarum certamina. Atque sortitionem in ludis sive Amphitheatralibus sive Circensibus obtinuisse olim, Demsterus in paral. ad Rosin. l. 5. c. 4. docet, ex A. Gellio, l. 5. c. 9. quem locum supra cap. 9. attulimus. Dicitur enim ibi athleta, Ægles Samius, animadvertisse sortitionem inter certantes in sacro certamine non bona fide factam, &c. Hæc sortitio dicebatur commissio, fiebatque nominibus certantium in urnam injectis, atque inde à Prætore eductis. In quod Demsterus affert verba Donati ad lib. 5. Æn. *Non idem labor in singulis locis in Circo, & inde sors adhibetur, ne sit in ordinatione contentio, aut humanum judicium gratia cujuspiam transducatur.* Nec non Q. Symm. l. 10 epist. 22. *Malo fremitum Martiæ vallis exponere, atq; illam quadrigarum distributionem, in qua sibi cum fortunatior videtur, cui electionem mox urna tribuebat, par vel potior erat, quem sors fecerat extremum.* Urna ergo in certaminibus istis primum, secundum, atque ita deinceps etiam ultimum locum tribuebat. Claudianus de 6. Hon. Consul.

— *Campus solennis & urna*
Luditur in morem.

Sidon. Apollin. Carmin. 23. v. 315.

Et te jam urna petit, cietq; raucæ
Acclamatio sibilans Coronæ.

De qua commissione Demsterus d. l. plura. Eundem ritum in ludis Olympicis observatum fuisse, inde colligitur, quod Philostratus in vita Apollonij,

lonij, l. 3. reprehendit non tantum eum morem, quo Ægyptij sacerdotes sorte deligebant, sed & Græcorum, qui Judices, quos ludis Olympicis præficiunt, sorte assumebant. Sorti namque illos electionem committere, quæ prudentiæ nihil habet, ita ut possit etiam pessimus quisque sorte assumi. vid. Tiraq. num. 88. Similiter in Saturnalibus factum olim, locus Taciti, l. 13. ann. clarè innuit, qui ita habet: *Festis Saturno diebus inter alia æqualium ludicra, regnum lusu sortientium, evenerat ea sors Neroni.* De quo loco in sequentibus etiam agetur.

CAP. XXXIII.

De

Sortium usu in remunerandis & puniendis militibus.

§. I.

ALia iterum æque vulgaris sortium opera usurpatur circa militum bona vel mala merita, ornanda & punienda, in exemplum virtutis sectandæ & nequitiæ vitandæ. Vario modo illa fieri consuevit, vel remuneratio vel punitio, pro Imperatorum & Ducum vel Magistratuum arbitrio & judicio, etiam pro gradu meriti

boni malive. Inter pares plerunque præmia distribuebantur sorte: nam *cum difficultas rei commoda & incommoda æque partiri non permittit, ad sortes recurrimus, ne quis conqueri posit*, ut notat Christoferus ad l. 5. Æn. Communiter vero præmia inter milites dividenda ex præda erant, quæ sæpe constat ex diversissimis rebus & valde inæqualibus; tum ergo Imperatores sortiri milites suos jusserunt, ut quæcunque sors cuicunque cecidisset, non querelarum causa esset. Liberum tamen erat Ducibus ex præda partem aliquam præservare, sorti exemtam, vel pro se, vel alio præprimis bene merito, uti supra jam c. 19. attigimus. Adde ex historia belli Trojani, quam Dictys conscripsit, l. 5. post excidium Trojæ Agamemnoni Cassandram, Menelao Helenam, Demophoonti & Achamanti Æthram & Clymenam, extra sortes cessisse, unde Seneca in Tragœdia:

Me meus traxit statim
Sine sorte dominus

iterum:

Helen. *Magis videbis, si tuam sortem scias*
Androm. *An aliqua pœnæ pars meæ ignota est mihi?*
Hel. *versata dominos urna captivis dedit.*
Andr. *Cui famula tradar, ede: quem Dominum vero?*
Hel. *Te sorte prima Scyrius juvenis tulit,*
Cassandra felix, quam furor sorte eximit.

Quandoque omnino sorte non utebantur, sed pro cujusvis militis delectu & optione fiebat distributio, ut olim faciebat Hannibal, militum animos

mos exacturus ad fortiter pugnandum; iis enim in concionem vocatis certa præmia pronunciat, in quorum spem pugnarent; *agrum sese daturum esse in Italia, Africa, Hispania, ubi quisq; velit, immunem ipsi, qui accepisset, liberisq;: qui pecuniam, quam agrum maluisset, ei se argento satisfacturum: qui sociorum cives, Carthaginenses fieri mallent, potestatem facturum: qui domos redire mallent, daturum se operam, ne cujus suorum popularium mutatam secum fortunam esse vellent: servis quoq; dominos prosecutis libertatem proponit, binaq; pro his mancipia dominis se reddituram.* Ita Dux generosus spe futuræ victoriæ fretus militum animos pene timidos erigere conatus est, quomodo Ascanius Nisо promittit Turni hostis nondum victi, sed vincendi, arma & ornamenta in præmium, ut supra c. 19. adductum. Et Plutarchus in Lucullo scribit, Tigranis milites paucitatem exercitus Luculli contemnentes, & jam certam victoriam promittentes super Romana spolia, quasi parta essent, sortes jecisse. Longe firmiore confidentia Moses & Josua sorte diviserunt terram patribus quidem promissam divinitus, sed bello adhuc superandam.

§. 2. In præda vero maxima ex parte sorte distribuebantur terræ, urbes, agri, homines capti. Totas terras & regiones sorte divisas fuisse, ex illis historiis liquet, quæ colonias inter milites distributas esse memorant, armis prius captas, cujusmodi exempla oppidò multa occurrunt ubique. Quomodo Æneas Italiam cum suis occupavit iisque distribuit: Athenienses devictis Chalcedonensibus terram eorum, quæ Hippobota

pobota dicebatur, in quadraginta portiones sorte divisisse, Ælianus tradit, l. 13. var. hist. Plutarchus in Nicia, autoritate Theophrasti tradit, *cum de pacis conditionibus inter Athenienses & Spartanos convenisset, atq; captivos homines agrosq; & civitates invicem captas utriq; reddendas statuissent, sorte discerni placuit, quinam priores reddendo esse deberent, Niciamq; clanculum eos, qui ducendis sortibus præerant, pecunia corrupisse, ita ut priores Lacedæmonij redderentur,* quod & in Thucydide legitur, de bell. Pelop. l. 5. Diodorus Siculus, l. 2. bibl. c. 2. scribit, Psammeticum Ægyptiorum Regem, militibus mercede conductis præter stipendium dona large distribuisse, cæteris agros sorte divisisse. Tacitus l. 4. hist. refert, *in senatu Rom. sorte fuisse ductos, per quos redderentur bello rapta, quiq; æra legum vetustate delapsa noscerent, fingerentq;, & qui Fastos adulatione temporum fœdatos exonerarent, modumq; publicis impensis facerent.* Sed de præda sorte accepta multa invenies in Homero, ut l. 9. odyss. de præda Ulyssis, & l. 6. Iliad. de præda Achillis, in qua aurum, rubrumque ahenum, γυναῖκες ἐυζώνους, fœminæ bene cinctæ, strenuæ & formosæ, nitidum ferrum, quæ sorte ducta Achilles ait se abducturum. De fœminis captivis, sorte distributis, caput sequens porro monebit. Pausanias in Achaicis scribit, Eurypitum, Evemonis filium in Trojana direptione sortitum esse archam, Vulcani opus, donum à Jove datum Dardano. Cujus rei in sacra quoque historia reperiuntur vestigia: loca Joel. III. 3. Nah. III. 10. Obad. v. 11. supra cap. 19. tetigimus. Quibus adde locum Jes. XIV. 12. ubi dicitur: חולש על גוים, ubi vox חולש, varias

rias sortitur interpretationes, de infirmitate, debilitate, eaque vel passiva, qua Nebucadnezar infirmior vel debilior factus sit cæteris gentibus; vel activa, qua debilitaverat gentes alias: de sorte exponit Raschi; נגדעת לארץ׳ את׳ נבוכדנצר שהית׳ חולש על גוים׳ מטיל גורל עליהם על המלכים מי מהם רתך ביום פלוני ומי ביום פלוני׳ ורבותינו דרשוהו שהית׳ מטיל גורל על המלכים למשכב זכור: *Ad terram succisus es, Tu Nebucadnezar, qui sortitus es super gentibus, projectis sortibus super Regibus, quisnam eorum die hoc vel illo tibi ministraret. Doctores nostri exposuerunt, sortitum fuisse super Regibus, quem concubitu masculi subigeret.* R. AbenEsra interpretatur vocem istam eo sensu, quô accipitur Exod. XVII. 13. addit autem ויש אומר מפיל גורלות בטעם קלק החיצו׳ Alius dicit, esse idem ac projiciens sortes, secundum Ezech. XXI. 20. expolivit sagittas: sic R. D. Kimchi, ad h. l. ubi similiter testatur, Doctores suos exponere per sortiri. Locus autem Talmudicus, quem innuunt, habetur in Schabb. f. 148. 2. in fine, & fol. 149. 2. quæ duo loca, cum R. D. Kimchi conjunctim recensent, nos ex eodem transcribimus: ור״ל פ׳ כי חולש מפיל גורל׳ כמו שאמר מטילין חלשין על הקדשים בי״ט אבל לא על המנות׳ ואמ׳ מאי משמע דהאי חלשים לישנא דפוריא הוא דכתיב חולש על הגוים׳ והוא שאמר כי עמד מלך בבל על אם הדרך וגו׳ ואמר קלקל בחצים שאל בתרפים ראה בכבד׳ ואמר בימינו הית׳ הקסם בירושלם הנה שהית׳ מפיל גורלות באיזה עם ילחם כי כולם היו לפניו לעשות בהם כרצונו ובבואו ירושלם השיל גורל אם ילך לרבת בני עמון או לירושלם: *Doctores nostri p. m. exponunt, quod cholesch idem sit ac projiciens sortem*

tem quomodo dicitur (in Mischna) *projiciunt challaschim, i. e. sortes super rebus sacris die festo, sed non super portionibus. Porro dicitur* (itidem in Gemara) *quænam est ratio, quod chalaschim hîc* (in Mischna) *significet sortes? Ex eo, quod dicitur* (Jesaj. 14.) *chóleschi, sortiens super gentibus. Atq; hoc convenit cum eo, quod dicitur.* (Ezech. 21.) *Quia stetit Rex in bivio, &c. sequitur ibidem, polivit sagittas, consuluit imagines, inspexit jecur, &c. atq; similiter ibidem dicitur: In dextra sua habebat divinationem de Jerusalem: nimirum, quia projiciebat sortes, contra quem populum esset pugnaturus, cum omnes erant coram ipso, ut posset facere cum illis, quicquid liberet, & cum appropinquaret Hierosolyma, projecit ergo sortem, num pergeret adversus Rabbath filiorum Ammon, an adversus Jerusalem.* In eodem loco Talmudico habentur ista: אמר רבה בר רב חונא שהיתה מטיל פור על גדולי מלכות לידע איזה בן יומו של משכב זכור וכת"ב כל מלכי גוים כולם וגו' אמר רבי יוחנן שנחו ממשכב זכור: *Rabbah fil. Rabb Chuna ajebat, sensum esse, quia Tu* (Nebucadnezar) *projicere solebas sortem super Magnatibus Regni, ut scires, quis illorum esset singulis diebus concubitu masculi usurpandus? Et quod ibidem* (Jes. XIV. 18.) *scribitur. Omnes Reges gentium, omnes illi, &c. Rabbi Jochanan dicebat sensum esse, qui requiescunt à concubitu Cynædi.* Sic ergo idem feciſſet Nebucadnezar, quod Sesostres Rex Ægyptiorum, cum suis Regibus subactis, de quo supra c. 20. Meminit etiam Joel. C. III. 3. puerorum captorum, de quibus sortiti sunt hostes: ויתנו את הילד בזונה, *& dederunt puerum in scorto.* Communitur exponunt, dederunt pueros bello captos meretricibus seu scortis pro mercede, ut pueri essent pro pecunia scortis

tis data, pro corporis facta potestate & scortandi cum illis permissa libidine: qui sane fuisset puerorum captivorum abusus extreme contumeliosus: vel commutarunt pueros captos cum scortis captis, qualis locutio est Deut. XIV. 25. Posset vero exponi. Et posuerunt puerum pro scorto, id est, pro scorto usi sunt illo, scelus Sodomiticum cum illis exercentes; quod in orientalibus plagis frequentissimum, atque hodie maxime apud Turcas. Quomodocunque se ista habeant, miseria certe est miseriarum omnium misserrima, quando hostes de captis ita ludunt sortibus, de parvulis pariter & majoribus, parentibus & liberis, marito sæpe & uxore, juxta se stantibus, at tunc cum non dicenda animorum, amore nativo conjunctissimorum, laniena & convulsione, misere discerptis & direptis, ut conjuges, liberi & parentes, & alij naturali vinculo conjuncti abhinc in ætatem postea nunquam alterius conspiciendi superstit copia aut spes: quam extremè malam miseriam Wolffius, lect. Mem. part. 1. fol. 43. ex Methodio expressit & typo & verbis propheticis; quorum veritatem plurimæ jam à multis seculis Saracenorum, Turcarum & Tartarorum in Christiani orbis fines irruptiones, & in Christiana agmina atrocitates peractæ, infandæ illatæ violentiæ & perpetratæ injuriæ, abunde confirmarunt: at Deus Misericors Pater & vindex justissimus tandem aliquando à pluribus jam annis glorioſissimas Christianis exercitibus victorias adversus tam truculentos hostes largiendo cælitus, locum quoque fecit insultationi Chri-

ſtianorum pedum in colla & capita eorundem hoſtium, ut ingenti cum gratulatione & triumpho exclamare poſſimus Jeſajanum illud dicterium: זה חלק שוסינו וגורל לבוזנו: *Hæc eſt pars conculcantium nos, & ſors eorum, qui diripiunt nos:* Jeſ XVII. 14. pro quo totum Chriſtianum orbem explente gaudio eidem Deo invicto & ter benedicto gratiæ à nobis dictæ ſunt & dicendæ ſempiternæ. Ad hunc uſum prædam ſorte dividendi reſpiciunt latrones Prov. I. 14. dicentes ad eum, quem in conſortium ſuum illiciunt: גורלך תפיל בתוכנו, *ſortem tuam projice in medio noſtri.* q. d. ſis noſter conſors, & prædas, quas capiemus, una dividamus, omnibus nobis eſto ſors ſeu portio æqua, non huic major, alteri minor, ſit tibi nobiſcum in eo (quod prædamur) pars ſicuti pars noſtrum omnium, ut R. Levi ben Gerſon exponit. Raſchi vero, ſi volueris, divide, ſi vero malueris, eſto hæreditas ſeu ſors tua in communi commercio.

§. 3. Ut vero milites ſorte in prædam & præmia dividenda admittebantur, ſic ipſi ob inſigne peccatum trahebantur per idem medium ad ſupplicia: quod vocare ſolent I C. ſortitionem pœnalem bellicam. Ejus exempla habentur ubiq; in Scriptoribus & libris Doctorum Juris, qui multa de hoc puniendi modo diſceptant, Theologi etiam, quatenus pietatis & conſcientiæ legibus conſuli volunt. Nos hiſtoriam ipſam potius ſectamur. Definiri ſolet ſortitio hæc, quod ſit *modus decidendi extraordinarius, quo ex tota quadam multitudine militum, vel etiam paucis quibuſdam reis quotcunq; fortunæ judicio ad mortem deſtinantur.* Hunc pro-

procedendi morem Cicero jam à Majoribus ſtatutum eſſe ſcribit, in Orat. pro A. Cluentio; cujus verba, quia plura ad hanc rem pertinentia comprehendunt, apponenda eſſe exiſtimavi: Nam, *illud quidem*, ait, *minime probandum eſt, ad notationes authoritatemq; cenſoriam exemplum illos à conſuetudine militari transtuliſſe. Statuerunt enim majores noſtri, ut ſi à multis eſſet flagitium rei militaris admiſſum, ſortitione in quoſdam animadverteretur, ut metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perveniret. Quod idem facere Cenſores in delectu dignitatis, & in judicio civium, & in animadverſione vitiorum, quî convenit? nam miles, qui locum non tenuit, qui hoſtium impetum vimq; pertimuit, poteſt idem poſtea & miles eſſe melior, & vir bonus & civis utilis. Quare ne in bello propter hoſtium metum delinqueret, amplior ei mortis & ſupplicij metus eſt à majoribus conſtitutus, ne autem nimium multi pœnam capitis ſubirent, idcircò illa ſortitio comparata eſt. Hoc tu idem facies Cenſor in Senatu legendo? ſi erunt plures, qui ob innocentem condemnandum pecuniam acceperint, ut non animadvertas in omnes?* Et mox: *Quam conditionem ſupplicij majores in bello timiditati militis propoſitam eſſe voluerunt, eandem tu in pace conſtitues improbitati Senatoris? Quod ſi hoc exemplum ex re militari ad animadverſionem Cenſoriam transferendum fuit, ſortitione id ipſum factum eſſe oportuit. Sin autem ſortiri ad pœnam atq; hominum delictum fortunæ judicio committere, minime cenſorium eſt, certe in multorum peccato carpi paucos ad ignominiam & turpitudinem non oportet.* Ex quibus ſatis clarum eſt hac ratione in milites animadvertere, moris fuiſſe admodum antiqui, uti & Plutarchus in vita Craſſi morem iſtum Romanorum pervetuſtum

fuisse scribit, & eundem minorem damno ignominiam continere plurimumque aspicientibus horrorem incutere. Est ergo sortitio hæc militaris species aggratiationis, uti vocant, & temperatio quædam seu strictæ justitiæ mitigatio, qua Imperator seu Generalis militis vitæ necisque potestatem habens, jus in omnes & singulos delinquentes accepit, ut eos posset interficere; ita moderatur severitatem & juris rigorem, ut aliquibus tantum se severum judicem, cæteris gratiosum Dominum exhibeat, unde & medicina vocatur ab authoribus, qua parte aliqua de toto exercitus corpore ense resciſſa, reliquæ sanantur. Sæpe milites ait Stengelius in præfat. *tesseræ vel vitæ jacturam faciunt, quando in eos capitaliter animadvertitur. Cætera multitudo sorte, decimus quisq; ad supplicium lecti,* ait Livius. *Et utiq; ibi sors & fors putantur simul esse, quando illa alij craterem ex urna educit aureum, alij caniculæ jactu laqueum mandat. Quod ludendi genus in castris est usitatum: nec sane etiam illicitum, quia nulli laqueus injuriam facit, ubi omnes suspendi meruerunt. Sententia Judicis, non sors, damnat reos: quæ si aliquem eximit, non illa, sed Judex vitam donat, ea lege & conditione, quam sors est designatura. Donaret sine præjudicio, etiamsi conditionem non apponeret. Nulla igitur hic querela potest esse contra Judicem.* Quæ vero aggratiatio varios habet gradus quoad milites delinquentes vel multos vel paucos, quorum quandoque pars altera, aliquando tertia, vulgo decima, vigesima etiam, quin & centesima supplicio addicta, cæteris salvatis, vel saltem mitius castigatis. Severior autem & nimis rigida sortitio erat, qua Basilius Impe-

Imperator ad decimum tantum liberandum, ceteris novem damnatis, usus est: cum aliàs è contra ex decem plerunque novem servari solent, decimo luente. Truculentissima vero erat decimatio, quâ Galba in suos sæviit. Nam *cum classiarios, quos Nero ex remigibus justos milites fecerat, redire ad pristinum statum cogeret, recusantes, atq; insuper aquilam & signa pertinacius flagitantes, non modo immisso equite disjecit, sed decimavit etiam*, quod Suetonius Cap. 12. exemplum sævitiæ ejus commemorat. Confer Val. Max. l. 2. c. 2. quod est de disciplina militari, ubi aliquot crudelia Imperatorum in milites supplicia recenset, laudans justitiam pariter & ejus attemperationem; utraque enim vox laude digna, illa, quam dictus Val. Max. in titulo de Africano Posteriori enunciavit: *Aspero & abscisso castigationis genere militaris disciplina indiget, quia vires armis constant; quæ ubi à recto tenore desciverint, oppressura sunt, nisi opprimantur.* Et illa, quæ Senecæ est lib. 2. de ira: *In singulos severitas Imperatoris distringitur: at necessaria venia est, ubi totus deseruit exercitus. Quid tollit iram sapientis? turba peccantium: Intelligit, quam iniquum sit & periculosum, irasci publico vitio.*

§. 4. Ne vero in alterutram partem peccetur, seu nimo rigore, seu clementia nimia, certa delicta sortitioni bellicæ subjiciunt, quæ breviter recensebimus. Primarium fere est fuga, & stationis malitiosa desertio: quæ vero iterum non est unius rationis, quia aliquando milites effugiunt in pace, aliquando in bello, sæpe etiam in ipsa acie, hosti victoriam concedentes; quæ deser-

desertiones ex crescenti inde damno & periculo æstimandæ : illa enim fuga, quæ fit pacis tempore non ita damnosa est ac ea, quæ fit bello: cum sit mera desertio, & fidei datæ violatio, sine Domini aut Principis singulari periculo, facile eludendo. Ea vero quæ fit bello, maxime in acie & conflictu, maximopere nocet, & de reip. salute versatur. Estque hæc iterum duplicis generis, primi, quando milites timidi, de propria salute & vita solliciti, aufugiunt, terga atque simul victoriæ potestatem hosti dantes; deinde, fugiunt victi, resistere hosti porro nequeuntes, nulla relicta spe victoriæ fuga sibi consulentes, seipsos non tam sibi quam Domino suo reservantes, ne totius exercitus strages fiat. Qui priori modo diffugiunt ex acie, hosti victoriam relinquentes ex vecordia, nihil habere possunt, quod pro innocentia sua allegent, aut Imperatorem accusent, si eos decimaverit, vide Tacitum l. 2. ann. exemplum Decrij ejusque segnis cohortis referentem; simile fere ei, quod Livius recenset dec. 1. l. 2. de Appio Claudio; is enim cum milites unanimi voce postularent, ut castra ex Volsco agro moverentur, victus tandem, remissa concione, iter in sequentem diem pronunciari cum jussisset, primâ luce classico signum profectionis dedit. Cum maxime agmen e castris explicaretur, Volsci, ut eodem signo excitati, novissimos adoriuntur: à quibus perlatus ad primos tumultus, eo pavore signaque & ordines turbavit, ut neque imperia exaudiri, neque instrui acies possent, nemo

nemo ullius nisi fugæ memo. Ita effuso agmine per stragem corporum armorumque evasere, ut prius hostis desisteret sequi, quam Romanus fugere: Tandem collectis ex dissipato cursu militibus, Consul cum revocando necquicquam suos persecutus esset, in pacato agro castra posuit, advocataque concione, invectus haud falso in proditorem exercitum militaris disciplinæ, desertorem signorum; ubi signa, ubi arma essent, singulos rogitans, inermes milites, signo amisso signiferos; ad hoc Centuriones Duplicarioque, qui reliquerant ordines, virgis cæsos, securi percussit. Cætera multitudo sorte decimus quisque ad supplicium lecti. Plurima alia ex vetustis pariter & novis Scriptoribus exempla afferuntur, inprimis ex Dionysio Halicarnasseo, Frontino, Appiano, Plutarcho, Pausania. Ex novis illud inprimis recensetur, quod tota regio Maldomia, prope Lipsiam ex prælio fugâ excedens, decimata fuit, gregariis militibus equitibus adsupplicium ductis, vid. historicos nostri temporis ad annum 1642. Aliâs tamen mitius agebatur, ut ab Augusto, qui cohortes, quæ cessissent loco, decimatas hordeo pavit, Centuriones statione deserta, itidem manipulares, capitali animadversione puniit, Suet. in Aug. c. 24. Ad mitiores hujusmodi sortitiones referendæ quando vicesimus tantum aut triceſimus supplicio afficitur, nec non quadrageſimus, quomodo Dux Crequius apud Trevirim Gallos suos quadrageſimavit, vide Diar. Europ. ad Ann. 1675.

§. 5.

§. 5. Deinde sortitio ista pœnalis imperatur seditiosis, quando, ut sæpe fieri solet, totæ cohortes adversus Ducem vel Magistratum insurgunt, vel etiam ad hostem transfugiunt. Suetonius recenset c. 48. Caligulam *priusquam provincia decederet, consilium iniisse nefandæ atrocitatis, legiones, quæ post excessum Augusti seditionem olim moverant, contrucidandi, quod & Patrem suum Germanicum Ducem, & se infantem tunc obsedissent. Vixq; a tam præcipiti cogitatione revocatum, inhiberi nullo modo potuisse, quin decimare velle perseveraret.* Simile fere tam sævæ decimationis exemplum dedit Galba, antea allatum. Adde ex Tacito l. 14. ann. cum Pedanium secundum servus ipsius interfecisset, atque inde magna orta esset seditio, Cajus Cassius promiscuum servorum vulgus oratione ad Patres C. habita, supplicio affici postulat, post alia exclamans: *Suspecta majoribus nostris fuere ingenia servorum, etiam cum in agris aut domibus iisdem nascerentur, caritatemq; dominorum statim acciperent. Postquam vero nationes in familiis habemus, quibus diversi ritus, externa sacra aut nulla sunt, colluviem istam non nisi metu coërcueris. At quidam insontes peribunt; nam & ex fuso exercitu cum decimus quisq; fuste feritur, etiam strenui sortiuntur. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur.* Ita factum sed citra sortitionem idem Tacitus memorat lib. 1. ann. *Cum enim Legio quinta & undevicesima adversus Imperatorem ferocirent, ipse Germanicus contracto jam exercitu & in defectores parata ultione præmittit literas ad Cæcinam ducem, venire se valida manu, ac ni*

sup-

supplicium in malos præsumant, usurum promiscua cæde. Cæcina literis recitatis hortatur, ut infamiæ cunctos, seipsos morti eximant, nam in pace causas & merita spectari: ubi bellum ingruat, innocentes ac noxios juxta cadere. Tunc signo inter se dato, irrumpunt contubernia, trucidant ignaros, nullo, nisi conscios, nescente, quod cædis initium, quis finis. Diversa omnium, quæ unquam accidere, civilium armorum facies: non prælio, non adversis è castris, sed iisdem è cubilibus, quos simul vescentes dies, simul quietos nox habuerat, discedunt in partes, ingerunt tela. Clamor, vulnera, sanguis palam: causa in occulto. Cætera fors regit, & quidam bonorum cæsi, postquam, intellecto in quos sævirentur, pessimi quoq; arma rapuerant, neq; legatus aut tribunus moderator adfuit; permissa vulgo licentia, atq; ultio & satietas. Mox ingressus castra Germanicus, non medicinam illud plurimis cum lachrymis, sed cladem appellans, cremari corpora jubet. Hîc fors rexit ultionem, in decimatione fors: nam & hîc quandoque non unus erat animus omnibus, qui vel ex acie fugerunt, vel à Duce desciverunt; sunt seducentes, sunt seducti, alter altero pejor: tum si sortitioni pœnali omnes æque subiiciuntur, fors bonum æque capiet atque malum: damnabitur innocens, noxio incolumi. Hinc Jurisprudentiæ filii plures quæstiones movent de sortitione hac bellica, & ut existimo plerique approbant; etsi justus & injustus, vel saltem non æque injustus cum injusto ad sortitionem istam lethalem revocetur; quemadmodum pater aliquis aut Præceptor eadem virga omnes pueros castigat, ob unius incogniti facinus, ut

hoc

hoc modo nocens certo corripiatur. Sunt autem in militia delicta variorum generum; ut quando milites gregarij deficiunt vel cum præfecto vel sine eo: aut si præfectus cogat sibi subjectos milites cum hoste tractare de arcis deditione, & similia. Sunt deinde varia scelera militiæ non propria, ut cædes, stupra, furta, &c. in quibus omnibus justitiæ, conscientiæ, sanguinis innocui, & graduum facinoris patrati rationem habere decet Judicem: disparitas enim delicti requirit dispar supplicium, ne ad hoc ducatur, qui ephippium erepsit, absolutô eô, qui equum vel viginti equos abegit, & venia detur corvo, columbam vexet censura. Unde abhorreo ab eorum sententia, qui ajunt, *non negandum esse Judici jus aggratiandi, in pœnalibus, cum improbiori condonare, improbo autem supplicium dictare, haud injuste queat: nullam esse relationem delinquentis ad delinquentem, sed utriusq; distributivè ac seorsim ad id, quod est violatum. Imo injustum non fore, si diversorum debitorum reos adeoq; gradu atq; genere diversis suppliciis destinatos sortiri jubeat: non incommodè posse applicari dictum Salvatoris, Matth. XX. 15. an oculus tuus malus est, quod ego tam bonus sim?* Quæ vero sententia, si ad Legis Divinæ tabulas & omnium bonarum legum fundamentum, sanam rationem, conferatur, omnino falsa erit. Non est laudanda bonitas, quæ nocenti parcit, innocentem interficit. Etsi nulla sit relatio delinquentis ad delinquentem per se, est tamen, si malus juxta se coram Judice sistatur, & comparatio seu deliberatio fiat, uter illorum aggratiandus,

andus, uter ducendus ad supplicium? quoties Lex Divina prohibet, personam respicere, & injustum justo vel non æque injusto præferre? ut non sævitiæ est sed pietatis opus, justitiam facere, ut Ludovicus Sanctus olim dixerat, de quo supra; sic non bonitatis sed inquitatis est opus, malo pejorem anteferre in exhibenda gratia, quæ locum habere debet in condonatione delicti, quod non est contra legem moralem, & divinam; sed constitutionem aliquam humanam & civilem, positivam, & in potestate Magistratus est ejus legis constitutio, abrogatio, mutatio, mitigatio, aggravatio, quæ vero sunt peccata enormia, ut sacrilegium, blasphemia, honestæ fœminæ violenta stupratio, &c. sortitio inter facinorosos hujusmodi vix, nisi magna interveniat causa, adhiberi poterit: sed locum potius habet, quod vulgo dicitur: Mit gestohlen/ mit gehenckt/ in sortitione plerumque fortuna cæca malos juvat, ut venerem jaciant, minus malos deserit, ut canicula illis cadat. Si ergo omnino aggratiatio consulenda, respectus habeatur ad anteactam vitam, & quis aliâs altero fuerit pejor?

§. 6. Sed hæc quæstio ad Theologos & Juridicos remittenda, nos in historia sortitionis potius occupati sumus? quæ qua ratione fieri soleat, quando facinorosi milites de vita & nece sortiuntur, non opus monitu, cum vulgo nota sit. Sumitur autem sæpe vox decimatio latius, pro qualibet hujusmodi sortitione, quâ non præcise de decimo, sed certo alio numero

contendunt. Decimatio autem fit plerunque apud varios populos. Neh. XI. 1. decimabant gregarij Judæorum, ut decima pars Hierosolyma, cæteri provincias habitarent. Cambyses decimavit milites (Herodotus scribit, milites seipsos decimasse inscio Rege,) in cibum; Seneca ita l. 3. c. 20. de ira refert: I. Æthiopes, *quia non supinis manibus exceperant servitutem, missisq; legatis libera responsa dederant, quæ contumeliosa reges vocant, Combyses fremebat, & non provisis commeatibus, non exploratis itineribus, per invia, per arentia trahebat omnem bello utilem turbam: Cui inter primum iter deerant necessaria, nec quicquam subministrabat sterilis & in culta, humanoq; ignota vestigio regio. Sustinebant famem primo tenerrima frondium & arborum cacumina; tum coria igne mollita, & quicquid necessitas cibum fecerat. Postquam inter harenas radices quoq; & herbæ defecerant, apparumq; inops etiam animalium solitudo, decimum quemq; sortiti alimentum habuerunt fame sævius. Agebat adhuc ira regem præcipitem: cum partem exercitus amisisset, partem comedisset; donec timuit, ne & ipse vocaretur ad sortem: tunc demum signum receptui dedit. Servabantur interim illi generosæ aves, & instrumenta epularum camelis vehebantur, cum sortirentur milites ejus quis male periret, quis pejus viveret*

Breviter hæc Lucanus, Senecæ frater, lib. 10. complectitur:

Vesanus in artus
Cambyses longi populos pervenit ad ævi,
Defectusq; epulis & pastus cæde suorum
Ignoto te Nile, redit.

Similiter factum ab Ulsipiis Tacitus prodit, in Julij

Julij Agricolæ vita; eadem enim æstate, quâ Romani in Britannos arma sumserunt, cohors Usipiorum per Germanias conscripta, & in Britanniam transmissa est; quò postquam venerunt, hac atque illac rapti & cum plerisque Britannorum sua defensantium prælio congressi, ac sæpe victores, aliquando pulsi, eò ad extremum inopiæ venere, ut infirmissimos suorum mox, sorte ductos, vescerentur. Tale est, quod ex Porphyrio l. 2. adducit Tiraq. quæst. 17. *Phœnices* nimirum *ab Amilcare, cui cognomen Balcas fuit, aut ut alij appellant, Barca, in eam victus inopiam fuisse redactos, ut commilitones sorte eductos comederent.* Pari modo Britannos fecisse, sorte unum ex se morti destinantes, quò inediæ consulerent, Ziegl. in Grot. de Jur. B. & P. refert. Nec multum absimile, quando navigantes in mari, tempestatis procellosæ fluctibus cum extremo vitæ mortisque discrimine agitantur & sortiuntur, quinam ex se ejiciendus? de qua sortitione supra obiter dictum. Hæc decimario, an recta sit, disputant viri docti? DelRio & Stengelius approbant, alij damnant. Horribilis erat sortitio quam Plutarchus in problem. Græc. inter Lucippam, Arsinoen, & Alcathoen, Minyi filias, adhibitam enarrat; eas nimirum furore percitas cum carnibus humanis vesci cuperent, de filiis inter se fuisse sortitas. Alia, & legitima decimatio est, quâ pecudes decimabantur, de qua infra Capite singulari.

§. 7. Quæstio est, an decimatio ista pœnalis bellica Hebræis usitata fuerit? Facile re-

spondetur, quod non; quia nulla mentio ejus in tota historia Judaica & bellorum populi Israel. Afferunt indicium, quasi usitata fuerit, ex Psalm. LXVIII. 14. quod verò nihil est: in Hebraica enim veritate ne gry quidem sive de sorte sive de urna; ita autem habent verba sacra: *Si jacueritis inter tripodes* (chytropades, vel palos, paxillos, quibus tentoria in castris sustinentur) *alæ columbæ, obductum argento: vel, si jacuerint inter paxillos alæ columbæ, obtectum argento erit,* Intelliguntur forte alæ exercitus. Vulgatus vertit: *Si dormiatis inter medios cleros,* &c. & hæc erat occasio quibusdam, ut sortitionem bellicam fingerent. κλῆρος enim sors est. Magis forsan accommode allegabitur hîc sortitio, qua Achan & Jonathan sunt capti: in eo verò est differentia, quod illæ sortes peculiari Dei moderatione fuerunt directæ, infallibiliter nocentem monstrantes: Sortitiones verò bellicæ, de quibus hactenus, fortuitæ sunt & incertæ, ut innoxium æquè ac nocentem deprehendant. Deinde sortes bellicæ sive Ethnicorum sive Christianorum projiciuntur de multitudine promiscua & tota rea; sortes illæ divinæ consulebantur, ut insons à sonte dirimeretur; hîc verò omnes rei habentur, omnes supplicio obnoxij, solummodo sorte inquiritur, quisnam ex multitudine luat, quis aggratietur? Si quis Imperator aut Judex militaris, eo modo sortiri vellet, quomodo Josua & Samuel sortiti sunt, maximo id faceret cum discrimine, & temeraria Numinis Divini tentatione.

CAP.

CAP. XXXIV.

De

Uſu Sortium in ducendis uxoribus.

§. I.

RElictis caſtris revertimus ad penates, viſuri, quis ſortium uſus domi fuerit veteribus. Occurrit venerabile conjugium, quod omnes felix fauſtumque nobiſmet & amicis precamur; quod ut fieret antiquitus, ſorte utebantur, credentes, quæ uxor ſeu ſponſa hoc modo eveniret, divinæ eſſe benevolentiæ & voluntatis munus. Inter varios ergo modos conjugij ineundi, quos vide apud Alex. ab Al. l. 2. c. 5. hic quoque ſacer habebatur, & auſpicia inde fortunæ inſecuturæ captabant, ut idem author meminit: ſortem enim Euripides τὸν τῆς τύχης παῖδα, fortunæ filium vocabat, vel ut alij filiam, ut & Λάχεσις, Parcarum una, à ſortiendo, ἀπὸ τοῦ λαχεῖν vocatur; quamvis alij contra ſortem condemnent ceu vanam & fallacem, in quem ſenſum allegant verſus Lini Thebani, vetuſtiſſimi Poëtæ; vid. Stobæum ſermone περὶ φρονήσεως:

Φράζεο δὴ σπουδὴν ἐντεινάμενος δι' ἀκουῆς
Μύθων ἡμετέρων, ἀτραπὸν περὶ παντὸς ἀληθῆ.
Κῆρας ἀπωσάμενος πολυπήμονας, αἵ τε βεβήλων
Ὄχλον ἀνιστῶσαι, ἄταις περὶ πάντα μεδῶσι
Παντοίαις, μορφῶν χαλεπῶν ἀπατήματ' ἔχουσαι.

Τας μὲν ἀπὸ ψυχῆς εἴργειν φυλάκαισι νόοιο·
Οὗτος γάρ σε καθαρμὸς, ὄντως δικαίως ὁσιεύσει
Εἴκεν ἀληθείῃ μισέεις ὀλοὸν γένος αὐτῶν.

I. e. *Considera studium intendens, audiendo sermones nostros, viam in omnibus veram: sortes rejice damnosas, quæ & impiorum multitudinem excitantes damnis omnia involvunt variis, formarum periculosarum imposturas habentes. Has quidem & animo arcere studiose cogita. Hæc enim te purgatio omnino vere sanctificabit, si vere oderis perniciosum genus ipsarum.* Quod imprimis de sortibus divinatoriis accipiendum, quas etiam consulere solebant de prosperitate suscepti matrimonij; quam verò cum Satanas sæpe nescivit, etiam filiorum tenebrarum, quos regebat, iis quoque certo prædicere nequivit; fallaciis ergo usus est, & elusionibus, quomodo legitur in Apulejo l. 9. metam: quem locum Tiraq. allegat, qu. 17. Isidis sacerdotes fraudibus circumegisse eos, qui Oraculum Deæ hujus matrimonialis consuluerunt: Illi enim novum genus quæstus commenti, sorte unica evocata & deprompta, pro pluribus causis & rebus variis consulentes, plurimos hunc in modum sunt cavillati; nimirum sortem educebant hanc: *Ideo conjuncti terram proscindunt boves, ut in futurum læta germinent sata.* Hæc sors ad plurima poterat applicari: nam si qui matrimonium sorte cooptantes interrogarent rem ipsam, responderi ajebant, jungendos connubio, & satis liberorum procreaturos. Si possessiones præstinaturus quæreret, merito boves, ut & jugum & arva sementis florentia prænunciari. Si quis de profectione sollicitus divinum cuperet auspicium, junctos jam para-

paratoſque quadrupedum cunctorum manſuetiſſimos, & lucrum promitti de glebæ germine. Si prælium capeſſiturus, vel latronum factionem perſecuturus, utiles nec ne proceſſus ſciſcitaretur, additam victoriam ſorti, præſagio contendebant: quippe cervices hoſtium jugo ſubacturi, & prædam de Captivis uberrimam fructuoſamque capturi: atque his fraudibus impoſtores illi divinationis nimirum aſtu captioſo coarrſiſſe non paucas pecunias, ibidem memoratur. Confer ex ſacris 1. Reg XXII. 11. & multas increpationes in Prophetis de mendacibus & fucoſis hujuſmodi divinationibus Pſeudoprophetarum.

§. 2. Non hoc modo populus Dei conjugia inibant, non ſortibus neque divinationibus conſultis: ſed precibus & fiducia in certas Dei O. M. promiſſiones, quæ vice Oraculorum erant; niſi forſan in ſingularibus caſibus voluntatis Divinæ revelationem expeterent, quibus tum Oraculi Divini veritas ſubveniebat, quod facto Iſaac & Rebeccæ, Gen. 25. Hannæ, 1. Sam. 1. &c. probatur. Solent quidem ad ſortes conjugales ſeu ſponſales referre Præfecti domus Abrahamicæ hiſtoriam & petitionem, ex Gen. XXIV. 12. quod Stengelius facit Cap. 2. §. 8. Nam is à Domino ſuo in Meſopotamiam miſſus à Deo certas conditiones divinitus conceſſæ ſponſæ petit, ut l. c. legi poteſt. Sed hæc ſortitio erat extraordinaria & non multi exempli, quoad fata conjugialia exploranda; nam ſponſas ſorte eſſe lectas, aut ſortes divinatorias à piis con-

conjugibus rogatas, non memini me legere, nisi quod de Josepho & Maria circumferunt in papatu; de quorum conjugio DelRio disq. Mag. l.4. c. 2. q. 7. sect.1 ex Apocryphis nonnullos tradere scribit, sorte factum esse. Sic Stengelius c.3. §.7. *Accedit*, ait, *hoc tempore* (N Test.) *divinatoriam sortem nec jussam à Deo, nec sine peculiari instinctu Dei permissam, sicut adhuc permissa fuit, quando B. Dei mater Josepho sponsa data est, itidem virga ejus germinante, ut quidam pie credunt.* Videtur R. Sal. ad Gen. XXIX. 16. statuere, sorte assignatam Leam, impio Esavo, quæ perpetuo deplorans sortem istam suam, oculos læserit. Sic enim d. l. loquitur, שהיתה סבורה לעלות בגורלו של עשו ובוכה שהיו הכל אומרים שני בנים לרבקה ושתי בנות ללבן הגדולה לגדול והקטנה לקטן: Ideo Leæ oculi læsi erant, *quia persuasa erat, sorte se contigisse Esavo, & flebat; vulgo enim dicebatur, Rebeccam habere duos filios, & Labanem* (Rebeccæ fratrem) *duas filias; majorem* (filiam Leam) *majori* (filio Esavo) *& minorem* (filiam Rahelem) *minori* (filio Jacobo) futuram in matrimonium. Quæ sumta sunt ex Babh. B. f. 123. 1. Præscribunt quidem nonnulli peculiares conditiones, ut quis in hujusmodi casibus, exemplo Ministri Abrahami, sorte uti possit si 1. eventus non à fortuna aut fato, nec Dæmone, aut alia causa naturali, sed à solo Deo expectetur; 2. si sors simplex sine ulla superstitione & abusu rerum sacrarum adhibeatur. 3. Inter eos fiat, qui æquali jure utuntur, & 4. si nullum aliud remedium suppetat: nos verò cum aliis has etiam conditiones rejicimus, utpote in sufficientes

entes pro signo à Deo cœlitus petendo. Preces & piorum amicorum initum consilium, timorque Dei omnem sortium fidem longe superant.

§. 3. His verò divina promissione & mandato consecratis mediis cum destituti fuerint gentiles, sortibus usi sunt in rebus matrimonialibus, ut auspicate nec sine Numinis consilio viverent. Græcos de sponsalibus sorte contendisse, exemplo sunt Theseus & Pirithous, qui cùm Helenam rapuissent, pacti sunt inter se, ut utri sors faveret, is Helenam in uxorem haberet, alterque alteri in aliis nuptiis conficiendis operam navaret; sorte facta Theseo Helena contigit, Plutarch. in Thes. & Diod. Siculus l. 4. sic capta Troja, cùm præcipui Duces & Imperatores exercitûs Græcanici nonnullas regias fœminas sorti exemissent, ùt supra percepimus, de cæteris sortiti sunt: Unde Andromache Polyxenam apud Virgil. l. 3. Æn. ita alloquitur:

O felix una ante alias Priameia virgo
Hostilem ad tumulum Trojæ sub mœnibus altis
Jussa mori: quæ sortitus non pertulit ullos
Nec victoris Heri tetigit captiva cubile.

Quia Polyxena nemini sortitione cessit in matrimonium, sed occisa: Andromache verò, Hectoris uxor, sorte Pyrrho data, & sic aliæ captivæ. Sic Latinus apud eundem Poëtam l. 7. Æn. ad Æneam:

Est mihi nata, viro gentis quam jungere nostræ
Non patrio ex adyto sortes, non plurima cœlo
Monstra sinunt.

Tiberius Cæsar quendam quæstura removit, quod uxorem pridie sortitione ductam, postridie repudiasset, referente Suetonio c. 35. alij verò aliter legunt locum istum sc. pridiè sortitionem, &c. vide Schildium, &c. Inde communis locutio, sortiri uxorem, pro eam sorte accipere, quæ est propria significatio, deinde, pro ducere uxorem quovis modo. Exempla qui desiderat plura hujus locutionis, adeat Demsterum in paral. ad l. 5. c. 37. Ros. Videtur autem sortitio tum adhibita pro uxore ducenda, si de aliqua lis esset inter plures procos: tum enim cui sors eam assignabat, eidem concedebatur. Cujusmodi sortitionem Plautus in Casina prolixe & simul pro historia sortitionis veterum utiliter recenset. Virgo nubilis est Casina, proci duo, Chalinus servus, & Olympio villicus: Senex verò sceleſtus Stalino, utut uxoratus, non minus deperibat Casinam, uxor ejus erat Cleostrata. Senex favebat villico, Cleostrata servo, unde cum Stalino senex mœchus ad Chalinum diceret:

Casinam ego uxorem promisi villico nostro dare

ille Chalinus regerebat:

At tua uxor filiusq; promiserunt mihi,
De Casina certum est concedere homini nato nemini:

Tum ad arbitrium sortium Stalino provocat, jubens servum

Intro abi, atq; actutum uxorem huc evoca ante ædes citò.
Et situlam huc tecum affer to cum aqua, & sortes.
Nam si sic nihil impetrare potero, saltem sortiar.

Ibi

Ibi ego te & suffraganeos ulciscar tuos. Chal. *attamen*
Mihi obtinget sors.
Mihi illa nubet, machinare quod lubet quovis modo.

Stalino:

— - — *Etiam specula in sorte restat mihi*
Si sors autem decollaßit, gladium faciam cultro citram
Eumq; incumbam.

iterum Stalino ad Olympionem:

Quid ait (uxor mea) *quid tecum loquitur?*

Olympio: *Orat, obsecrat, ne Casinam uxorem ducam: Negavi enim ipsi me concessurum Jovi, si is mecum oraret,&c. Verum edepol tua mihi odiosa est amatio.* Sperabat enim Stalino, senex nequam, si Olympioni detur, posse frui se sua libidine, qua ardebat Casinam. Dicit ergo ad Olympionem: *Opinione melius res tibi habet tua, si hoc impetramus, ut ego cum Casina cubem.* Olymp. *Non hercle opinor posse, ita uxor acriter tua instat, ne mihi detur.* Stal. *At ego sic agam: conjiciam sortes in sitellam, & sortiar tibi & Chalino, ita rem natam esse intellego.* Redeunte servo Chalino cum Cleostrata,& sortibus,fraudulentus senex sortes ipse tractare poscit. *Tum igitur ego sortes utriq; mittam.* Sed malitiosa arte & fraude Stalino senex sortes temperat, Chalino id advertente, & ad Olympionem dicente: *Tene sortem, tene: vide quid scriptum est.* Olymp. *unum.* Chal. *iniquum est, quia isti priusquam mihi est.* Stal. *Accipe hanc sis.* Chal. *Cedo, mane, unum venit in mentem modo, vide ne qua illis insit alia sortis sub aqua.* Stal. *Verbero, men' te censes esse? nulla est, habe quietum animum*

mum modo. Cujus tamen fraudis culpam declinare vult, dicens ad uxorem: *Nunc tu, Cleostrata, ne à me memores malitiosè de hac re factum, aut suspices. Tibi permitto, tute sorti,* &c. *Age uxor mea nunc jam sortio: vos advertite animum: præbe tu.* Olymp. *Ubi sim nescio, perij; cor lienosum opinor habeo, jamdudum salit. Delabor, pectus tundit.* Cleostr. *Teneo sortem.* Stal. *Effer foras.* Chal. *jamne mortuus?* Olymp *Ostende, mea est.* Chal. *mala crux ea est quidem.* Cleostr. *Victus es Chaline.* Stal. *Tum nos diu vivere Olympio gaudeo: pietate factum est mea, atq; majorum meum. Intro abi uxor, atq; adorna nuptias.* Hoc modo quidam L. Consultorum existimant, posse sorte componi litem, si duo petant eandem sponsam, & æquali jure fruantur, nec sponsa alterutri mavult consentire, &c. alij verò negant, &c. Casus verò iste cum admodum rarus sit, non opus habet disquisitione.

CAP. XXXV.

De

Usu sortium in Conviviis.

§. I.

FRequentior eô, quem jam exposuimus, sortium usus erat antiquitus in conviviis: nam & in historia sacra & profana habentur crebra

bra ejus indicia. In sacris quidem præter Ezech. XXIV. 6. geminus alius mihi non occurrit, ibi vero ita habetur: Propterea sic dicit Dominus: *Væ civitati sanguinum, ollæ, in qua spuma ejus est, & spuma non exiit ex illa: per frusta ejus, per frusta ejus extraxit illam:* לא נפל עליה גורל *non cecidit super illa sors.* Cujus loci intelligendi gratia veterum mores in sortitione circa cibos, & in conviviis exponemus, primo quidem externorum, deinde Hebræorum; quibus intellectis locum jam sepositum resumemus.

§. 2. Ex eo, quod veteres conviviis suis adhibebant sortes, nomen indeptæ sunt, ut vocarentur sortes convivales, quibus autem variæ res conviviorum fuerunt subjectæ: ut quis esset Symposiarchus, seu convivij magister, obsoniorum dispensator, quem aliter vocabant Diribitorem, διανόμεα, potandi Magistrum, nec non Tapullam, Arbitrum convivij, qui legem & ordinem edendi, bibendi, ciborum ponendorum, stationum & loci in mensis, imperaret, unde & Modiperatorem, quasi modum imperantem, cognominabant. Mos iste vetustissimus primo à Græcis observatus, ad Romanos quoque transiit; illud planum esse scribit Tiraquellus ipsos Lacedæmonios ex more Principes conviviorum sorte facere solitos, ex testimonio Plutarchi in Apophth. Lacon. Agesilaus enim Rex Lacedæmoniorum cum sortibus ex more ductis factus esset Princeps convivij, interrogatus, à Pincerna, quantum vini cuique convivarum daret. Si multum, ait, vini paratum est, dato cuique quantum

tum poſcet, ſin minus, cunctis ex æquo impartito. *Et id certe commune fuit omnium Græcorum, quos poſtea Romani imitati ſunt, ut in Sympoſiis, id eſt, compotationibus, talis ſortirentur quempiam, qui convivio præſideret, & leges convivalës præſcriberet.* Illuſtravit morem iſtum Eraſmus Colloquio, quod Convivium Fabuloſum inſcripſit, meminit convivij Gubernatoris Athenæus l.2.c.18. & Oenoptarum l.10. c.7. Id vero maxime obſervatum in ludis & feſtis, ut Reges vel Cæſares per luſum conviviorum fierent præſides. Sic Tacitus de Nerone, l.13. annal. memorat, *Feſtis Saturno diebus inter alia æqualium ludicra, regnum luſu ſortientium, evenerat ea ſors Neroni.* Ad quæ Lipſius notat: Interpretes ad illuſtrationem loci adferunt, quæ Pollux ſcribit lib. 9. Βασιλίνδα, inquit, ἐστὶν ὅταν διακληρωθέντες ὁ μὲν βασιλεὺς προστάττῃ τὸ προκτέον, ὁ δὲ ὑπηρέτης εἶναι λαχὼν πανταχόθεν ἀπεκτονεῖ. Magis facit Arriani locus lib. 1. diſſert. Epicteti: ἐν Σατορναλίοις λέλογχε βασιλεὺς. ἔδοξέ γαρ παῖξαι ταύτην ἣν παιδιάν. προστάσσει, σὺ πίε, σὺ κέρασον, σὺ ὦσον, σὺ ἄπελθε, σὺ ἐλθὲ; ὑπακούω, ἵνα μὴ παρ' ἐμὲ λύηται ἡ παιδιά, i. e. *Saturnalium diebus rex eligitur. Jubet enim ludere hunc luſum. Is imperat, tu bibe, tu miſce, tu expelle, tu abi, tu veni. Pareo, ne mea cauſa ſolvatur ludus.* Confer Demſterum, ad Roſ. l 5. c. 29. ubi inter alia: *Itaq; penes eos* (magiſtros ſeu principes conviviorum) *erat cura, epulandi morem conſtituere, cyathos ebibendos præſcribere.* Et ibidem partes, in quas cibi erant diſpertiti, vel à ſervis, vel coquis, vel Tapulla, ſeu convivij magiſtro, permittebantur ab eodem convivæ, domum mittere ſi vellet, ad uxorem: eidem, ut eſt apud Athenæum, moris erat ſimulac diſcubuiſſet, ſchedam

dari,

dari, quæ descripta ordine obsonia omnia haberet, ut jam tum sciri posset, quid primum, quid postremum coquus missurus esset, ut Rosinus eodem capite docet. Ex quibus patet, sæpe principes convivij etiam ludorum principes fuisse.

§. 3. Sortiebantur deinde locum & sessionis ordinem in conviviis, ut olim factum à Romanis supra Cap. 28. meminimus, quod vero judices tantum concernit, & singulare ideo est, singularius autem, quod ex Paulo Diacono afferunt, quatuor in Lombardia senes convivantes leges constituisse, ut toties quilibet biberet, quot annorum vicinus esset, qui sorte in convivio illi obtigisset; & eas quidem leges adeò observatas stricte fuisse, ut qui minimum biberet quinquaginta octo vini pocula exhauserit, secundus sexaginta tria, tertius octoginta septem, quartus nonaginta duo. Quæ res impulit postea Lombardos, ut legem ferrent, multis lectam quidem, sed paucis intellectam, ne quisquam annos socij in convivio biberet. Usitatius longe erat, ut de ordine bibendi sortirentur. Id Plautus innuit in captivis loca supra Cap. 10. allegavimus; telos nimirum jacuisse, quis prior biberet, ut ex eodem, in Asinaria act. 5. sc. 2. patet, ubi Argyrippus adolescens ad Demonetum senem, adulterino amore Philenium meretricem ambientem, ait:

Jace pater talos, ut porro nos jaciamus. Dem. *maxumè.*

Te Philenium mihi, atq; uxoris mortem, hoc Venerium est.

Pueri

Pueri plaudite, & mihi ob jactum cantharo mulsum date.

Senex iste felici jactu Philenium sibi optat, uxori mortem; cumque Venerem misisset, poscit sibi dari potum. Horatius l. 1. Carm. od. 4. eodem tendit:

Quo simul mearis
Non regna vini sortiere talis.

Quod de primatu in bibendo exponunt nonnulli, ex quibus Greg. Bersmannus, annotans: *Talorum jactu* τὴν ἀρχιποσίαν *sortito accipies.* Alij vero de principatu seu arbitrio, quo princeps vel magister convivij cuilibet legem bibendi præscribit. Sic Bondus: *Non eris bibendi magister, cui constituendi leges in conviviis omnes parere necesse est.* Iterum, *Talorum jactu; Veneris jactus regem vini efficiebant.* Nimirum uti lib. 2. od. 7. idem Poëta:

Quem Venus arbitrum
Dicet bibendi.

Ubi Bersmannus, arbitrum bibendi exponit συμποσίαρχον, βασιλέα, & Bondus: *Venereus talorum vel tesserarum jactus regem bibendi conviviiq; magistrum efficiebat, quem jactum alij putarunt esse numerum ter senarium; alij, quum omnes tali jacti cadebant dissimiliter, vultuq; diverso apparebant.* Ex alea vero bibendi licentiam & sortem petiisse, Plinius significat lib. 14. c. 22. *alius*, inquiens, *quantum alea quæsierit, tantum bibit; id est, ut Tiraquellus exponit, alij tot exiccant pocula, quot jusserit convivij Dominus, qui talorum casu fortitutô eum locum sortiebatur.*

§. 4. Sed non minus cibi sorte distribuebantur: ubi vero absint crudelissimæ illæ sor-

tes,

tes, quibus humanæ carnes in cibum assignatæ, cujus rei supra Cap. 33. dedimus exempla: aliâs cibi in certas partes, quot nimirum convivæ essent, divisi, inter convivas distribuebantur, ne qua fraus interveniret, de qua ferculorum in æquales portiones divisione, vide Demst. ad Ros. c. 29. ubi inter alia scribit, partes dissectas sorte distributas esse, ne qua injuria convivæ fieret ulla re in his omnibus. Mercurij sors vocabatur illa pars carnium, quæ prima illi Deo consecrata seponebatur, Jul. Poll. l. 6. c. 9. §. 5. Testimonium luculentissimum est apud Plutarchum in Catone Uticensi, *qui etsi prima carnium divisarum pars ejus sorte non fuisset, amicis, ut eam tamen caperet; hortantibus, habere se illam invita Venere dicebat*: vel potius in cœnis Cato ipse partes sortiebatur, quod si non obtineret primam portionem, amicis ipsum prius capere jubentibus, dicebat, non bene se habere invita Venere, ut Tiraq. allegat. Ergo Veneris jactu conviva primam obtinebat portionem, vel primum locum sumendi cibum: quomodo Plutarchus in Antonio recenset, ipsum Antonium & Cleopatram inter se sortitos fuisse, cum se mutuo ad cœnam invitassent, uter inciperet. Ex qua consuetudine adagium originem traxit: *Priusquam sortiaris: Communia devoras.* Quod Erasmus exponit: Πρὶν λαχεῖν, τὰ κοινὰ καλεσθίεις, *in eum competit, qui non expectata partitione, rem invadit. Ductam metaphoram indicat Suidas à conviviis, in quibus antiquitus mos erat, è cibis suam cuiq; portionem distribuere, quemadmodum ex compluribus Homeri locis li-*

cet conjicere, apud quem illud oppido quam frequens καὶ οὔτις ἐδεύετο δαιτὸς εἴσης. *Deinde receptum apud nonnullos, ut citra distributionem propositis in commune cibis, quisq; quantum vellet, sumeret. Id quod indicat Plautus: Patinarias struit struices. Hujus rei mentionem facit & Plutarchus in Symposiacis, excutiens, utra consuetudo magis probanda videatur. Porro proverbium sumtum est ex Equitibus Aristophanis:* ἐπεὶ τὰ κοινὰ, πρὶν λαχεῖν, κατεσθίεις, *id est, quando publica, antequam illa sortiaris, devoras.* Aliter olim fercula disposuit Galba, secundum literas alphabethi, quod luxuriei crimini ei datur, confer Alex. ab Al. l. 5. c. 21. & Demst. ad Ros. l. 5. c. 29. *nec deerant*, scribit hic, *qui tot in mensa stationes facerent, quot literæ essent, ut ea ratione infinitus lancium numerus esset, quod commentum Getæ, Severi principis filij. idem Æl. Spartianus in eo: Habebat etiam & istam consuetudinem, ut convivia & maximè prandia per singulas literas juberet disponi, scientibus servis.* Quo respicere volunt Juvenalem Sat. 7. *Qui fercula docte componit.* Velut, in quo erat ex prima alphabethi litera anas, anser, apruna; item ex p. pullus, perdix, pavus, porcellus, piscis, perna, & quæ in eam literam genera edulium caderent, & item ex f. fasianus, farta, ficus, & talia. Alia iterum sortitio erat, quâ, qui convivarentur aut commederent, & qui pugnarent, delecti, de qua Plutarchus in Pericle tradit, eum in octo partes universam multitudinem divisisse, hac sorte usum, ut cui parti alba faba contigisset, huic permitteretur in conviviis & in otio agere, cæteris pugnantibus. Ideo etiam ajunt, eos, quibus res quælibet suaviter succedunt, diem album

album vocare ab alba faba, vid. Tiraq. num. 79.

§ 5. Dictum superius ex Arriano à Lipsio allegato, diebus Saturnalibus ludis Regem sorte eligi, fuisse consuetum: idem ex eodem Lipsio ante citato, seu Luciano potius, porro patet; sic enim verba Luciani habent: ὁρᾷς ἡλίκον τὸ ἀγαθὸν, ἔτι καὶ βασιλέα μόνον ἐφ' ἁπάντων γενέσθαι, τῷ ἀστραγάλῳ κρατήσαντα, ὡς μήτε ἐπιταχθείης γελοῖα ἐπιτάγματα, καὶ αὐτὸς ἐπιτάττειν ἔχοις τῷ μὲν αἰσχρόν τι περὶ αὐτοῦ ἀναβοῆσαι, τῷ δὲ γυμνὸν ὀρχήσασθαι, καὶ ἀράμενον τὴν αὐλητρίδα, τρὶς τὴν οἰκείαν περιελθεῖν. i. e. *Vides* (inquit Saturnus magnificans regnum suum) *quantum bonum sit regem inter omnes eligi, si viceris talo. Cum neq; quisquam tibi ridiculum aliquid imperet, & tu imperare aliis possis: huic, ut turpe aliquid de seipso vociferetur, illi ut saltet nudus, utq; sublata in humeros tibicina ter domum circumeat.* In his Saturni festis diebus varij lusus exhibebantur sorte dispositi, apud convivia maxime & post illa. Sic Cæsar Augustus eodem tempore & alias, quoties libuisset, modo munera dividebat, vestem & aurum & argentum, modo nummos omnis notæ, etiam veteres regios, ac peregrinos, interdum nihil præter cilicia & spongias, & rutabula & forfices, atque alia ad genus, titulis obscuris & ambiguis. Solebat & inæqualissimarum rerum sortes, & aversas tabularum picturas in convivio venditare, incertoque casu spem mercantium vel frustrari, vel explere, ut refert Suet. in Aug. c. 75. quæ Schildius eleganti nota illustravit: nimirum *super forfice scriptum erat* Edentulo detur: *quia forfex est* ὀδοντάγρα, eique utilis, *cui vitiosi dentes sunt. Super spongia.* Lippo detur: *quia spongiæ olim usus in effingenda oculorum lippitudi-*

nè, vel sic, pessime omnium affecto: *quia medici* πρὸς τὰς καταιονήσεις *aliaq́, spongia utebantur. Cujus moris testes præter medicos Theodoretus* θεραπευτικῆς *l.4. & Arrianus dissert. l. 1. c. 11. alludere etiam potuit ad usum spongiæ longe fœdissimum & obscœnissimum, de quo Seneca epist. 70. super cilicio*, frigidissimo, vel alsiosissimo, aut hirsutissimo. *Super rutabulo* optime vasato. *Similibus titulis inscripta munuscula sorte dividebantur: inde cachinnorum materia in singulos, quasi talis esset quisq́, quale erat muneris elogium, quod sortito obtigerat.* Causaub. *Tituli h. l. pro lemmatis accipiendi, nam Xenia in Saturnalibus cum lemmatis & præscriptionibus suis mitti solita fuisse, docet Martialis.* F. Ursinus. Porro idem ibi; *Latini sortes vocant res omnes, quæ sorte dividuntur: hic ita appellantur etiam quæ jocular iter veneunt in auctione. Falluntur interpretes, qui has sortes cum apophoretis confundunt, quæ gratis donabantur, non venditabantur, ut fit ab istis in Augusto. Magis affines sunt illæ sortes convivales, de quibus scribit Lampridius in tam ridiculo illo, quam tetro monstro, Heliogabalo*, Casaub. Hunc enim Heliogabalum Lampridius tradit sortes convivales scriptas habuisse, & post cœnam proposuisse, ut alius haberet decem camelos, alius muscas, vel auri libras, aut decem ova, ursos, glires & lactucas decem. Confer Tiraq. num. 83. & Alex. ab Al. l. 5. c. 22.

§. 6. Jam quid Hebræi habeant de sortibus circa res convivales, quantum quidem occurrit, aperiamus: In Talmude tract. Schabb. fol. 148. 2. in fine ajunt doctores Mischnici: מפיס אדם עם בניו ועם בני ביתו על השולחן ובלבד

שלא

שלא יתכוין לעשות מנה גדולה כנגד מנה קטנה
ומטילין חלשין על הקדשים בי"ט אבל לא על המנות:

Sortitur homo cum filiis suis, & cum domesticis suis super mensa, modo ne intendat facere portionem magnam contra portionem parvam (partes inæquales) *Sortes etiam projiciunt super sacris die festo, at non super portionibus.* De quibus prolixior deinde in Gemara, glossa & Tosephos est discursus: ea verò, quæ huc pertinere videntur, succincte Rambam in perusch hammischnajos exponit, his verbis:

ומפ"ש פירושו מטיל גורלות ושיעור זאת המשנה כך
ומפ"ש עם בניו ועם בני בניו על השולחן בשב' אבל לא
עם אחר ובחול מותר להפיס עם אחר ובלבד שלא
יתכוין לעשות מנה גדולה כנגד מנה קטנ' משום
קוביא וקוביא שם נופל על כל מני שחוק שיוסכם
עליו שיקח אדם ממון חבירו בהסכמה אותו השחוק
כמו שפספסין וחנרדושין וכו', i. e. מפ"ש *hîc idem est ac projicit sortes: & ratio hujus Mischnæ est: Et sortitur cum filiis & cum posteris suis super mensa die Sabbathi, at non cum alio: die autem profano licitum est sortiri cum alio, modo ne moliatur facere portionem magnam adversus parvam, propter* κυβείαν, *seu ex sola lucrandi cupiditate: est autem* κυβεία *communis omnibus lusibus, in quibus utrinq; congressi convenerunt, ut alter de alterius facultate aliquid auferat, per lusum eum, quò utrinq; consenserunt: cujusmodi lusus est alea seu talorum & latunculorum similesq; alij.* Challaschim autem sunt *species quædam sortium, qua congerunt res quasdam dissimiles, tot, quot sunt virorum sortientium: & tum quilibet illorum seorsim pro se sumit ex illis rebus unam aliquam, & easdem res, quæ ipsi sibi volupe fuerit, dant viro alicui alieno, forte fortuna accedenti, qui easdem res,*

voluntarias prout voluerit singulis partibus sacris imponit, atq; tum quilibet sortientium sumit rem & portionem suam secundum sortem suam: Et Doctores concesserunt ita facere die festo, quia est commoda ratio comedendorum sacrorum, & sumendæ ex illis portionis magnæ, atq; opus est admodum bonum. Quod verò dicunt, non autem super portionibus, intelligunt de portionibus profanis, super quibus die festo non projiciendæ sunt sortes: est autem vox חלשים *Hebræa & Biblica, dicitur enim: chóleschi, i.e. sortiens super gentibus.* Jes.XIV.12. Hæc adduxi, non quod de sortitione super cibis tantùm loquantur: nam Talmudici in genere agunt de lusibus quibuslibet, quinam liciti aut illiciti sint patrisamilias die Sabbathi cum domesticis suis: sed quod eadem sortitio seu lusus dicitur fieri super mensa, & singulatim Rambam factam esse à Sacerdotibus in dividendis cibis sacris asserit, adjungens modum, quô distributio illa ciborum sacrorum expedita: nimirum carnium sacrarum vel aliarum rerum pro cibo Sacerdotibus concessarum, portiones fiebant tot, quot erant Sacerdotes: horum quilibet aliquid proferebat, quod luberet, nummum argenteum, aureum, cochlear, poculum, cultrum, aut tale quid: debent verò hæc esse prorsus diversa, ut neuter aliquid produceret, quod alter: tum vir aliquis forte adveniens, non consors, sumit rem aliquam, nummum, cochlear, &c. nesciens, cujus illa esset, imponitque ordine singulis ciborum portionibus, nummum huic, cochlear illi, poculum isti, &c. cujus tum erat nummus, cochlear, &c. capiebat portionem eodem notatam,

& sic

& sic deinceps. Et hæc erat sortitio, quam Rambam laudat, causa redditur in Gemara, & Tosephos: מטילין היו חלשין לתת כל אחד חלקו פן יריבו ביחד כדכתיב ועמך וגו׳, *sortes projiciebant, ut unicuiq; sua portio tribueretur, ne rixas inter se moverent, uti scriptum est: Populus tuus est sicut litigantes sacerdotes* Hos. IV. 4. An verò intra templum sortitio in distribuendis cibis solummodo locum habuerit, non temerè affirmaverim: extra illud usitatam fuisse, probabile est, atque inde forte adagium, similiter ut apud Græcos & Latinos, exortum, ut de eo, qui vel officio sibi demandato, sine πολυπραγμοσύνῃ gnaviter adesse debeat, vel soli suæ uxori adhærere, dicere consueverint jam olim: גרמא דנפיל בחלקך גרדיה׃, *os, quod cecidit in portione tua, illud rodito.* Quod extat in Ben Syra: quomodo Græci dicunt: σπάρταν ἔλαχες, ταύτην κόσμει. *Spartam sortitus es, eam exorna.* vide Lex. Talm. in גרד. Librum hunc ben Syra vetustissimum esse, testatur Buxt. in bibl. Rabbinica, idque inde colligitur, quod in Babha Kama fol. 92. 2. recensetur inter hagiographa, ut quidem in Tosephos ibidem innuitur. Convenit autem sententia ibi ex Ben Syra adducta, cum sententia autoris libri Sirach, Cap. XIII. 19. 20.

§. 7. Redimus nunc ad locum Ezech. 24. ab initio allegatum, cui hactenus litavimus: eum puto ex enumeratis facile posse exponi: Propterea sic dicit Dominus Deus: Væ civitati sanguinum, ollæ, in qua spuma ejus est, & spuma non exiit ex illa: frustulatim frustulatim extraxit illam, non cecidit sors super illa: quod Raschi

h. m. illustrat: לא כשאר קדירות שמוציאין נתחיהן יחד לתתה לפני כל אחד ואחד חלקו וגורלו: *Non sicuti solet fieri cum aliis ollis, ex quibus frusta ejus simul educunt, ad dandum illa coram singulis partem suam, & sortem suam.* Et sic ferè R. D. K. לא נפל גורל עליה איזה נחת יצא תחילה אלא כמו שיזדמן והמשל לא יצא גורל על יושבי ירושלם אלא כמו שיזדמן אשר לשבי לשבי אשר לדבר לדבר ואשר וכ׳, *Non projecta est sors super illa, quodnam frustum exiret prius, sed uti ipsis constitutum & decretum: parabolæ ratio est & sensus, non eductam esse sortem super civibus Hierosolymitanis, sed quomodo fataliter cuivis est constitutum, quis captivitati captivitati, quis pesti pesti, quis fami fami tradendus,* Chaldæus obscure: מדלא יתערב ברם תיובתא, *Ex eo, quod non facta est in illa (urbe Hieros.) pœnitentia.* Quod R. Salomon exponens, ait: לא נפל עליה גורלו של מקום: *ideo etiam non projecta est super ea sors Dei.* q. d. ideo nulla sors pro illa jacta est, quâ Domino assignaretur. Videtur sumsisse ex Echa Rabbethi, fol. 51. 1. ubi habetur: רב נחמן בשם רבי אחא אמר מחו לא נפל עליה גורל אמר הקב״ה, *Rab Nachman, autoritate R. Acha ait: quid sibi vult, non cecidit super ea sors?* Dicebat Deus O. M. eo tempore, quo projeci, &c. vide supra c. 3. §. 1. Hebræorum ergo expositio est, cùm cives Hierosolymitani in exilium abigerentur partim, partim gladio interirent, partim fame & peste perderentur, nulla sors pro Domino cecidit, ut pars quædam salvaretur: sed omnes vel exilio, vel gladio, vel fami, vel pesti adjudicatos, nulli sors vitæ & salutis cecidit. Est autem vera expositio hæc: Deus comparat urbem

urbem Hierosolymorum ollæ, cui carnium optimæ partes injiciuntur, coquendæ, at eædem omnes nimio igne ita adustæ sunt, ut ollæ adhæserint, atque nulla arte aut medio potuerint corrigi, nisi ut olla tota igne candesceret & exureretur. Cùm igitur partes illæ ita adustæ sint, ut nulli usui amplius esse possint, abjiciebantur, nec sorte distribuebantur, quis convivarum hanc, quis illam acciperet: sic urbs Jerusalem est olla adusta, ex carnibus adustis fœtens, cives & omnes incolæ ejus sunt frusta igne peccatorum corrupta, non nisi igne, fame, peste, gladio, & omnimoda abjectione corrigenda; quod factum per Nebucadnezarem, &c. videtur inprimis Deus innuere peccata sanguinis innocui effusi Hierosolymis, quomodo & Echa Rabb. d. l. & Talmudici in Gittin fol. 57. 2. exponunt, exemplo præsertim sanguinis Zachariæ effusi utentes in argumentum.

CAP. XXXVI.

De

Usu sortium in decimandis pecoribus.

§. I.

TAndem, postquam templa, fora, curias, castra, domos, agros & cognata loca perlustravimus, & quinam in illis usus sortium

fuerit, perſpeximus, caulas quoque & ſtabula ingrediemur, an & ibi aliquis ſortitioni locus fuerit conceſſus, viſuri. Deprehendimus autem iſtum: Apud Judæos olim, cum templum adhuc ſtaret, decimabantur vel pecudes, vel proventus: decimationis annuæ pecudum hæc obſervata fuit ratio, ut quidem Hebræi ex Levit. XXVII. 32. colligunt: Colligebat pecuarius agnos & vitulos in ſtabulum unum, quod habebat oſtium parvum, ut ne duo ſimul egrederentur. Conſtituebantur matres illorum foras, ut cum agni vitulive eas mugientes balanteſve audirent, ordine alter poſt alterum egrederetur. Tum incipiebat numerare virgâ, primum, ſecundum, 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & quod decimo loco egrediebatur, ſive maſculum ſive fœmellum, ſive integrum, ſive maculatum, ſignabat rubeo colore, quo tincta erat virga, & dicebat, hoc erit pro decima, ut Sixt. Amama in Antibarb. bibl. commentatur, ubi de decimis Moſaicis agit. Et ſic etiam Munſterus ad h. l. Lev. 27. ubi verba Hebræa ipſa ita habent: וכל מעשר בקר וצאן כל אשר יעבר תחת השבט העשירי יהיה קדש ליהוה: *Et omnis decima, bovis & ovis, quæ tranſit ſub virga decima, ſancta erit ſeu ſacrata Domino.* Sic Jonathan verbotenus, וכל מעשרא דתורא ודענא כל וגו׳, *Et omnis decima*, &c. Pertinet ergo hæc ſortitio partim ad ſortes per numeros, partim per virgam. Eſtque hæc decimandi ratio antiquiſſima & Moſis jam ætate obſervata. Hebræi verò, qui, ut Amama modo dixerat, modum iſtum deſcribunt, ſunt Talmudici, & commentatores biblici pariter

&

& Talmudici. Sic enim in Talmud, & quidem Miſchna, parte ejus antiquiore, legimus in tract. Roſch haſchana cap. 1. miſchn. 2. fol. 16. בראש השנה כל באי העולם עוברין לפניו כבני מרון שנא' היוצר יחד לבם המבין אל כל מעשיהם׃ *In novo anno omnes homines venientes in mundum, tranſeunt coram illo* (Deo) *quemadmodum agni, ut dicitur: formans ſimul cor ipſorum, attendens ad omnium illorum opera,* Pſalm. XXXIII. 15. Gemara: אמר רבה בר בר חנה אמר רבי יוחנן וכולן נסקרין בסקירה אחת׃ *Rabbah, nepos Channah ait, R. Johannem dixiſſe, omnes agniculos colore uno fuiſſe tinctos:* Gloſſ. כבשים שמונים אותם לעשרן ויוצאין זה אחר זה בפתח שאין יכולין לצאת כאחד׃ *ſicut agni, quos numerant ad decimandum, quorum unus poſt alterum egreditur per oſtium parvum, ita ut non poſſint egredi ſimul.* Sic etiam Bartenora ad h. l. & R. Salomo ad Lev. 27. כשבאו לעשרן מוציאין בפתח זה אחר זה והעשירי מכה בשבט צבועה בסיקרא להיות נכר שהוא מעשר כן עושה לטלאים ועגלים של כל שנה ושנה׃ *Quando decimandæ erant pecudes, emittebant eas per oſtium, alteram poſt alteram, & decimam percutiebat virga, quæ erat tincta colore rubro, ut dignoſceretur eſſe decima: quod facere ſolebant cum agnellis & vitulis ſingulis annis.* Confer Lex. Talm. in vocibus מרון & סקר. Ad hunc modum Jacobum filios ſuos decimaſſe, & Levi decimo loco cecidiſſe, R. Bechai ad Num. 17. annotat, verba hæc ſunt: ונם אני שמעתי ונחלת הלוי הוא המעשר שהוא רמז אל העשירי ומזה אמר ולבני לוי הנה נתתי את כל מעשר בישראל לנחלה וכן תמצא לוי בן יעקב שהיה עשירי בבנים שהרי כתיב וכל אשר תתן לי עשר אעשרנו

לך

לך אפילו מבניו נתן מעשר להק"בה והעשירי הוא קדש
וכן ויבדל אהרון להקדישו קדש קדשים ודרכו של רועה
כשהוא מכניס צאנו לדיר ורוצה לעשרן שמוציאין אחד
אחד ומי שנכנס אחרון יצא ראשון כך השבטים כשהתחיל
למנות מבנימן שהוא אחרון יהיה לוי עשירי בבנים
וכן תמצא בפרקי רבי אליעזר פר' ל"ו לא עשר יעקב
אלא למפרע התחיל מבנימן שבמעי אמו ועלה לוי קדש
לה' ועליה הכתוב אומר השעירי יהיה קדש לה' ירד מכאל
המלאך ונטל את לוי והעלהו לפני כסא הכבוד אמר לפניו
רבונו של עולם זה גורלך וזה מעשרך פשט יד ימינו
וברבו שיהיו בני לוי משרתים לפניו בארץ כמלאכי השרת
בשמים; *Ego etiam didici, hæreditatem Levitarum esse decimam, atq; hæc est nota decimationis, & huic dicitur:* Et filiis Levi ecce dedi omnes decimas in Israël hæreditatem, Num. XVIII. 21. *Et sic invenies quoque, quod Levi filius Jacob fuerit decimus in filiis: scriptum enim est:* Et omnia, quæ dedisti mihi, decimando decimabo tibi, Gen. XXVIII. 22. *Scilicet ex filiis quoq; dedit decimam Deo; porrò decimæ sunt sacræ, ut dicitur:* Et separatus est Aaron, ut sanctificaretur pro sancto sanctorum, 1. Chron. XXIII 13. *Id factum est more pastoris, qui colligit oves suas in caulam, decimaturus illas, quas deinde singulas emittit, & quænam introivit postrema, primo egreditur, & sic tribus Israël, quas cum inciperet Jacob numerare, à Benjamin exorsus est, qui erat natu ultimus, atq; ita Levi erat decimus inter filios Jacobi. Id etiam invenies in Capitulis R. Eliesér, Cap. 36. non decimavit Jacob nisi retrorsum, incipiens à Benjamin, cum adhuc esset in utero matris suæ, atq; h. m. Levi ascendit Deo sanctificatus. De eo Scriptura loquitur,* Decimum erit Deo sacrum, Lev. XXVII 32.

C. 37.

Tum

Tum (sorte ita cadente) descendens Angelus Michaël, Leviq; acceptum coram throno Majestatis Divinæ collocavit, dicens: Domine universi, hæc est sors tua, atq; hæc est decima tua. Deus ergo manu sua dextera super eo extensa benedixit ei, ut filij Levi essent administrantes coram Deo, in terra, sicut Angeli ministrant Deo in cœlo. Confer inprimis Bechoroth f. 58. 2. ubi prolixè de decimatione ista in Mischna & Gemara tractatur. Dicit enim Mischnah: באיזה צד מעשרין כונסן לדיר ועושה להם פתח קטן כדי שלא יהו שנים יכולין לצאת כאחד ומונין א' ב' ג' ד' ה' ו' ז' ח' ט' והיוצא עשירי סוקר בסיקרא ואומר הרי זה מעשר לא סוקרו בסיקרא ולא מנאן בשבט או שמנאן רבוצים או עומדים הרי אלו מתעשרין: *Qua ratione decimant? Intromittit (decimans) eas (pecudes) in caulam, & facit eis ostium parvum, adeo ut haud plures, sive duæ, simul possint egredi simul; numerant deinde illas (egredientes) 1. 2. 3. 4. 5. 6 7. 8. 9. quæ decimo loco egreditur, colorat illam minio, dicens: Ecce, hæc est decima. Si non colorat minio, vel etiam non virgâ numerat, aut si numerat eas cubantes, aut stantes, en istæ decimatæ sunt legitime.* Ex hoc ritu exponit R. D Kimchi locum Ezech. XX. 37. *Et transire faciam vos sub virga seu baculo.* על דרך כל אשר יעבור תחת השבט כלומר כמו הצאן שהמונה אותם אוחז שבט בידו ומונה אותם אחד אחד והעשירי מוציא למעשר כן אמנה אתכם והחוט יאבד וזה המנין על דרך משל וכן אמר ירמיה: *Quomodo nimirum dicitur: Omne quod transit sub virga: q. d. sicut oves, qui numerat, sumit baculum manu sua, & sic numerat eas singulatim, & decimam emittit ad decimationem: sic ego vos numerabo, & quod foris est (puto enim legen-*

חוטא

legendum esse והחוץ) *illud peribit. Est autem numeratio ista parabolicè intelligenda, quomodo & Jeremias dicit:* Adhuc transibunt pecudes operâ numerantis, Jer.XXXVII. 13. &c. Videtur ergo sensus esse in Ezechiele, Deum minari populo Israël segregationem impiorum à piis; illos ejecturum esse è terra Israël, hos verò relicturum in monte Sanctitatis suæ, ad cultum verum; hos futuros sibi ceu decimas, cultui seu Deo sacratas & destinatas, &c. qui verò extra hos erunt, peribunt in terra peregrina. Jeremias autem videtur intelligendus non de transitione sub virga decimationis, sed regiminis, quomodo ipse R. D. Kimchi locum exponit: ut enim pastor baculo suo solicite numerat pecudes, num una deficiat: Sic Rex Israëlitarum curiosè eosdem reget, & tuebitur, ne quæ pereat. Israëlitæ enim sub sceptro Regis sui exibunt tuti, &c. Interpretatur etiam de illis, qui in captivitate erant, in qua impij erunt consumendi, cœteri verò ceu pij ex captivitate reduces in terra sua sub regimine Regis sui feliciter degent. Rectissimè hæc Jonathan de tranquillitate Regni Messiani exponit. Confer Joh.X.& 9. locum enim Jeremiæ de Messia intelligendum esse, totius contextus συνάφεια ostendit.

CAP.

CAP. XXXVII.

Continens epilogum, & quæ superioribus subjicienda videbantur.

§. 1.

HActenus fere historiam duntaxat sortium persecuti sumus, paucis hinc inde, quid de hac aut illa sortitionis specie judicandum, insperſis. Nec aliud mihi erat institutum, non inscio, quam dubiæ & difficiles quæstiones controvertantur in foro Theologorum, JurisC. & Philosophorum; quæ si pariter data opera voluissem excutere, libello isti duplo major accrevisset magnitudo. Ita tamen sortium recensionem instructam existimo, ut fere de quovis casu ex ea fieri possit judicium, & subinde quoque graviores quæstiones plane examinatæ atque decisæ sunt. Claudendus ergo libellus iste erat, nisi pauca superioribus subnectenda, hactenus, dum prælo suberat, occurrissent.

§. 2. Supra p. 269. seq. tacta est quæstio, an idem de sortibus divinatoriis in N. Test. judicium sit, quod de iisdem in V. Test. quibus nimirum voluntas Dei in rebus capessendis arduis exquiritur? Responsum, non omnimodo pariter se habere: nam divinationes ejusmodi Veteris

teris Test. propriæ sunt, Hebr. I 1. in N. T. desierunt prophetiæ, vaticinia, &c. interim tamen non simpliciter Deus credentibus in N. Test. singularem suam gratiam & gubernationem præsentissimam denegavit, quin in omni periculo ipsius assistentia gaudeant, Matth. XVIII. 19. 20. Sic ergo, ubi & gloria Dei & Ecclesiæ emolumentum concernitur, Deus tam per sortes quam alia adminicula & media piis suis, tàm N. quam V. Test. salutarem suam præsentiam miraculosè attestari & exhibere potest, imò exhibebit omnino. Exemplum suppeditat historia persecutionis Bohemicæ, Cap. 20. Anno enim 1467. cum Ecclesia pressa solicita esset de Ministris ordinariis sibi præficiendis, credens ordinarium & characterisatum Ministrum ab Episcopo aliquo perendum, tandem unanimiter & justissime consenserunt, cuilibet cætui à Christo permissam esse potestatem vocandi & consecrandi Ministros: ut igitur voluntatis Divinæ essent in re dubia certiores, sortes consuluerunt; electis ergo ex se novem viris idoneis, sumserunt duodecim schedulas, quarum novem reliquerunt inanes, tribus autem inscripserunt: EST: scil. voluntas Dei; ut si novem schedulæ inanes ducerentur, à novem electis viris, cognoscerent, voluntatem Dei non esse, ut horum aliqui præficerentur. Si vero tres schedulæ notatæ exirent, certo Deum ratam habere vocationem illorum, quorum manibus essent extractæ. Factum autem ut schedularum novem extractarum tres notatæ ascenderent, relictis in urna

tribus

tibus inanibus. Intellexerunt ergo, tres illos, qui ſchedas ſcriptas traxerunt, legitimos eſſe, & à Deo ipſo approbatos. Præmiſerunt autem huic actui largè effuſas lachrimas & ad Deum preces, ut voluntatem ſuam aperire non dedignaretur. Quis dubitaret, quin Dei digitus intervenerit, ſorteſq́ue attemperarit? Extra caſus vero hujus generis, divinationes per ſortes illicitas eſſe Chriſtianis, vel ab ipſis ſanioribus Judæis & Gentilibus cognoſcere poſſumus: namq́ue, ut Seldenus ex Talmude, Sanhedrin f. 56. 6. adducit & docet, divinationes ſeu ſortilegia filiis quoq́ue Noah ſunt prohibita, vi loci Deut. XVIII. 11. Sic ex vetuſtiſſimo Poetarum, Lino Thebano, adducunt hos verſus:

Φράζεο δὴ σπουδὴν ἐντεινάμενος δὶ ἀκουῆς
Μύθων ἡμετέρων, ἀτραπόν περὶ πάντος ἀληθῆ.
Κῆρας ἀπωσάμενος πολυπήμονας, αἵτε βεβήλων
Ὄχλον ἀνιστῶσαι &c.

i. e. *Conſidera ſtudium intendens, audiendo ſermones noſtros, viam in omnibus veram: ſortes rejice damnoſas, quæ & impiorum multitudiuem excitantes, damnis omnia involvunt variis, formarum periculoſarum impoſturas habentes. Has quidem & animo arcere ſtudioſe cogita. Hæc enim te purgatio omnino verè ſanctificabit, ſi verè oderis pernicioſum genus ipſarum.* Patrum ſanctorum, aliorumq́ue Eccleſiæ Doctorum ſententias, Conciliorumq́ue aliquot decreta, divinationes hujusmodi rejicientia, vide in libello Andreæ Scheidlini de ſortibus ſanctorum ſive Apoſtolorum.

§. 3. Supra quoq́ue, præſertim Cap. 17. exempla produximus eorum, qui extrema po-

ſtulante neceſſitate ſortiti ſunt, quinam ex numero ſuo morti deſtinandi, qui ſervandi? Hìc vero quæritur à Caſiſtis & Moraliſtis, Theologis & ICtis, an facta hujuſmodi probanda nec ne? Alij damnant autores tam truculanti conſilij, alij abſolvunt. Referunt ex Caſp. Zieglero (in notis ad Grotium l. 2. c. 1. §. 3. & hic ex Nic. Tulpio, hunc caſum: *Septem Britanni accinxerant ſe, in inſula Chriſtophoriana unius ſolummodo noctis itineri, ultra quam non extenderant commeatum; at interveniens tempeſtas abripuit imparatos longius in mare, quam ut potuerint reverti ad portum ante diem decimum ſeptimum. Luctatum igitur cum inedia eſt, quæ eò ipſis fuit gravior, quo ardentius æſtuarit Sol, & vehementius ex ſucca eorum guttura exareſcerit exhalans incaleſcentis maris ſalſedo. Cum intricati erroris nullum finem promitteret ſpatioſum mare, ancipiti ſorti committebant, cujus carne urgentem famem & quo ſanguine compeſcerent inexplebilem ſitim: jacta eſt alea, qua ex illis unus cæſi deſtinatur, qui lubenter fortunæ ceſſit, & gravius eſt, ſe poſt mortem amicis eſſe profuturum. Deinde ſorte alius reperiebatur, qui jugulum peteret, & vim volenti inferret, ſic aliquandiu cibatam naviculam deduxit tandem Deus ad inſulam Martiniam, ubi vix attigerant terram, quin accuſarentur protinus à prætore homicidij, ſed dedit ipſis veniam judex.* Fatendum, melius & liberius de ejuſmodi facto judicare poſſe eos, quos periculum hoc non implicat. D. Zieglerus prætori juſtitiam latæ ſententiæ adjudicat, alij vero Zieglerum refutant, negantes hìc periculum animæ, ſeu peccatum, quod quiſque in ſuam & in ſocij mortem conſenſerit; negant, pro vitæ prodigis

eſſe

esse habendos, qui tanta famis tabe prope confecti mortem ceu medium mortis longe atrocioris elegerunt: negant, sævitiæ obnoxios esse eos, qui sortibus fuerunt usi ad necandos socios. Famem violenta morte esse intolerabiliorem; eventum docere, hoc medio servari homines,&c. Quibus ponderatis, vix occurrit, cuinam lanci calculus noster adjiciendus. Videtur vero mihi, non posse simile ferri judicium de ejusmodi extremitatibus inprimis ob discrimen hominum hoc periculo implicatorum; qui sunt vel vere credentes & pij, vel increduli & impij, vel ex utroque genere mixti; de impiis nulla nobis cura; quid ad nos qui sunt foras. At de vere piis Christianis, vel saltem cœtu, illis mixto, statuo, melius facere eos, qui se divinæ commendant gratiæ, ab ea liberationem expectantes. Rationes sunt istæ: 1. ardentibus precibus in omni angustia incumbendum est, cum certa fiducia in promissiones Dei multiplices & gratiosas, exemplô nauctarum Joppensium, Discipulorum Christi, Pauli & sociorum, Act. 27. &c. 2. Desperationis species est exitialis istiusmodi sortitio, quâ voluntaria mors potius, quam θεήλατος eligitur, & libentius hominum quam Dei manui vita & mors committitur. 3. male mors voluntaria præoptatur violentæ, quod illa sit mitior, hæc acerbior: Timiditas hæc est Christiano homine indigna; patienter potius ferenda sunt, & fortiter expectanda, quæcunque divinitus de nostra morte sunt constituta seu permissa: unde communiter à gravioris judicij Theologis damnatur factum Razis 2. Macc. XIV. 37.

seqq. qui maluit propria manu perimi, quam fieri martyr, manu hostium; à quibus vix tam atrox & immitis fuisset inflicta mors, quam fuit sibi ipsi illata. Hæcne est fortitudo hominis Deo confidentis? 4. Exemplum nautarum Joppensium hic prorsus alienum, nec imitandum, aut ex eo ratio petenda pro ejiciendis sorte lectis hominibus: quia factum illud totum miraculis scatet, nec Jonas erat sine noxa, sed vindictæ divinæ obnoxius: qui casus nostram quæstionem non attingit. 5. Deus severe homicidio interdixit: quis igitur tam audax sit, ut hominem Christianum, socium, amicum, innoxium, temere nec lacessitus, percutere, confodere, jugulare sustineat? Levis conscientiæ exemplum præbet, quicunque stomachi cibandi causa in vitam amici sævit, ventri immolat interfectum, vilipendit hominis sanguinem fundere & bibere: non sint manus meæ adversus unctum Domini Saulis, ait David: at Christiani omnes uncti Dei sunt. 6. Omnisciæ providentiæ Dei vim inferunt, qui se, nisi hoc medio crudeli uterentur, existimant, vitam amissuros, sine eo servaturos. At de futuris homines in extremis miseriis quid Deus benignissimus facturus sit, nil certi sciunt. Exempla quæ allegantur, non satis liquida sunt: forsan sine sorte fuissent conservati, vel facta sorte cæteri nihilominus interiissent. In hac tamen sententia rigorem legis & verbi Divini respicimus; cum aliâs non ita iniquus erga tam miseros homines sim, quin malignitate calamitatis superati excusari, & à tyrannico homicidio absolvi posse arbitrer: quin potius

His

His lachrymis veniam damus & miſereſcimus ultrò.

§. 4. Supra p. 188. nota marginalis; NB. hîc ex Edone &c. ab Impreſſore, columnæ inſerta eſt, cum potius verba ipſa Edonis indigitata eſſent adſcribenda; fidem ergo ibi datam, hîc ſolvimus. Sic ergo ille author de Turcarum ſortitione per ſagittas, l. 2. p. 536. refert: Turcæ ducta per ſagittas ſorte auſpicatiſſimum Dominationis ſuæ initium ſumſere: Barbara feroxque natio à Scythicis digreſſa finibus cum Perſis ſe miſcuerat. Quibus, cum gravi eſſet publico edicto migrare juſſa, Cobare Babyloniæ fluvio ſuperato vires ſuas, quas prius diſſipatas ignoraverat, invictas fore divinavit, ſi caput haberet. Ex centum igitur familiis ſuæ gentis nobiliſſimis centum ſagittas uno colligatas faſce, veloque tectas ſortis cauſa in medio propoſuere. Puer ſagittam Helduceorum familiæ educit. Helducei ea fortuna læti centum præſtantiſſimos è ſuis deligunt, & ſingulorum nomina ſingulis inſcripta ſagittis in ſortem mittunt. Educitur Selduchi ſagitta, cui omnes polliciti obſequium, Perſiam & Mediam hoſtilibus armis occuparunt. Author allegatur Collenutius, lib. 1. hiſt. Neapolit.

ידעתי כי חי גואלי *Vivit, ſcio, Vindex meus, Job.* 19.

הוא־מנת־חלקי וגורלי *Is portio eſt & ſors mea. Pſ.* 16.

F I N I S.

Geneſis.

C.II. v.2. pag.96.
VIII. 11. p.175.
XVII. 9. p.91.
13. p 92.
XXIV. 2. p.233.
12.ſeqq. p.48. 455.
14. p. 108. 264.
XXVII. 16. p.102.
XXVIII. 22. p.476.
XXIX. 16. p. 456.
XXX. 11. p. 19.
XXXVIII. 27. p.101.
XLIV. 5. p. 277.
XLIX. 8. p. 101.
10. p. 164.
24. p. 102.

Exodus.

XII. 3. p. 101.
11. p. 164.
XVI. 1. p. 343.
XVII. 13. p. 437.
14. p. 103.
15. p. 221.
XVIII. 15. p. 238.
XIX. 1. p. 343.
XXVIII. 16. p. 238.
30. p. 238.
XXXI. 17. p. 96.

Leviticus.

IV. 5. p 40.
V. 4. ſeqq. p. 40.
VIII. 8. p. 238.
XVI. 7. ſeqq. p. 22.
7. p. 34.
7. ſeqq. p. 280.
29. p. 282.
XX. 26. p. 92.
XXII. 27. p. 101.
XXVII. 32. p. 474. 476.

Numeri.

III. 40. ſeqq. p. 325.
V. 12. p 117.
15. ſeqq. p. 320.
XI. 16. ſeqq. p. 361.
XVI. 28. p. 162.
XVII. tot. p. 23. 159. ſ.
2. p. 36.
XVIII. 2. p. 71.
21. p. 476.
XXI. 8. 9. p. 169.
XXVI 53. ſeqq. p. 22.
54. ſeqq. 236. 403.
XXXII. 1. ſeq. p. 405.
XXXIII. 54. p. 22.

XXXIV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn784953996/phys_0506
DFG

XXXIV. 13. p. 22. 403. 405.
XXXVI. 2. 3. p. 22. 403.

Deuter.

XVIII. 11. p. 175. 276.
XXI. 1. seqq. p. 271.
XXXII. tot. p. 218. seqq.
9. p. 5.
26. p. 218. 220.
XXXIII. 10. 11. p. 319.
13. p. 101.

Josua.

I. 8. p. 92.
VI. 26. p. 40.
VII. tot. p. 23.
4. seqq. p. 38.
12. seqq. p. 40. 234. 236. 258.
XIV. 2. seqq. p. 22. 234. 403. 405.
XVI. 1. p. 403.
XVIII. 6. seq. p. 234. 404. 409.
11. p. 404.
XIX. 1. seqq. p. 403. seq.
XXI. 4. p. 404.

Judicum.

I. 3. p. 22.
VI. 37. p. 117.
VII. 11. p. 213.
XI. 30. p. 294.
XX. 10. p. 22.

1. Samuelis.

VI. 1. p. 106.
9. p. 194.
IX. 17. p. 264.
X. 1. p. 264.
19. seq. p. 234. 236. 262. 361. 20. 21. p. 23.
XIV. 40. p. 264.
41. 22. 41. 233.
XVI. 23. p. 277.
XX. 20. seqq. p. 194.
XXVIII. 1. p. 210.
6. p. 239.
7. seqq. 82.

2. Samuelis.

XXI. 1. seqq. p. 294.

1. Regum.

VIII. 42. p. 267.
XVI. 34. p. 40.
XVIII. 24. p. 118.
XXII. 11. p. 455.

2. Reg.

III. 15. p. 277.
27. p. 294.
VIII. 22. p. 247.
XIII. 15. seqq. p. 184.

1. Paralipom.

VI. 54. p. 320.
VII. 61. p. 404.
XXIII. 13. p. 476.
XXIV. 4. p. 296. seqq. 5. seqq.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn784953996/phys_0507
DFG

5. seqq. p. 298.
10. p. 301.
31. p. 73.
XXV. 8. seq. p. 298. 320.
XXVI. 1. p. 320.
13. seqq. 298. 320.

2. Paral.

XXIII. 8. p. 74. 301.

Esra.

II. 61. seq. p. 301.
63. p. 310.
VI. 18. p. 74. 301.
X. 16, 17. p. 99.

Nehem.

II. 1. p. 87.
VI. 15. p. 97.
VII. 65. p. 310.
VIII. 39. p. 303.
X. 34. p. 311.
XI. 1. p. 74. 246. 413. 415. 450.
10. p. 303.
XII. 1. p. 303.
24. p. 74. 301.

Esther.

III. 7. p. 2. 21. 87. 88. 105.
12. p. 88. 105.
13. p. 99. 105.
IX. 1. p. 103.
24. p. 2. 87.

Job.

VI. 2. p. 101.

Psalmi.

VIII. 3. p. 203.
XI. 6. p. 150.
XVI. 5. seqq. p. 5. 22. 353.
6. p. 150. 415.
XXI. 1. p. 201.
XXII. 19. p. 3. 21.
XXXII. 8. 9. p. 107.
XXXIII. 15. p. 475.
XLIII. 3. p. 239.
LV. 15. p. 325.
LXV. 5. p. 203.
LXVIII. 14. p. 452.
15. p. 202.
XCIV. ult. p. 309.
CIII. 20. 21. p. 275.
CVI. 3. p. 202.
CXXV. 3. p. 5. 22.

Proverb.

I. 14. p. 22. 440.
XVI. 31. p. 13.
33. p. 22. 33. 104. 148. 268.
XVIII. 8. p. 60.
18. p. 1. 22. 246. 268.
19. p. 246.

Jesajas.

IX. 12. p. 185.
XI. 1. p. 168. 175.
XIV. 12. p. 436.
18. p. 438.
XIV. 14. p. 440.
12. p. 470.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn784953996/phys_0508
DFG

XVII. 14. p. 4. 22. 24. 150.
XXX. 21. p. 213.
XXXIV. 17. p. 22. 25. 415.
XLI. 19. p. 112. 284.
LVII. 6. p. 22.
LX. 3. p. 94.
13. p. 112. 284.

Jeremias.

II. 4. p. 350.
X. 2. p. 62.
XIII. 25. p. 4. 22. 150.
XXXI. 36. p. 92.
37. p. 92.
XXXIII. 20. p. 91.
XXXVI. 18. p. 116.

Ezechiel.

II. 6. p. 101.
IX. 4. 6. p. 394.
XX. 37. p. 477.
XXI. 18. seqq. p. 186.
21. p. 43. 76. 437.
28. p. 156.
XXIV. 6. p. 22. 25. 461. 471.
XXVII. 6. p. 112. 284.
22. p. 404.
XXXIV. ult. p. 95.
XXXVII. 13. seq. p. 478.

Daniel.

XII. 12. p. 22. 379.

Hosea.

IV. 4. p. 471.
12. p. 176. 187. 276.

Joel.

III. 3. p. 21. 247. 438.

Obadia.

vers. 11. p. 21. 247.

Jonas.

I. 6. seq. p. 234.
7. p. 21. 234. 266.

Micha.

II. 5. p. 22.

Nahum.

III. 10. p. 21. 247.

Haggai.

I. 1. p. 344.
II. 1. p. 244.

Zach.

XIII. 1. p. 168.

Syrah.

XIII. 19. p. 471.

1. *Maccab.*

II. 1. p. 302.
III. 36. p. 413.
XIV. 29. p. 302.

2. *Maccab.*

XV. 37. p. 342.

Mattheus.

XVI. 18. p. 204.
XIX. 22. p. 6.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn784953996/phys_0509
DFG

XX. 23. p. 382.
XXIII. 8. seqq. p. 350.
XXIV. 20. p. 343.
XXV. 21. p. 205.
XXVII. 35. p. 21.

Marcus.

VI. 17. p. 204.
27. p. 204.
XIII. 32. p. 382.
XIV. 13. p. 108.
XV. 24. p. 21.

Lucas.

I. 5. seqq. p. 74. 301.
8. p. 74.
9. p. 7. 23. 74. 311.
24. p. 343.
26. p. 340. 343.
XII. 42. p. 205.

Johannes.

III. 2. p. 144.
14. p. 169.
X. 9. p. 478.
XV. 20. p. 201.
XIX. 24. p. 21.
XXI. 19. p. 85.

Acta Apost.

I. 7. p. 382.
24. p. 233.
26. p. 3. 7. 22. 44.
VIII. 21. p. 22.
XXVI. 18. p. 6.

1. Corinth.

III. 11. p. 203.
X. 20. p. 59.
XV. 22. p. 382.
41. p. 380.

Ephes.

I. 11. p. 5.

Coloss.

I. 12. p. 6.

Hebr.

I. 1. p. 267. 274.

1. Petr.

V. 3. p. 5. 8.
3. p. 22.

Apoc.

II. 17. p. 143.
VII. 3. p. 394.
XVII. 2. p. 46.

Index

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn784953996/phys_0510
DFG

A.

A, α, absolutionis nota, idem ac absolvo, pag. 389. seq. notat etiam antiquo, p. 140. 389. 398.
Aaronis confirmatio in Pontificatu, 294.
Abbas, p. 281.
Aben Esræ laus, 103. sortitio in nave, 226.
Abh mensis quis? 338.
Abiæ administrati quando? 337.
Abraham peritiss. astrologus, 62.
Achani historia, 38. scelus proditum sorte, 258. illusio sortium, 259.
Adar, qualis mensis, 88. 99. 102.
Advocati sorte lecti, 400.
Ædiles sorte lecti, 373.
Ægles mutus repentè loquitur, 110.
Aggratiatio, 442.
Agri sorte distributi, 413.
Αλεκτρυομαντεία, 232.
Alexandri M. regna sorte divisa, 414.
Alexander Severus, 79.
Amedei electio sortitò, 232.
Ampliatio, 389.
Ἀναβράσαιλῶν LXX. Ezech. 21. 189.
Angelorum ministerium circa sortes, 55. 58 seq.
Animæ conjunctio cum Deo, 70. virtus in sortibus, ibid.
Anibalis institutum sortitionis, 430. 434.
Annus lunaris, 339. nativitatis salutaris, 335.
Ἀνλίπαλοι, 4.
Apes Regem sorte non eligunt, 254.
Aphidantea sors, 411.
Ἀποκληρωσις, 4.

Apollo

Apollo Myricæus unde dictus? 174.
Apostolorum nomina eligere, 215. sortitio, 44. 75.
Aqua pro sorte, 117. æstuans in sortitione 155.
Ἀριθμαυλία, 217. 223.
Ariopharnis Sapiens consilium de successione filiorum, 13.
Aristides ob virtutem pulsus, 397.
Asasel quid? 287.
Asini in regno Pontificio, 107.
אשם דג. 112. 284.
Asphalus, 120.
Astragali, 119. 122.
Ἀστραγαλισμὸς, 123.
Astrorum vis an in Israëlitas, 61. in sortes, ib.
Athenienses duas urnas habebant, 153. eligebant sorte judices, 385. magistratus, 377. immolabant filios & filias, 235. 291. Eorum calculi ex conchis. 117. mos in ejiciendo cive, 142.
Ἀθηνᾶς ψῆφος, 399.
Ἄθλον primum, secundum, &c. 19.
Athletarum certamina sorte designata, 428.
Augustini sortitio, 206.
Augustus officia sorte dispositi, 365.
Aves in capsulâ nutritæ sortes reddunt, 117. Earum voces & volatus pro sorte, 109.
Authoritas sortientium, 68. sortitionis de terra S. 404.
Axiomantia, 111.

B.

Bacilli divinatorii decorticatio, 180.
Baculus divinatorius, 178 Mosis & Aaronis mirificus, 165. virga Dei dictus, 167. baculi Judæis usitati, 164.

Basilij conversio, 46.
Βελομαντεία, 184.
Ben Syra, 471.
Bestiæ pro sortibus, 46. 106. seqq.
Bojarorum sortiuntur testes, 401.
Borgia familia, 349. sortitionem superstitiosam induxit, ibid.
Britannornm sortitio, 451.
Bura, 16.
Buxtorffius vindicatur, 289.

C.

C. i.e. condemno, 389.
C mortis nota, 390.
Cære urbs, 18.
Calculus albus, ater, 134. Athenienſis, 399. Minervæ, ibid. calculi notatio 133, calculi ἄλφιτος, 153. τετρημένος, ib. Ex conchis, 117. 153. In sortibus, 131 133. Eorum usus in judiciis, 393. seq.
Calix pro urna, 150. seq.
Κάλπις, κάλπη, 282. seq.
Cambysis exercitûs decimatio, 450.
Campus sorte distributus, 413.
Candidatorum nomina, 389.
Canis in lusu, 120. seq.
Canticum Mosis pro sorte, 218.
Captivorum distributio per sortes, 434. 436. 453. ejus miseria, 439.
Carbo pro calculo nigro, 136. pro sorte, 131.
Cardinalis Hispani crudelitas, 217.
Carthaginenses infantes immolabant, 292.
Castra sorte distributa, 423.
Cauneas, i.e. Cave ne eas, 213.

Censores sorte electi, 370.
Cerei accensi pro sorte, 214.
Certamina athletarum sorte de signata, 428.
Chius quid in lusu? 120. seq.
Choragi sorte lecti, 431.
Chrannus, Chlotarii filius, 78.
Christianus & Judæus divinant de Messia, 278.
Cibonum divisio per sortes, 465.
Ciceronis judicium de sortibus, 17. 50. sententia de mundo, 64.
Cinamomum sorte distributum, 417.
Citatio ad tribunal Dei, 360.
Citharædi sortientes, 431.
Classes sacerdotales tempore Esræ, 301. seqq. Earum distributio, 295.
Κληδομαντεία, 112.
Κλήρος à κλῶ, κάλον, καλῶ 114. seq. 429. rectius à גורל 3.
Κληρονομία, 411.
Κληρυχος, Κληρυχία, 246.
Clodovei Regis sortitio, 45.
Cohortes sorte datæ ducibus, 422. seq.
Colias, 120.
Color altus & niger, 137.
Comitia Romanorum, 366. tria, 388. Eorum præses sorte lectus, 387.
Commissio in Certaminibus, 432.
Conclave excisionis lapidum, 324.
Conjunctio per sortes, 375. seq.
Consilium Friderici III. rustico datum, 13.
Consortes, 375. seq.
Consulatus sorte electus, 367.
Convivales sortes, 461.

Con-

Convij arbiter, 461. seqq.
Cordis homicidæ palpitatio, 14.
Cressa nota, 135.
Creta pro sorte, 131. Cretâ notare, 135. seq.
Cruentatio Cadaverum, 402.
Curatores sortitò lecti, 373.
Custodiæ militum sorte distributæ, 427.
Κύβος, κυβεία, 120. seq. 469.

D.

DAnielis Proph. excellentia, 381.
Danorum sortitio, 378.
Darij Callida sortitio, 12.
David administrat sortes, 73. hominum, 475. filiorum Jacobi, 475. Levitarum, 476.
Decimatio, 442. seq. 449. pecorum, 473.
Decineratio altaris, 312. seqq.
Deliæ sortes perspicuæ, 55.
Deücalion sortes cœlitus petiit, 9.
Deus fidelis in statutis suis 40. Sors piorum 5. Sortitus est, 24. utitur ministerio Angelorum, 56.
Diabolus Dei Simius in sortibus, 195. Ei vaticinanti non fidendum, 277. seq.
Dicasteria sorte lecta, 386.
Dicta Scripturæ sorte extracta, 353.
Dies fatalis excidij Hierosolymitani, 209. felix calculo albo notatus, 135. Dies, quos Haman sorte quæsivit, 91. 104. Dierum Septimanæ præsides. 91. seqq. Singulorum dignitates, ib.
Dii Gentiles sortiti sunt, 26. 77. 410. In ferorum similiter, 27. seq.
Dionysii sors, 363.
Diribitores, 398. Eorum munus, 158. seq. 461.

Di-

Distributio officiorum sacerd. 310.
Divinatio quomodo ex sortibus facta, 16.240.
Divinationis Nebucadn. tria genera,192.
Divinationum V.& N. Test. diversitas,269.
Divinationum media externa, 195.277.
Divinatoriæ sortes à Diabolo, 58.
Doctrinæ Christianæ probatio per ignem.229.
Duces belli sorte lecti, 421. eorum sortitio bellica,47.423.

E.

ELul mensis, 343.
Embolismicus annus, 339.
Ἐπιλαγχάνειν, 385.
Ἔφεδρος, 429.
Ἐφημερίδες, 24.305. Earum ordo. 335.
Ethnicorum figmenta de virtute astrorum,65.
Eüganeo, 80.
Excessus animi magnam vim habet in Divinatione, 66.
Excubiæ militum per sortem 427.
Exercitus sorte dati, 422.
Exilium quid, 398.

F.

FAbæ albæ & nigræ, 136. Pro sortibus, 131. 466. seq.
Fabula de baculo Mosis, 165. seqq.
Feminarum divisio per sortes, 436.
Farniliæ 24. Sacerdotales,305.
Ferrum ignitum pro sorte, 111.
Festo expiationis, quis suffierit, 346.
Filij Jacobi sortiuntur de tunica Josephi,20.
Filij pietas in patrem mortuum, 13.

Forma

Forma literarum, quâ Moſes uſus, 163.
Fors cognatum cum גורל, φὲρ, 2.
Fortuna Dea laudatur & arguitur, 54. Ejus cultus Athenis, 19. ædes, 17. apud Romanos, 16. in Eubœâ, 19.
Franciſci ſortitio, 206. 356.
Friderici III. Conſilium ruſtico datum, 13.
Friſianum ſortitio, 402.
Fritillus, 120. 127.
Fuga militum non unius generis, 443. ſeq.
Functiones ſacræ ſorte diſpenſatæ, 320.

G.

GAd, quid? 19.
Galbæ Imper. callidum judicium, 14.
Galea pro urnâ, 156. ſeq.
Gallus magnus, 94. gallus pro ſorte, 232.
Gentilium de ſortibus judicium, 49. religio circa ſortes, 52. 75.
Germani adhibebant Sacerdotes ſortiendo, 81. Eorum ſortitio per virgas, 172. ſortes conſulebant, 420.
Γεροντικῶς ludere, 127.
Geryonis oraculum, 76. 80.
Gleba pro ſorte, 131. 141.
Globuli pro ſortibus, 139. Aurei & argentei, 111.
גורל 2.
Gortynius arbiter, 29.
Gradus gloriæ in vita æterna, 381.
Græcorum ritus in judiciis, 392.
Gregorij Turonenſis ſortitio, 207.

H.

HAbitacula sorte distributa, 415.
Hälmlein ziehen/ 114.
Hamani sortitio, 76. 86. Ejus causa, 90. 419. cur diu protracta, ibid.
Hebræi non eligebant magistratus sorte, 361. quando annum incipiant, 339. quot menses numerent, ib. eorum divinatio in rebus gerendis, 210. Sortitio in conviviis, 468.
Henricus Dodwellus refutatur, 7.
Herculis oraculum, 16. Hercules Basilicus, 120. 125.
Hermes Ægyptius, 50.
Hercynia Sylva sorte, cui obvenerit, 412.
Hieronimi Cardani impia sortitio, 86.
Hierosolyma ollas comparatur, 471. seqq.
Hildebrandi sortitio divinatoria, 179.
Hirci sacri duo, 34. Eorum sortes, 279. an alter eorum Asaseli consecratus, 35.
Homines pro sortibus, 108. immolandi sorte delecti, 291.
Hydria pro urna sortit, 155.

I.

IAmblichus de mysteriis, 50. seq.
Jethro inter magos Ægyptios, 57.
Ignatius Lojola, 46. seq. 206. Divinitus admonitus, 356. ludit cum Doctore quodam, 12.
Ignis pro sorte, 118.
Impiorum sortes à Diabolo reguntur, 60.
Inferorum judices, Æacus, &c. 27.
Intelligentiæ cœli motrices, 58. sunt Angeli, 59.
Inter Reges sorte electi, 364.

Johan-

Johannis B. conceptio & nativitas, 337.
Joh. Pici Mirand. liber adversus Astrologos, 66.
Jonathan sorte proditur, 264. seq.
Josephi scyphus Divinatorius, 195. 276.
Josephi callida sortitio, 230. ejus familia, 302.
Ἰωσαπλὴς, 5.
Italia cui sorte contigerit, 412.
Judæus cum Christiano disputans perit, 278.
Judæorum deliria circa sortes Hamani, 103.
Judices sorte electi, 384. seq. 389.
Judicis Hispani sapientia, 14.
Juvenalis expositus, 81.

K.

קלפי, 282.

L.

LAbores sorte distributi, 374.
Lacedæmon ἀ λάχω τῆ δαίμων, 378.
Lacedæmones virgines immolabant, 292. Eorum mos circa calculos, 133. in judiciis, 393.
Laminæ in sortitione, 131.
Latronum sortitio, 428. 440.
Legati sorte electi, 373.
Lescus Polonus subdolè sortiens, 108.
Levitæ pro primogenitis, 325. sq. pro decimis, 473.
Lex Rupilia, 383. legis recipiendæ vel abrogandæ ratio, 398. leges convivales, 461. seqq.
Lingua coccinea in fronte hirci, 35. 290.
Literarum Hebr. forma in cœlo, 223.
Loca sorte lecta, 385. in conviviis, 463.
Ludentes amasias suas invocant, 24. seq.
Ludorum & sortium convenientia, 119.

M.

M. In sorte, 363.
Magistratus creandi mos, 329. extra sortem, 366.
Majestates venerantur Sacerdotes, 69.
Maria Josepho sorte data, 179. 456.
Materia sortium, 105.
Matronæ Sanctos Patronos eligentes, 351.
Media externa Divinationum, 277. 195.
Mensis duodecimus in sorte Hamani, 100.
Mensium singulorum appellatio, 340. seqq. à numero, ibid. eorum dignitas, 96. seqq. nomina peregrina, 342.
Mercurius præses sortium, 113.
Mercurius Trismegistus, 50. seq. 64. Mercurij sors, 465.
Micatio digitorum, 312. seqq. antiquissima, 326. unde sic dicta, 327.
Midas in tesseris, quid? 120. 126.
Minerva justitiæ præses, 400.
Ministerium festi expiationum ominosum, 346.
Minos, quis? 28. seq. 78. 235. 291.
Miracula octo in florente virga Aaronis, 161.
Modiperator, 461.
Moses administrator sortium, 71. Cur difficilis fuerit ore, 57. Judex & Sacerdos, 237. Pharaonis coronam violat, 57. ejus functiones circa virgas sacras, 162. seq. hymnus Deut. 32. 218. ejus baculus, vid. baculus.
Mulieres Divinatrices in Arabiâ, 83. fatidicæ, 82. seq. Germanæ veteres, 83. sacræ sorte lectæ, 329. mulieris suspectæ potatio, 320.

Mun-

Mundus à Cicerone sapiens & Deus statuitur, 64. ejus partes à Diis sorte divisæ, 26.
Munera Sacerdotum sorte distributa. 311.

N.

NAucleri sortitio inter triginta, 226.
Navium loca sorte distributa, 430.
Nautæ Joppenses, 42. eorum probitas, 267. Sortitio, 266. seq. גורל, 210.
Nebucadnezaris sortitio, 42. seq. 76. 437.
N. L. vel ν. λ. i. e. non liquet, 389. Prolationis nota, 390.
Nomen sortiri, 216. nomina Apostolorum eligere, 215. nomina plurium vel minorum syllabarum, 216. nomina propria Deut. 32. contenta, 218.
Numerius suffusius sortium Prænestinarum inventor, 15. 17.
Numina sortitus præfecta. 16.

O.

OFficia varia sorte designata, 374.
Οἰνόπτης, 461.
Oleæ folium in sortibus, 52. 113.
Olla pro urnâ, 155. plena aquæ igni admota pro sorte, 190.
Omnia bona & mala in templo Hierosol. 290.
Onomantia, 213.
Opilius Macrinus sortitur, 79.
Oracula quando obmutuerint, 55. eorum consultatio ante sortes, 232. 236.
Orca, 127.
Ordo vitæ certus sorte electus, 356. Classium Sacerdo-

cerdotalium perturbatus, 301. an post captivitatem Babyl. manserit, ib. ἐφημεριῶν solutus, 336.
Orestes cur furiis agitatus, 399.
Ostracismus, 142 396. Illius & exilij discrimen, 398

P.

Πάλος, 4.
Paparum electio per sortes, 332.
Patritij sorte electi, 373.
Patroni menstrui per sortem delecti, 350.
Persarum mos consulendi sortes, 90. 419. eorum sortitio in eligendo Rege, 254. Ritus in divinando, 178.
Personæ administrantes sortes, 67.
πεζέλισμὸς Syracusanorum, 143.
Petri Bembi sortitio. 85.
Phalæ, quid, 81.
Pharisaicus fastus Pontificiorum, 6.
Phur, פּוּר, 2. an à cadendo, ibid.
Phannias sorte electus in Sacerd. M. 322.
Phœnices immolabant infantes, 292 eorum sortitio. 451.
Φονικὴ, 386.
Pij sors Dei, 5. eorum præmia in vita æterna, 380. s.
Pietas sortientium, 68. filij in patris cadaver. 13.
Pila pro sorte, 131. 137. pilæ lusus inventor, 119.
Pisces Judæis non faventes, 102. occulte tamen pro eis, 65.
Planetarum mensulæ, 129.
Plaustrorum obviorum sortitio, 401.
Plumbum pro sorte, 112.
Poculum divinatorium, 278.

Poëtæ

Poëtæ, cur vates dicantur, 197.
Potatio mulieris adult. cui sacerdoti incubuerit, 321.
Prædæ divisio per sortes, 248. 434. seq.
Præfectus sortium, 74. 158.
Præmiorum distributio per sortem, 434. seqq.
Prænestе, 16. 18. Prænestini populi, qui? 16.
Prænest. sortes ex ebore, 132.
Prærogativa sorte lecta, 388. 398.
Prætores sorte electi, 367.
Preces ante sortes, 52. 56. 129. 232. seq.
Primogenitorum solutio, 325.
Proconsulatus sorte electus, 367.
Provinciæ sorte electæ, 368. seq. 412.
Provocatio ad tribunal Dei, 10.
Φερεφῆ, pro φερεφῆ, 2.
Puerorum usus in sortibus, 17. 85. in divinando, 210. seqq.
Pugnatores sortiti sunt, 425.
Punitum, 141.
Pyrgus, 127.
Pythagoras onomantiæ inventor, 216. ejus speculum divinatorium, 273.
Pyxis cornea, 127.

Q.

QUæsitoris munus, 158.
Quæstores sorte lecti, 371.

R.

Ῥαβδομαντεία sacra, magica, variorum populorum, 36. 71. 159. 171. seq. 177. 179.
Ῥαψωμαντεία, 196. 199.

Regulæ in sortitione observandæ, 60.
Regionum & regnorum divisio per sortes, 411. 435.
Religio Veterum circa fontes & flumina, 130. circa sortes, 235.
Reorum damnatio vel absolutio, 389.
Res sortitioni subjectæ, 402.
Rhadamantus, 29.
Rhamnis urbs Euboëæ, 18.
Rogatorum munus, 158.
Romani ritus ab Athenienſibus mutuarunt, 377. 385. Antistites sacrorum sorte deligebant, 329. & Magistratus, 366. eorum mos in sortiendo, 139. 366. illis tres erant urnæ, 154. eorum sortitio in bello suscipiendo, 420.
Romulus & Remus sortiti, 374. 401.

S.

SAcerdos M. erat exsors, 299. 321. 346.
Sacerdotes, an sorte eligendi, 332. an pars senatus, 320. Sacerdotes Isidis fraudulenti, 454. Pontificiorum an Clerus, 6. Ethnicorum 80. quomodo oracula fecerint, 81. Sacerdotum distributio per sortes, 294. electio per sortem, 327. 331. Ordines & munera per sortes, 299. Sanctitas & Divinitas in sortiendo, 69. Illis Monarchæ obediunt. ibid.
Sagarum probatio per aquam, 117.
Sagittæ pro sortibus Divinatoriis, 184. seqq. earum lævigatio, 191.
Salomonis callida sortitio inter matres, 12.
Sancti non invidi æmulatores, 351. seq.
Saturnalia, 467.

Sau-

Saulis electio per sortes, 38. 263. sortitio an à Deo directa, 39.
Schedæ in sortibus, 131. 406.
Schindlerus notatur, 405.
Scriptio antiquitus, in quibus rebus facta, 115.
Scriptura cœlestis, 223.
Segen Sacerdos, 72. 287. seq.
Senatores sorte lecti, 372.
Sententiarum delectus per sortes, 353.
Sesostris Regis superbia, 256.
Shringhamij insultatio in Buxt. 289.
Sibyllinorum librorum inspectio, 100.
Sidera pro Israëlitis militant, 64. seq.
Signa in frontibus, 395. Signorum cœlestium dignitas, 100. seqq.
Sinus urnæ, 148. seq.
Situla, Sitella pro urnâ, 154.
Sodales Titij, 331. Sodalitium Augustale, ibid. Sodalitates sanctorum & sanctarum, 356.
Sodomiticum scetus in Turcia, 439.
Sors, an Sacerdotes V. T. ita dicantur, 7. seq. Dea cœca, 54. laudatur & vituperatur, ibid. non discernit virtutes & vitia, 253. sumitur pro bono sorte acquisito, 4. 411. & extra sortem, ib. pro instrumento sortitionis, 3. Vitæ conditione, 5. vitæ sustentandæ medio, 4.
Sortes à cœlo, 32. aquatæ, 240. animatæ & inanimatæ, 106. Antiatinæ, 16. earum inventio, 17. Apostolicæ, 199. Apostolorum, 213. artificiales & inartificiales, 109. Biblicæ, 78. Christianorum, 47. Deliæ, 16. Homericæ, 197. ex inspectione S. Codicis, 201. Convivales, 461.

467. seq. Lyciæ, 16. 31. Poëticæ, 79. 196. ex Musæo poëta, 199. Politicæ seu seculares, 359. vulgares, 84. Virgilianæ 197. seq.
Sortes Prænestinæ, 16. 113. earum locus sacer, 17. contemtus, 18. à sacerdote gubernatæ, 81.
Sortes sacræ, 196. 199. duplices, 200. earum materia, 284. modus, 404. seq.
Sortium diversæ definitiones, 1. divisiones, 243. in Divinas, Divinatorias & soliticas, 358. in Israeliticas, Ethnicas, & mixtas, 42. in divisorias, consultorias, & Divinatorias, 243.
Sortes divisoriæ, 245.
Sortes consultoriæ. 249. in variis rebus, 255. seq. quando protæ vel non, ib. à Divinatoris distinctæ, 250.
Sortes divinatoriæ, 257. à Deo, 55. non à Deo, 274. non à natura nec astris, 275. earum præsaga virtus, unde? 56.
Sortes Politicæ, 10. 358. seqq.
Sortes Pœticæ duplicis generis, 197.
Sortes arcâ conditæ, 17. cantatæ, 241. Divinæ, 21. 31. cœlitus gubernatæ, 30. 33. Ominosæ in tabernaculo Mosis & templo, 290. s. Gentilium, an à Deo gubernatæ, 41. Hamani, 88. Heroum in bello Trojano 76. s. In profundos fontes & flumina jactæ, 129 pro Oraculis, 9. 240. seqq. quis primus invenerit? 9. quibus Saul Rex confirmabatur, 73. & ipse Saul utebatur, ib. quibus Achan captus est, 72. an locutæ sint, 408.
Sortes sacerdotales tempore Esræ restitutæ, 74.
Sortium tractatio & cultus religiosus, 16 68. non semper idem honor, 53. quando desierit. 55.

Sortium

Sortium antiquitas, 15. convenientia cum lusu, 10. Discrimen à lusu, ib.
Sortium usus antiquissimus, 20. varius, 243. 401. apud populos varios, 21. in eligendo magistratu, 252. 358. in ministro Ecclesiæ, 251. ab Apostolo Johanne observatus, 7. in conviis, 460. in judiciis, 283. in quibus rebus aliis? 402. in dividendis bonis, 403. 410. in ludis, 431. in renumerandis militibus 413. in bellis, 417. 421. in certaminibus 428.
Sortes N. Testamenti an divinitus regantur, 44. in illis tria consideranda. 48. Divinatoriæ in N. T. illicitæ, 270. periculosæ, 272. miraculosæ rariores in N. T. 44.
Sortium varia materia. 105. seq. ex variis lignis, 112. seq. metallis. 110.
Sortium eventus fortuitus. 34.
Sortes, quibus rebus inscriptæ. 115. & quid illis inscriptum, 116. 409. 468.
Sortiri pro eligere. 9. adipisci, ibid.
Sortientium sanctitas & puritas. 70.
Sortitionis varia notatio. 3. Sortitio vera & dolosa. 12. 454. miraculosa in divisione terræ S. 77. sacerdotalis quibus in vestibus peracta, 322. quoties die facta, 345. ejus forma & modus, 298. 312. seq super hircis sacris 72. ejus modus, 287.
Sortitio per numeros, 222. seq. 429. 474. fraudi obnoxia, 225. per liter. alphab. 223. 466. 231. per sagittas varia, 193. seq. per virgas, 474. vid. ῥαβδομ.
Sortitio de suffitu faciendo, 317. seqq. uxore ducenda, 48. 453. patronis eligendis, 349. Sanctis elig. 357. Matthia elig. 132. certo ordine vitæ, 349.

Sortitio

Sortitio bellica pœnalis, 440. ejus causæ, 443.
Sortitio Hamani, quomodo facta, 104.
Sortitiones sacræ prohibitæ, 209.
Sortilegi, 241.
Specula Divinatoria, 273.
Stationes judicum sorte lectæ, 385.
Subsortitio, 138. 384.
Suffitus sacer duplex, 345. eum quis facere deberet, 317. seq. cur nemo bis faciebat, 318.
Suffragia paria, 400. sorte lecta, 387. seqq.
Superiorum in inferiora influxus, 63.
Symbola sortibus inscripta 409.
Symposiarcha, 461.
Syracusanorum sortitio, 383. mos in judiciis, 393. sorte eligebant magistratus, 365. Sacerdotes: 328.
Syri antiquissimi fortunæ cultores, 18. 19.

T.

Θ mortis nota, 390. seqq.
T. absolutionis nota, ibid.
Tabellæ ceratæ, 154. judiciariæ, 392. earum usus in suffragiis ferendis, 139. seqq.
Tali & tesseræ, 119. seqq. earum inventores, ib. usus in conviviis, 463. seqq.
Tali ex vasculo projecti, 127. eorum usus in sortitione, 128. in oraculis, 125. 128. seqq.
Tali militum de tunica Christi ludentium, ubi? 128.
* Talmudicorum traditio de sorte circa hircos, 34.
Τεχνοθυσία, 291. seq.
Templi secundi combustio, quando? 337.
Tempus anni, quo Christus natus, 334. an recte observetur ab Ecclesia, 344. seqq.
Tenus, 113. 173.

Terræ

Terræ S. diviſio per ſortes, 37. 403.
Terrarum diviſio per ſortes, 435.
Teſſera, vide Tali, certis ſideribus notatæ, Divinandi virtutem habent, 65.
Teſta, Teſtula pro ſorte, 131. 142.
Thau, an ſignum in fronte? 395.
Thomæ à Kempis libellus, 208.
Thracum mos in notandis diebus, 145.
Threſſa nota, 135.
Tiberij ſortes, 76.
Titus & Aruns ſortes conſulunt, 364.
Trojanum bellum tempore Simſonis, 21.
Turricula, 120. 127.
טרף 289. 407.

V.

Suſpendij nota, 391.
Vaſa ſortium, 148. varia, 152.
Venetorum ſortitio, 139. 188. 378. 418. 424. oſtraciſmus, 396.
Venus, in luſu, 120. ſeq.
Veſtes Sacerdotis M. 281.
Veſtes Chriſti ſorte diviſæ, 416.
Veterum curioſitas circa nomina filiorum, 214.
Virga pro ſorte, 159. Divina, 181. ejus operatio à Diabolo, 182. natalitia, tempore natorum puerorum terræ infixa, 174.
Virgæ duodecim tribuum, 164. ex quâ arbore, 169.
Virga ex arbore myricæ, 174.
Virgilius à virga dictus, 113. 175.
Virgines ſacræ ſorte lectæ, 330. ut & Veſtales, ib.
Virginum immolatio, 292.

Vita æterna ſors piorum, 380. ſeq.
Unio pro calculo albo, 135.
U. R. i. e uti rogas, 140. 389. 398.
Urim & thummim, 38. 237. eorum uſus in prodendo Achan, 258 ſeq. eligendo Saule, 262. in diviſione terræ ſ. 405. ſeqq.
Urna ænea, ærea, 153. ἀλέϛ, ex olea, ibid. lignea. ib.
Urna ſacra in ſanctuario, 152. 282. ſeq. ejus capacitas, 283.
Urna Deo dicata, 235.
Urna plena aqua in ſortitione, 155.
Uſipiorum decimatio, 450. ſeq.
Vulturius, 120. 125.
Vulgatæ error in phur, 2.

X.

XAverius luſui intereſt, 11.

Y.

ὑοθυσία, 291. ſeq.

Z.

ZNota inauſpicata, 390. 393.
Zacharias an fuerit Sacerdos M. 344. 347. ejus λειτουργία incerti temporis. 336.
צבע. 89.
Zigeunæ mulieres, 83.

F I N I S.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn784953996/phys_0530
DFG

Errata Typographica sic corrige.

Pag. 37. lin. penult. lege extrahenti. p. 46. l. 16. Maurilij. lin. 24. §. 7. p. 54. l. 8. cœcas, uti eas. p. 56. l. 20. Rabbah. p. 57. l. 30. Hakkab. p 58. l. 26. ergo, quo. p. 68 l. 9. ne quicquam. p. 72. l. 11. ſtans Pontifici. p 75 l. 16. circa novum. p. 88. l. 17. illorum. p. 93. l. 8. dele hujus. p. 102. l. 8. & à fatis. l. 28. (Haman) p. 107. l. 22. donis. p. 133. l. 8. geminus. p. 134. l. 10. adde. Obſervemus. p. 143. l. penult. ab uſu. p. 152. l. 11. ſortitionis. p. 162. l. 9. auſu. p. 165. l. 5. dele, Deo. p. 168. l. 19. effecta. p. 176. l. 14. verba, vide &c. inſerenda ſunt lineæ 11. p. 182. l. ult. Orcini. p. 188 l. 23. ſimilem. p. 191. l. 26. augures. p. 201. l. 19. venerat. p. 204. l. pen. præmiſſis. p. 238. l. 21. pectore. p. 265. l. antepen. *Jonathan reddit, affer illud in veritate*, q. d. *affer ſortem in veritate*. Projecerunt, *ſc. ſottem, quomodo & Jonathan vertit*, &c. p. 274. l. 29. Maurilio. p. 275. l. 14. Conſilium. p. 282. l. 29. cui. p. 293. l. 23. vota, pulchra conceptæ. p. 294. l. 5. Cui Deo? p. 321. l. 11. 15. egreditur. p. 327. l. antepen. perſonas ſacras. p. 336. l. 5. & ἐφημερία. p. 340. l. 10. integri. l. 12. incerta. p. 359. l. 1. eventui. p. 368. l. 12. compararent. p. 368. l. 29. & p. 369. l. 11. Proprætores. p. 373. l. 26. Competitores. p. 384. l. penult. ſive prætor ſive Judex. p. 445. l. 1. memor, ita. l. 19. Maldonica. p. 450. l. 7. In Æthiopes. p. 463. l. 24 talos.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn784953996/phys_0531
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn784953996/phys_0534
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn784953996/phys_0536
DFG

entes pro signo à Deo cœlitus … eces
& piorum amicorum iniru … ti-
morque Dei omnem sortium … su-
perant.

§. 3. His verò divit … e &
mandato consecratis mediis … fue-
rint gentiles, sortibus usi su … atri-
monialibus, ut auspicate nec … con-
silio viverent. Græcos de … sorte
contendisse, exemplo sunt Th … ous,
qui cùm Helenam rapuissent, … r se,
ut utri sors faveret, is Helena … ha-
beret, alterque alteri in aliis … tien-
dis operam navaret; sorte fa … lena
contigit, Plutarch. in Thes. & … l. 4.
sic capta Troja, cùm præcipu … pera-
tores exercitûs Græcanici no … fœ-
minas sorti exemissent, ut sup … s, de
cæteris sortiti sunt: Unde A … oly-
xenam apud Virgil. l. 3. Æn.

O felix una ante alias Pri
Hostilem ad tumulum Troja … tis
Fussa mori: quæ sortitus n
Nec victoris Heri tetigit capt …

Quia Polyxena nemini sortit … ma-
trimonium, sed occisa: Andr … He-
ctoris uxor, sorte Pyrrho dat … opti-
væ. Sic Latinus apud eun … l. 7.
Æn. ad Æneam:

Est mihi nata, viro gentis qua …
Non patrio ex adyto sortes, …
Monstra sinunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn784953996/phys_0537
DFG